BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLII
F
59
NAPOLI

11 7 ~~30~~ ~~44~~ 59

HORTVS S.CRVCIS,

IN QVO

I. Acroſtichides Græcolatinæ veterum Iconomachorum & Orthodoxorum in S.CRVCEM, cum Commentario & refutatione Edictorum de cultu imaginum, quæ nuper ſub Imperatorum & Regum nomine quidam Caluiniſta euulgauit.

II. CRVX Schirenſis } cum notationibus.
III. CRVX Donavverdenſis } cum notationibus.

IV. Epiſtola Iacobi de Vitriaco de capta à Cruce ſignatis Damiata.

V. Orationes Græcolatinę in S. CRVCEM cum Miſcellaneis de S.CRVCE & poëticis luſibus in Florem Indicum, quem GRANADILLAN vocant.

ACCESSIT

LIBER DE MORE LAVANDI PEDES PEREGRINORVM ET HOSPITVM, CVM PARALIPOMENIS PRO LIBRIS DE SACRIS peregrinationibus & proceſsionibus. Omnia nunc primum in lucem edita

PER

IACOBVM GRETSERVM SOCIETATIS IESV THEOLOGVM.

Anno Salutis M. DC. X.

Cum gratia & priuilegio Cæſ. Maieſt.

INGOLSTADII,

Ex Typographeo ADAMI SARTORII.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

ADMODVM R.^DO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DN. BENEDICTO CELEBRIS MONASTERII SCHIRENSIS IN BAVARIA ABBATI vigilantiſſimo.

MVlta ſunt, *admodum R.^de & ampliſſime Antiſtes*, quæ Monaſterium, cui feliciter R. P. T. præſidet, nobilitent. Nam, ſi originem ſpectemus, conditores habuit celeberrimos Principes ac Comites SCHIRENSES, præſertim OTHONEM & HAZIGAM Regis Aragoniæ filiam: ſi incunabula; ex Arce & auita Schirenſium Procerum ſede fortunatis auſpiciis exſtitit: ſi poſituram, & ſitum; loco amœniſsimo exſtructum eſt, in colle herbido & viridante, quem vndique horti & agri fructiferi ac frumentiferi cingunt. Si antiquitatem; iam ſexcenteſimum annum agere cœpit. Si Præſules & religioſos inco-

las; multos pietate & eruditione præſtantes viros aluit.

Et quidem, ſi primas tribuam ERCHENWOLDO Abbati primo; nemo, opinor, iure me reprehenderit; quippe qui ex diſciplina & inſtitutione eximij illius, & omnium Annalium voce decãtatiſsimi VVILHELMI Abbatis Hirſaugienſis profectus, tanti magiſtri haud degener diſcipulus, poſteris omnibus, ad BENEDICTINI inſtituti accuratam obſeruationem, exemplo præiuit; adductis ſecum ex eadem VVILHELMIANA ſchola duodecim ſodalibus; qui veluti duodecim fundamenta, ad imitationem cœleſtis illius ciuitatis, de qua in Apocalypſi D. Ioannes, Schirenſe Cœnobium, religione, omniq́ue virtutum genere fundarent, ac ſolidarent. Taceo IOANNEM, cognomento, TVRBEYT, & IOANNEM CHRYSOSTOMVM HIRSBECKIVM Abbates, R.P. T. anteceſſores, vt monaſticæ vitæ cultu, ſic & litterarum amore inprimis conſpicuos. Conrado certè Schirenſis ædis indigenæ,

hoc

hoc monumentum ære perennius poſuit Auentinus: CONRADVS PHILOSOPHVS MONACHVS IN SCHEVRN PRIMARIVS ET ÆDITVVS, HOMO DILIGENTISSIMVS, QVI MANIBVS SVIS PLVS QVAM QVINGENTA, VT TVM MOS FVIT MONACHORVM, INGENTIA VOLVMINA SCRIPSIT IN MEMBRANIS, POETAS, ORATORES, HISTORICOS, VETERES THEOLOGOS, QVÆ IN SCHEVRN MONSTRANTVR, VBI ET CHRONICON EIVS AVTOGRAPHON SERVATVR, IMPERATORE FRIDERICO II. RERVM POTIENTE OBIIT. *Auent. init. li. 7. hiſt. Boior.*

Sed inter omnia Schirenſia decora ac ornamenta, nihil plus admiror ac ſuſpicio, quam precioſiſsimam illam CRVCEM ex ligno Dominicæ CRVCIS confectam; quæ micat inter alias Cælitum Reliquias, quibus Schirenſis Eccleſia largiter inſtructa eſt, *velut inter ignes Luna minores. Non adæquabitur ei topazius de Aethiopia*; (quidni enim de Cruce hac, Redemptoris noſtri diuino ſanguine rigata, vſurpem verba, quæ Iob de Sapientia protulit?) *nec tincturæ mundiſſimæ componetur. Excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione eius. Non dabitur aurum obryzum pro ea; nec appendetur ar-* *Iob. 28.*

 gentum

gentum in commutatione eius. quia & aurum & argentum, quantumuis copioſum, infra tanti theſauri dignitatem & æſtimationem poſitum eſt.

Porrò cum nuper, pro meo in ſanctam Crucem affectu, hunc CRVCIS HORTVM plantaſſem; variiſque ex locis, quę ad illius ornatum facerent, varia conquiſiuiſſem; religio mihi erat, CRVCEM SCHIRENSEM, plantam fronde, flore, germine nobiliſsimam; cui nulla ſylua profert parem, pręterire. Tranſtuli igitur & hanc in hunc meum Hortum; eumq́; totum, quantus quantus, & qualis qualis eſt, R.dæ Paternit. Tuæ, Admodum *R.de Domine Prælate* dico & dedico. Id inprimis monebat ipſa CRVX SCHIRENSIS, notationibus ſeu commentariolo à me explicata & illuſtrata: hoc enim nouo cultu veſtita, non alio, quàm SCHIRAM proficiſci geſtiebat.

Idem iubebat ſingularis illa beneuolentiá, qua R. P. T. & tota familia, cui præeſt, Societatem noſtram complectitur: cuius fru-

fructum, niſi me quoque ſæpius iam à multis annis percepiſſe palam confiterer; iure vel obliuioſus, vel ingratus haberer. Sit igitur hic Hortus noſtræ gratitudinis, & in R. P. V. totumque Conuentum SCHIRENSEM obſeruantiæ, exile quidem, ſed tamen publicum teſtimonium. Nec abnuo, me etiam ad hanc inſcriptionẽ impulſum admiratione Virtutum R. P. V. cui id tempore ſuæ adminiſtrationis potiſsimum curæ fuit, vt pietate & eruditione Monaſterium floreret, cultusque diuini penſum DEO accuratè perſolueretur: neque enim ignorat, ex hoc velut capite; cętera omnia, quæ expeti ſolent, progigni, iuxta illud Domini: *Quærite primum regnum DEI, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* *Matth. 6.*

Quapropter inter cætera cæleſtis fauoris argumenta, hoc itidem diuinitus R. P. V. obtinuit, vt iam ab Anno Domini M. D. LXXIV. vſque ad hunc præſentem M. IↃC. X. Cœnobij Schirenſis habenas proſperè teneat ac moderetur: ita vt ex

triginta ſex R.P.V. in gubernatione Anteceſſoribus; nullus omnino trigeſimum ſextum annum attigerit. DEVM precor, vt hanc temporalem & deſituram felicitatem, æterna illa & interminata beatitudo excipiat. Ingolſtadij XI. Auguſti. M. DCX.

Admodum R.P.V. ſeruus in Chriſto

Jacobvs Gretservs.

LECTORI.

AMICE Lector. *Quinta eſt hæc ſcriptio, quam euulgo pro illuſtranda ſanctæ Crucis gloria. Si priores Crucis amatoribus placuère, ſpero neque hanc diſpliciturum, ſi non meo, at ſacroſanctæ Crucis merito. Quanquam in prima huius libri parte non tantum Crucis, ſed & imaginum cauſſam agere oportuit, cogente me ad hoc patrocinium ſuſcipiendum importunitate Goldaſti Caluiniani, qui nuper omnia veterum Iconoclaſtarum retrimenta vnam in cloacam conuexit ac congeſſit; & vt oletum hoc ſuaueolentius efficeret, non pauca ex Zvvinglij, Caluini & Lutheri haris adiecit: Et lectoribus, quos hæc talia delectant, propoſuit, eum ferè ſtylum ſecutus, quo in Illuſtriſſimum Cardinalem Baronium graſſatur. Cuius tamen extremam petulantiam nuper caſtigauimus editâ pro celeberrimo Annalium conditore, & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ parente, apologia; in qua etiam de Teſtamento Friderici II. Imp. actum, quod Goldaſtus in dubium reuocare* fol. 448.

ſtuduit, odio eorum, quæ Fridericus in gratiam libertatis Eccleſiaſticæ eo in Teſtamento conſtituit. Nihil in Matthæo Pariſienſi Tiguri excuſo inuenire potuit; quia noluit; ſi voluiſſet, hæc de Friderici Teſtamento reperiſſet. Qui, vt dicitur, videns mortem ſuam indubitanter imminere, contritus pro peccatis ſuis confeſſionem fecit pleniſſimam cum lacrymarum vbertate, ſe DEO commendans, & ordini Ciſtercienſi, vnde habitum Ciſtercienſium ante mortem, vt nobis ſuorum fidelium patefecit certa relatio, humiliter ac deuotè ſuſcepit. Et quia mors in foribus erat, quidam Epiſcopus ex parte DEI, qui neminem in ſe credentem vult perire, ipſum, ſatisfactionem promittentem, abſoluit.

Fol 786. Edit. Tigur.

Ab alto igitur ſuſpirans pectore, & aſſerens ſe malle nunquã fuiſſe natum, vel habenas imperij ſuſcepiſſe, pro cuius iuribus recuperandis & ſuſtinendis, tot & tantis fuerat inebriatus amaritudinibus, tale dicitur condidiſſe Teſtamentũ: Ego Fredericus inprimis relinquo pro anima mea, centies mille vncias auri pro terra ſancta, S. Romanæ Eccleſiæ recuperanda, expendenda, & exponenda, ad voluntatem filij mei Conradi. Item volo, quòd omnia malè ablata reſtituantur. Item, omnes captiuos de Imperio & Regno relin-

linquo liberos, exceptis proditoribus tantū. em, relinquo totam terram Eccleſiæ liberam, volo quòd iura Eccleſiæ reſtituantur. Item, ieum hęredem relinquo, Conradum in Impe- o Romano & regno Siciliæ. Item, relinquo fi- o meo Henrico, regnum Hieroſolymitanum, decem millia vnciarum, ſecundum volunta- em Conradi filij mei. Item, nepoti meo, filio cilicet filij mei Henrici, relinquo ducatum Au- triæ, & decem millia vnciarū auri. Item, Man- redum filium meum relinquo Balliuum Con- adi in Imperium, à Papia, & citra, & regno Si- iliæ, vſque ad LXX. annos, excepto, quando Conradus erit præſens. Item, ſepulturam meā ligo apud Pannoniam, vbi iacuit Rex VVilliel- mus. Hæc & alia multa continet dictum Teſta- mentum, quorum non recordor, quia minus fuerunt notabilia. *Hæc Matthæus ille de Friderici II. Teſtamento, cum quibus hanc præfatiunculam finio, & te, quiſquis es ſanctæ Crucis amator, bene valere; hoſtes autem eiuſdem ſanctæ Crucis reſipiſcere, ni æternum interire velint, opto.*

In

HORTVM S. CRVCIS

CARMEN CLARISSIMI DOMI-NI PHILIPPI MENZELII P. L. MEDICINÆ DOCT. EIVSDEMQVE IN ACADEMIA Ingolſtadienſi Profeſſoris.

MVLTA triumphali quanquam ſuper arbore dicta
Sint, GRETSERE, tibi, quæ victima cæſa pependit,
Æternum quæ ſola potis placare tonantem:
Non tamen exhauſti ſatis eſt: meritoq; reſumens
Inſtaurat veterem tua ſedula cura laborem.
Plura adeò dictis ſemper dicenda ſuperſunt:
Quæ tibi multiplices puteos, atq; omne per æuum
Scrutanti, ad vigilem, veſtigantiq; lucernam
(Mellilegæ ceu prata ſolent per aprica volantes)
Accumulat, certans operoſa induſtria ſecum.
Et verò quæ dignâ queat tam nobile lignum
Laudibus in cælum ſat tollere pagina fando?
Arborei generis nullum felicius illo
Floruit, Eoo frondeſcens in Paradiſo,

Tygris,

ygris vbi, Euphrateſq́, Gyonq́, Phiſonq́ ſcatebāt.
Nam depacta licet Vita, quæ dicitur, arbos,
deiecta comas, & ſucco fœta ſalubri,
Ante alias, horto in medio, ſua brachia latè
panderet effulgens, membris renouare vigorem
Nata, & morbiferæ præuertere damna ſenectæ:
ota tamen fuerat noſtræ huic ea viribus impar:
uæ cœleſte ſacro ſtillat de robore Manna,
mmortale piis reparans mortalibus æuum.
Ac fuit hoc teli genus; hæc fuit illa cataſta,
ccißæ domitrix Mortis, Mundiq́ ſubacti,
diri manibus vincti poſt terga Sathanæ,
Damnatiq́, polo procul, exterioribus illis,
Æternùm, æterno commiſtis igne tenebris.
Id memores tanti veneramur iure trophæi
elliquias, Hominisq́ Dei victricia ſigna.
Nec noſtrâ inter id eſt hilum: minimeq́ moueri
us fuerit, contrà Stygius ſi ſibilat anguis,
iratus ſemper CHRISTI *Crucis impius hoſtis.*
Sat meminit quondā caput hoc ſibi ſtipite fractū
ucifugus, vatum veluti prædicta canebant:
t meminiſſe horret. Quare non deſinit vnquam
eßimus ille, ſuo varios ſubmittere ab orco
rrorum, fraudumq́ fabros: tetroq́ veneno
mbuere: atq́ artes dudùm reuocare ſepultas,
Proſcriptasq́ piis; quibus oppugnata labeſcant
hriſtiferæ vexilla Crucis: tum quicquid vbique

Cælicolûm facit ad nomenq́ decusq́ Quiritum.
Tecum erit ille labor: tibi ſe noua laurea ſeruat,
Macte animo, macte ingenij felicibus auſis,
GRETSERE, & victor toties ex hoſte reuerſus.
Hydra reuiuiſcens, en, Herculis arma, trinodem
Poſtulat hac clauam: tu tantum confice monſtrum,
Atque renaſcentem capitum tot deiice turbam.
Dumq́ adeo turbatur agris: Rhenumq́ bicornem
Inteſtina premunt populando, externaq́ bella:
Totaq́ penè ſagum diſcors Germania ſumit:
Te, ſaltem ſacris ſit pax aliqua, auſpice, rebus.

FINIS.

FACVL-

ACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOC.TIS IESV PER SVPERIOREM GERMANIAM.

go THEODORVS BVSÆVS Societatis IESV per Germaniam ſuperiorem Prouincialis, poteſtate mihi facta ab admodum R.do P. N. CLAVDIO AQVAVIVA, Societatis IESV PRÆPOSITO Generali, permitto P. IACOBO GRETSERO, vt hunc S. CRVCIS HORTVM à deputatis ad id Patribus lectum & probatum, in lucem edat. Quam conceſsionem hiſce literis ſigillo conſueto munitis, & ſubſcriptione propriæ manus teſtor. Ingolſtadij 20. Iunij M. DC. X.

THEODORVS BVSAEVS.

APPRO-

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICAE IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

Hunc S. CRVCIS HORTVM omnibus S. Crucis cultoribus & amatoribus fructuoſum gratumque fore arbitror. Quocirca non obſto, quo minus quamprimum publicetur, & cunctis fructus eius guſtare volentibus patefiat.

PETRVS STEVARTIVS Leodius SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor; Academiæ Ingolſtadienſis Procancellarius, & pro tempore RECTOR, &c.

Pars Prima.

HORTI SANCTAE CRVCIS.

PRÆFATIVNCVLA IN ACROSTICHIDAS SEQVENTES, EARVMQVE EXEGESIN.

HAS Acroſtichidas in ſacroſanctam Crucem miſit ad me Pariſiis *R. P. Fronto Ducæus* Societatis noſtræ Theologus, variis litterarum monumentis, præſertim Operum & Homiliarum *S. Ioannis Chryſoſtomi* editione, apud eruditos [v]bique notus: quas deprompſit ex Bibliotheca Chriſtianiſſi[m]i Galliæ & Nauarræ Regis HENRICI IV. *ἐκ τῶν συγγραμ[μ]άτων τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ θεοδώρου ἡγουμένου τῶν στουδίων [ἀ]ντιῤῥητικῶν κατὰ εἰκονομάχων, ex libris ſancti Patris noſtri & Confeſſo[r]is Theodori, Antiſtitis Monaſterij Studij, quos ſcripſit contra Ico[n]omachos.*

Acroſtichides iſta ex Regia Pariſienſi Biblioth. deprompta.

Octo priorum Acroſtichidum Auctores ſunt *Ioannes, Ser[g]ius, Stephanus, Ignatius*, omnes Iconomachi. Sex poſteriorum [c]onditor ac parens videtur ipſe Theodorus Studita, qui quan[t]us fuerit oſtendi in Notis ad Tomum ſecundum de S. Cruce [f]ol. 603. & accuratius id diſces ex Tomo IX. Annalium Illu[ſ]triſſimi Baronij, vbi ab Anno ſalutis DCC.XLVI. vſque ad [A]nnum DCC.XXVI. inuenies pręclariſſima ſanctiſſimi hu[i]us viri acta. Anno autem DCCC. XCVIII commemo[r]antur ex Michaële Studita Biographo eius lucubrationes; vbi [i]nter cætera hæc leguntur. *Scripſit & librum Iambicis verſibus,*

Quinam ſint Auctores Acroſtichidum?

Acta Theodor. Studita Tomo IX. Annal. Baron.

Scripta Theod. Studita.

 in

in quo & primi parentis ortum, lapſumq́ deſcripſit; Cainique inuidiam, ac manum, qua fratri, heu, iniecta, cædem patrauit iniquiſſimam, Enochi deinde gratam innocentiam, & Noë, ac filiorum exortum, vitam, conuerſationem. Recenſuit inſuper eodem opere vniuerſam Iconomachorum hæreſin, quos vt malorum fautores, atq; auctores anathematis nota perſtrinxit. Nec dubium videtur, quin ex hoc opere hæc in crucem carmina deſumpta fuerint.

Vnde Studij Monaſterium nomen acceperit.

Ibidem ex eodem Michaële refertur, vnde *Studij* Monaſterium nomen acceperit. *Venerat ab vrbe Roma vir genere, & opibus præſtans, Studius nomine, (Euprepium lingua noſtra vocare ſolet) qui, & Patricij, & Conſulis honorem fuerat adeptus. Hic, cùm in hac Vrbe domicilium collocaſſet, præclarum hoc templum magno Præcurſori Baptiſtæ poſuit, monachorum deputans habitationi. Et quidem nullo vnquam tempore defuerunt, qui communem in eo vitam agentes, præclara virtutis, ac religionis ſuæ argumenta darent, quoad Deo inuiſus Conſtantinus Copronymus, indicto monachis bello, cum cæteris omnibus, hos pariter eiecit.*

Quid Suidas de Studio.

Suidas. *Studius nomen Dynaſtæ, qui celeberrimum Monaſterium exſtruxit. Studitarum* μονὴ *antea ad Catholicam ſeu magnam Eccleſiam pertinebat. Poſtea in Monaſterium conuerſa eſt. Idem Studius ædificauit templum S. Michaëlis Archangeli Nacoliæ: in quo viſuntur iſti verſus Heroici.*

Στούδιος ἀγλαὸν οἶκον ἐδείματο, καρπαλίμως δὲ
Ὧν καμὲν εὕρετο μισθόν, ἑλὼν ὑπατηΐδα ῥάβδον.

Studius eximiam Aedem exſtruxit; è veſtigio autem, pro iis, quæ condidit, mercedem accepit, virgam conſularem; hoc eſt, conſul factus eſt.

Conuicia Goldaſti in S. Theodorum.

Caluiniſta Goldaſtus, qui nuper omnes veterum Iconomachorum & Iconoclaſtarum ſordes & forias vnam in ſtruicem congeſſit, & ſpecioſo hoc titulo: *Imperialia Decreta de cultu imaginum in vtroque Imperio tam orientis, quàm occidentis promulgata*; exornauit; vt lectoribus imponeret; non ſemel Caluinianos ſuos dentes in Theodorum noſtrum exerit; *pervicaciæ* eum notans fol. 754. quem & *Imperatoris Leonis Armeni, acerrimum aduerſarium, omniumq́ue Iconolatrarum anteſignanum* appellitat.

Sed

Sed Theodoro Studitæ ſufficit;quòd à nullo vnquam bo-
no vituperatus eſt : re ipſa præſtans, vt quod nomine præfere-
bat, Θεόδωρος, Dei donum, ſeu donum θεόθεν *diuinitus* conceſ-
ſum eſſet, fortis & inuictus pro veritatis defenſione athleta,
etiam vſq; ad carcerem, exilia, grauiſſima verbera, & alia mil-
lena incommoda. Quæ omnia ex Nono Cardinalis Baronij
Tomo abundè intelliges.

Laus S.Theodori Studitæ.

Quis ſit ille Sergius ſexti carminis Auctor, docebit te hi-
ſtoria de vita & Martyrio S.Stephani Iunioris inter opera Da-
maſceni, vbi Sermo eſt de Calliſto, Patricij Ordinis viro, vul-
pino, & ad omnem vafritiem ficto; quem Conſtantinus Co-
pronymus ad Monaſterium Auxentianum ablegauit; vt ſan-
ctum Stephanũ ad partes Iconoclaſticas traduceret, ſed cum
res non ſuccederet, ad calumnias & ſycophantias ſe conuer-
tit, ſeducto vno ex B.Stephani diſcipulis, Monacho, cui *Sergio*
nomen; vt techna, quam perfidus Calliſtus texebat, eo plus
veriſimilitudinis haberet. Accipe verba eius Scriptoris, qui
res præclariſſimè & fortiſſimè à S.Stephano geſtas, in litteras
miſit.

Quis Sergius.

Sergius, Monachus Apoſtata.

*Cæterum ille κάκιστος, hoc eſt, peſſimus, potius, quàm Calliſtus, cum
vnũ ex ſancti viri diſcipulis, nomine Sergium, de quo iam nos verba
facturos promiſimus,* (ſuprà nimirũ, vbi recenſuit, quos Diſcipu
los B.Stephanus adſciuerit; nam inter illos recenſet *improbum
illud par Sergium & Stephanum, de quibus,* inquit, *inferius verba
faciemus) remotis arbitris accerſiuiſſet, ac verſutis quibuſdã ſermoni-
bus, & pecuniis eum corrupiſſet, miſero illi perſuadet, vt non Iudam
ſolùm proditionis reum agi ſinat, ſed ipſe quoq; rurſum patris, ac præ-
ceptoris ſui proditorẽ ſe præbeat. Confeſtim igitur in ipſius perniciem
meditari non deſiit, atque omnem artem adhibere, quò magnum il-
lum virum caſſibus ſuis implicitum teneret. Vt autem fruſtra ſe labo-
rare, ac nihil efficere perſpexit: (cur enim ſacram illam animam, atq;
ab omni reprehenſionis nota immunem aggrediebatur?) ſtatim à ſan-
cto ouili digreditur, velut nimirum filius improbus, atque alienus, à
ſemita recta claudicans; atque ad eum, qui legendis Nicomedienſis
ura vectigalibus præerat, Aulicalamum nomine, accedit, eumq; ſo-*

Calliſtus corrũpit Sergium verbis & nũmis.

Sergius Iudæ ſodalis.

Sergius inſidiatur S.Stephano.

 cium,

cium, & adiutorem in his, quæ aduerſus ſanctum virum ſtruebantur, adhibet. Ambo igitur in capitis ſui perniciem inito conſenſu, libellum in eum calumniis refertum peruerſiſſimo animo conſcribunt. In quo illud primum inſerunt, eum Imperatoris, tanquam hæretici, nomen execrari, ac diris deuouere, eumq́; Syrum, ac Vitelium appellare, atque aduerſus ipſius maieſtatem techna moliri, &c.

Quis Stephanus Auctor ſeptimi carminis.

De Stephano, cuius nomen ſeptimo Carmini præfigitur, hæc idem Auctor in eadem Hiſtoria de vita S. Stephani Iunioris: narrans enim, quomodo omnes diſcipuli Magiſtrum quæſiuerint, & in Proconneſo inſula repererint: *Tandem autem eum,* inquit, *cum in Proconneſum veniſſent, inuenerunt, duobus duntaxat exceptis, qui à præclariſſimo illo ouili, vt à diuino duodenario Iudas, vel potius, vt à Paulo Demas, & Hermogenes, ſeſe auulſerant, ac pro monaſtico habitu mundanum induerant, nimirum Sergio, de quo ante verba fecimus, qui etiam inuectiuum, atque execrandum aduerſus ſanctum virum volumen condidit; ac ter miſero Stephano, qui cum presbyter, ac ſupradicti Calliſti miniſter primùm exſtitiſſet, ac deinde à ſancto viro in monachorum album adſcriptus fuiſſet, atque in Montis monaſterio ſacerdotis munus obiiſſet, poſtea tamen & monaſticum habitum, & Deum eiurauit, atque ab ipſomet tyranno mundana veſte indutus (quem prius vitam abiicere oportebat) nefariam illam vocem emiſit; (ô ſcelerata labia? ô impuram, & fœtidam linguam?)* Hodierno die, *here, à Satanicis faucibus operâ tuâ ereptus, ac tenebroſo amictu exutus, ſplendidum pallium indui. Cuius execrando ſermone tyrannus ſummopere delectatus, Sophiani Palatij miniſtrum eum conſtituit.* Quò etiam crebrò commeans, *gaudij patrem, eum, qui multis luctibus dignus erat, appellabat.*

2. Tim. 4.

Stephanus Apoſtata.

Scripſit librum contra S. Stephanum.

Nota vocem & morem Apoſtatarum huius ætatis.

Quis Ioannes.

Ioannem, cuius eſt primum & quartum carmen, arbitror eſſe illum acerrimum Iconoclaſtam, cuius impulſu Theodorus & Theophanes, fratres, Palæſtini, & Monachij Lauræ S. Sabæ, Anno primo Michaëlis Balbi Imp. Conſtantinopoli expulſi ſunt, de quo ex veteri Auctore Baronius Anno Redemptoris DCCC. XXI. N. LIV. *cum tantam virorum* (Theodori & Theophanis) *virtutem non ferret Ioannes Magus Ægyptius & Mambre ſodalis, tam apertè reſplendere, eos includit in carcere: &*

Ioannes Iconoclaſta Magus.

poſtremo,cum eis in ſermone congreſſus, cum non poſſet aduerſus os decertare,ſed, vt dicitur,capream pugnam inire cum leonibus; s vi rurſus expellit è ciuitate, vt, qui multum poſſet apud Impera-rem,tum quod eſſet eiuſdem ſententiæ, tum quod eſſet indutus ha-tu monaſtico,& quandam præ ſe ferret pietatis ſpeciem : per quam Imperatorem,& multos ex iis, qui gerebant magiſtratus, decepit eleratus,& indignè paulò poſt aſcendit ſedem Patriarchalem, &c.
btinet autem Patriarchalem Thronum Anno DCCC. XXV. Theophili Imp. beneficio,cuius Pædagogus fuerat; uem ex Ioanne Curopalata genuinis coloribus depingit eo-em Anno Card. Baronius Num. 26. Quem,qui volet, conſu-t. De eodem Ioannes Zonaras & Cedrenus in Theophilo ui Cedreno eſt *Iannes* propter Magiæ ſtudium.

De Ignatio,cuius eſt ſecundum & quintum carmen, nihil ompertum habeo, ne per coniecturam quidem. Deplorat heodorus Studita in Epiſtola ad Ioſephum fratrem, Epiſco-um Theſſalonicenſem, multorum ἡγουμένων, hoc eſt, *Monaſte-ii præfectorum* in Iconoclaſticam impietatem lapſum. Et in piſtola ad Naucratium ſalutari cupit *Ignatium Abbatem.* n & hic poſtea in præceps actus ad Iconomachorum factio-em tranſiit? Sed vnde huic ſuſpicioni fulcrum?

De Ignatio nihil mihi compertum.

Exſt. apud Bar. Tom. 9. Anno DCCC. XV.

Nec eſt, quod mireris, Crucem; Præcones & Encomiaſtas periiſſe Iconomachos: An non & populus Iſraëliticus olim e Balaami, licet hoſtis infenſiſſimi, ampliſſimis laudibus cantatus eſt Num. 23. & 24. Quanquam Iconomachi, vt ibi dictum, imaginem Crucis non repudiabant, ſed priua-m & publicè pingebant, retinebant, imò & colebant; ſine men ſuperaddita Chriſti Crucifixi effigie; hanc enim nullo odo tolerabant; ſed ſolam & nudam Crucem : Quæ om-a plana apertaque etiam ex his Iambis fiunt; quorum non odò literæ initiales, ſed & mediæ ac *finales*, vt ita loquar, rbum aliquod efficiunt; & verba inter ſe copulata ſen-m. Quo genere carminis Græci Hymnographi ſacri ma-opere delectantur, vt videre eſt in Hymnis, qui inter ope-Damaſceni, & in Græcorum Ritualibus libris exſtant: Ple-

Tom. 1. de S. Cruce lib 1. cap. 58. 83. & 100.

Iconomachi Crucem eiusq. cultum retinebant.

rique enim ſunt *Acroſtichides*, ſenſumque aliquem ac ſententiam, primis ſaltem literis, quas *capitales* nominamus, reddunt; qualis Acroſtichis reperitur quoque ex Sybilla apud Euſebium in Orat. Conſtantini Imp. cap. 8. de qua in opere de S. Cruce diſputatum eſt. Nunc ipſos Poëtas audiamus.

Tom. 1. lib. 1. cap. 49.

ΙΑΜΒΟΙ ΕΙΚΟΝΟ-ΜΑΧΩΝ. I.

Χ ριστὸς καθεῖλε σ Τ αυρικῷ θείῳ σθένει Ι
Ρ οπὴν φάλαγγος δαιμ Ο νων, τοῖς ἐν Βί Ω
Ι σχὺς πεφυκὼς Ε Λ Π Ι Σ εἰς κράτος μέγ Α,
Σ αφῶς διδάσκων Α υτῷ προσέχειν μόνο Ν.
Τ οιχογραφεῖν οὖν οὐ Θ έμις τὸν δεσπότη Ν
Ο λος θεὸς γάρ ἐστιν Ο ὐ τραπεὶς πλάν Η
Υ ψῶν ἄνακτας εὐ.. Σ εβεῖς ἐν τῷ στέφει Ι

Verſio ad verbum.

Chriſtus deſtruxit Crucis diuino robore
Vim turmæ Dæmonum, iis, qui viuunt,
Fortitudo effectus (&) ſpes, in potentiã magnam:
Clarè docens ipſi attendendum ſolùm.
In muro igitur pingere Dominum, nefas.
Totus enim Deus eſt, non mutatus ab errore:
Exaltans Reges pios in corona.

EXPLI-

EXPLICATIO.

SENTENTIA ex literis initialibus, mediis, & finalibus reſultans eſt iſta. Χριςοῦ τὸ πάθος Ἰωάννῃ ἐλπίς. *Chriſti paſſio eſt Ioanni ſpes*: nam vocula ἐλπίς in medio tertij verſus poſita literam ſuam Π ad vocabulum πάθος conſtituendum cõ-odat: & poſtea in fine integra aſſumitur: Qua de cauſſa grandiuſ-lis quoque literis deſignatur, quod iterum fit in Iambo quarto uſdem Ioannis. Et ſimile quid videre licet in voce σωζεῖν & σωζεῖς in mbo quinto, ſexto & ſeptimo Ignatij, Sergij, & Stephani. *Artificiũ huius Epigrammatis.*

Jn ipſo Iambo obſerua. I. Cruci, in quo Chriſtus pependit, tribui ον θεῖον, *diuinum robur, vim & efficacitatem diuinam*. Num hodierni Ico-omachi, præſertim Caluiniſtæ, & in his ille, qui nuper omnia Ico-oclaſtarum excrementa, quàm ſtudioſiſsimè collegit, eodem elo-o dignantur Crucem Chriſti, etiam illam, quæ Redemptoris noſtri nguine purpurata eſt? *Encomia, quæ Iconomachus Poëta Cruci tribuit.* *Vide Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 55.*

. *Cateruas Dæmonum* vi & energia diuina Crucis fugatas, imò & ntritas eſſe, aſſerit Iambographus iſte Iconomachus. Num eadem ens eſt hodiernis Iconoclaſtis, & imaginum euerſoribus? Num fa-ntur Chriſtum Cruce, tanquam inſtrumento, Dæmonum potenti-n & ſæuam tyrannidem euertiſſe? *Crux fugat Dæmones.*

Redemptorem noſtrum viuentibus *vim, robur & potentiam*, factum e; vt aſſerit Iambographus, in confeſſo eſt apud omnes; quia *non ſumus quidquam ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; ſo Chriſto dicente; *Sine me nihil poteſtis facere*: quidquid enim viri-n, aduerſus ſpiritales nequitias nobis ſuppetit, hoc Chriſto Re-mptori in acceptis referri debet. Nec abnuimus, ipſi ſoli atten-ndum; quandoquidem Pater dixit; *Ipſum audite*: ſed negamus, à nriſto recedi, ſi quis ad imaginem Chriſti, vel alicuius ſancti, men-n & cogitationem conuertat; quia conuerſio illa mentis & cogi-tionis ad imaginem Chriſti; tranſit ad Prototypum, hoc eſt, ad ſum Chriſtũ: vt & omne illud, quod ſanctis vel ſanctorum imagini-is impenditur; totum enim ad laudem & gloriam Dei ſpectat. *2. Cor. 3.* *Ioan. 15.* *Matth. 17.*

Nihil porro rationis habet, quod Iconomachus poëta ait: *Nefas Chriſtum pingere; eò quod Deus ſit*; nam, ſi, vt verè & ſcitè ait Theodo-s Studita, *communi omnium conſenſu Dominus* IESVS *Chriſtus in humana na noſtra viſus eſt: congruenter profectò circumſcribitur, & imagine exprimi-more noſtro, quamuis incircumſcriptus ipſe maneat ſecundum formam diuinã; ppe, qui mediator eſt Dei & hominum, vtriusq; naturæ, qua conſtat, proprieta-integras conſeruans. Quod ſi non circumſcriberetur, homo eſſe deſineret, ac mul-tò ma-* *Theod. lib. 2. Epiſt. 1. ap. Bar. Anno 814. n. 38.* *Chriſtus homo rectè pingitur.* *Pulchrè hoc oſtendit Theodorus.*

tò magis mediator, ſublatis vnà cum circumſcriptionis priuatione, omnibus eiuſdem ordinis proprietatibus. Etenim, ſi circumſcriptitius nō eſt, nec tangi vtiq; poteſt: ſin tangi poteſt, vtiq; & circumſcribi: quibus ſanè contradicere, ſtultum eſſet: corporis enim hæc propria ſunt, quæ ſub tactum, coloremq́; cadunt. Quomodò non circumſcriptitius, quando & paßibilis? Quod ſi circumſcriptitius & paßibilis, omninò etiam adorandus, ſecundum eam nimirum formam, quæ circumſcribitur, cùm prototypi gloria, ſicut Magnus Baſilius docet, in ſimilitudinis expreßione minimè diuidatur: honor ſiquidem imaginis ad prototypum tranſit; quæcunq; haud dubiè illa ſit, ſiue naturalis, ſiue arte facta. quandoquidem & in ueneranda Crucis typo eadem ſpeculatio locum habet. Cùm typi enim adoratione viuificum ſimul lignum adoratur; & vice verſa, eâ ſublatâ, ſimul tolli neceſſe eſt. Nonne typi confeßio, confeßio eſt viuifici ligni? eodemq́; modo, negatio, iuxta conuerſionis ſimilitudinem? Par igitur analogia in imagine Chriſti, & Chriſto ipſo ſumenda eſt, omni rectè ratiocinanti.

Iſta de circumſcriptione corporis Chriſti, etiam Vbiquiſtis noſtris occini poſſunt.

Exiſtimat ergò Theodorus negatione & ſublatione imaginis Chriſti; negari & tolli etiam ipſum Chriſtum; quemadmodum negatione imaginum primæ Crucis, negatur ipſa prima Crux, in qua Chriſtus mortem moriendo ſuperauit.

Copronymi delirium.
In Act. S. Steph. fol. 542.
S. Stephanus Iunior confutat Copronymum.
Quomodo Deus pingi nequeat.
Qua ratione Chriſtus pingatur.
1. Ioan 1.

Contendebat quoque Copronymus in diſputatione cum S. Stephano Iuniore, Chriſtum pingi non poſſe, *quia Deus ſit.* Ad quem Stephanus. *Ecquis mortalium, qui quidem mentis compos ſit, diuinitatis naturam, quæ & materia caret, & omnem mentis captum fugit, coloribus è materia conflatis, pingi poſſe dixerit? Cuius enim forma ne mente quidem delineari poteſt: quonam tandem modo, ipſa coloribus exprimi queat? At nos, cùm Chriſtum in imagine pingimus, diuinitatis naturam haudquaquam pingimus: verùm, theandricam eam formam, quæ in noſtra ſpecie apparuit, quamq́; Apoſtolicæ manus contrectarunt, quemadmodum alicubi ait Theologus Ioannes: quod vidimus, & manus noſtræ contrectauerunt.*

Exod. 20.
Heb. 9.

Quod ſi mihi dictum illud Moſis in medium protuleris: Non facies tibi ſimilitudinem vllius rei, tam ex his, quæ in cælo, quàm ex his, quæ in terra ſunt: hunc ipſum Moſem tibi oſtendo duorum Cherubim effigiem auro efficientem. Quibus de rebus ad hunc quoq; modum diuinus Apoſtolus diſſerit: & Cherubim obumbrantia propitiatorium. Quin ipſum quoq; propitiatorium, & tabernaculum teſtimonij, & ſancta ſanctorum, an non cæleſtium figuram exprimebant? quemadmodum idem Apoſtolus rurſus ait: Vmbras cæleſtium deſeruimus. Quid igitur ſceleris admittimus, cùm Chriſti formam humanitus aſpectam in imagine pingimus & adoramus?

Heb. 8.

Synedrium Iconoclaſticum.

Similia deliriis Copronymianis de Chriſti imagine non effingenda; ſancita ſunt in Pſeudoſynodo ſub Conſtantino Copronymo & Leone eius filio celebrata in Blachernis, in Aede Deiparæ Virginis

Anno

nno DCC.LIV. quæ integra ſeptimæ Synodi Nicænæ Catholicæ Oecumenicę intexta eſt, Act.6. nec intexta tantùm, ſed & verbatim ccuratiſsimè refutata: cuius Pſeudopatres ſemper hac chorda obrrant, *Chriſtum, vt Deum, non poſſe pingi; Chriſtum ergo non eſſe pingendum. hriſti diuinitatem non poſſe coloribus effigiari. Eos, qui Chriſtum effigiant, huanitatem à Verbo diuellere, & cum Neſtorio duas perſonas ſtatuere: & quateritatem in diuinis procudere.* Quæ omnia vaniſsima ſomnia ſunt, vt euienter oſtenditur in ſeptima ſynodo. *Inſcita Iconomachorum commenta.*

Nec Chriſtus pingitur, vt diuinitas eius exprimatur; ſed, vt is, ui Deus eſt, oculis noſtris repræſentetur. Et ſi ideo Chriſtus pingi on poteſt, quia diuinitas eius coloribus exprimi non poteſt; nulis homo pingi poterit, quia nullius hominis anima vel vita colobus exprimi poteſt. Et ſi ideo humana Chriſti natura à Verbo iuellitur, & duæ perſonæ conſtituuntur, quia Chriſtus pingitur; tiam duæ perſonæ conſtituentur, quando PETRVS vel Paus coloribus adumbratur; & vita ſeu anima à corpore eius ·iungetur, cum vitam & animam coloribus effigiare ſit impoſsiile. *Refutatio Iconomachorum.*

CaluiniſtaGoldaſtus hanc totã Pſeudóſynodũ ex ſeptima Synoo exſcripſit, & in Iconoclaſticas ſuas *Patrocliani* nõ abſimiles ſelis tranſtulit; omiſſa refutatione inaniſsimorum commentorum, uam Patres ſeptimæ Synodi adiunxerant. Cur præteriit; niſi quia on gemmas ex ſtercore; vt Virgilius ex Ennio; ſed ſtercora ex gemis colligere didicit. *Gold. Caluiniſta ex ſeptima Synodo transſcripſit Iconoclaſticum conciliabulum.*

Vocat *Oecumenicam* ſeu *vniuerſalem* ſeptimam Synodum CCC. XXVIII. Epiſcoporum. *O ſingulare mendacium*, exclamabat .Stephanus Iunior, cum huius ipſius Pſeudoſynodi tam falſum, ab omni ratione alienum elogium legi audiret: *infirmo etenim, caduco fundamento, caducum quoque profectò, & imbecillum ædificium imoſuiſtis. Quonam enim modo, ſanctum exiſtimari queat, quod ſancta profaare minimè dubitauit? Quid enim? An non ſancta à vobis protrita ſunt? n non, cùm in Concilio veſtro ſederetis, libellus vobis à piis quibuſdam viris obtus eſt, qui Epiſcopum quendam eo nomine deferret, quod lancem ſanctam, in ua Chriſti, ac Dei genitricis Imagines ſculptæ erant, contriuiſſet? Vos autem ntritionis illius crimen Imaginibus adſcribentes, ipſum quidem omni crimie abſoluiſtis, pios autem viros ab Eccleſiæ cœtu proſcripſiſtis, idolorum indices eos appellantes. Quo, quid audacius, flagitioſiuſq́; fingi poſsit? n non etiam ſacram ſupellectilem ſanctis Imaginibus exornatum concerpſiis?* *S. Stephanus Iunior refellit impudentiam Caluiniſticam.*

An non adiectiuum hoc, SANCTVS, ab omnibus iuſtis, ab omnibus Apoſtolis, à Prophetis, à Martyribus, piisq́; viris abiecistis? Sancitum enim à vobis eſt, ó generoſi viri, vt, cum quiſpiam ad horum aliquem abiret, ex eoq́; quæreretur, quo iret, reſponderet; Ad Apoſtolos, ad XL. Martyres; ſi vnde veniret, itidem reſponderet; Ex templo Martyris Theodori, ex templo Martyris Georgij. An non hæ veſtræ doctrinæ ſunt? Quonam ergo pacto, qui ſancta proſcripſiſtis, ſanctum Concilium coëgiſtis? O ſingularem abſurditatem. Iam qui Oecumenicum iſtud Concilium vocari queat, quod nec Romanus Antiſtes, citra cuius autoritatem nullo modo fieri poteſt, vt res Eccleſiaſticæ ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobauit, nec Antiochenus, nec deniq; Hieroſolymitanus? Vbinam eorum libelli ſunt? aut quinam per diuerſa loca miſſi ſunt, quibus falſum veſtrum Concilium confirmaretur, vt hac ratione Oecumenicum cenſeri poſſit? Tum autem quonam modo ſeptimum dicatur, quod ſex priora Concilia minimè ſequitur? Quidquid enim ſeptimum eſt, ſextum, & quintum, eaq́; quæ antecedunt, ſequatur neceſſe eſt, vt ſeptimum eſſe queat. Cùm igitur vos ſex Conciliorum ſanctiones abrogaueritis, quid eſt, quamobrem Concilium veſtrum ſeptimum appelletis? Hæc præclariſsimè S. Stephanus, Martyr inuictus.

Impudentia Caluiniſtica.

Non eſt prætereunda hic ſingularis malitia, ne dicam nequitia Caluiniſtæ Goldaſti; qui inuerecundè negat, Copronymum vetuiſſe hoc, quod eum vetuiſſe iam ex fideliſsimè conſcriptis S. Stephani Actis audiuimus, nempe ne cui hoc vocabulum SANCTVS, tribueretur. *Imperator*, inquit Caluiniſta, *non vetuit, ne Chriſtiani vocentur ſancti*, (non agitur abſolutè de omnibus Chriſtianis, ſed de cælitibus iam cum Chriſto in cæleſti beatitudine regnantibus) *in quo ſacræ ſcripturæ manifeſto refragaretur* (ſi apertè ſacris literis refragatur; qui vniuerſim Chriſtianis *Sancti* appellationem adimit, quanto magis ſcripturis ſanctis obluctabitur, qui *Sancti* nomen Prophetis, Apoſtolis & Martyribus inuidet, vt fecit Copronymus.) *Sed ne imaginibus, eorum nomina adſcribantur, neu tribuantur, quos repræſentant: Exempli gratia, ne imago Chriſti vocetur Chriſtus*, ein Jeſulein: *aut imago ſemper Virginis Dei genitricis nuncupetur Maria*, vnſer Fraw / *ſiue* vnſer liebe Fraw: *ne imago Chriſti in cruce pendentis appelletur Crucifixus*, ein Crucifix: *neúe imago Agni Paſchalis nominetur* Agnus Dei; *ne deniq́; vllius Sancti, vel Apoſtoli imago indigitetur ἐν τῷ ὑφεστικῷ, ſeu indiuiduo ſui relati proprij, tanquam verbi gratia, Petrus, Paulus, Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus, &c. itemq́; in qualitate per ſe, & quaſi abſtractè conſiderata, ſanctus, Apoſtolus, Martyr, &c.* Heiligen / Apoſtel / Martyrer / ꝛc.

Hæc

Hæc Caluiniſta fraudulentiſsimè; nam & hoc prohibuit Copro-
ymus; & illud, quod Acta S. Stephani commemorant: quæ ſigni-
cant, non tantum imaginibus, ſed ipſis cælitibus, impia Coprony-
i ſanctione, nomen SANCTI fuiſſe ablatum; non enim ferre volu-
, vt quis diceret; ſe ire ad *ſanctos Apoſtolos*, ad *ſanctos quadraginta Marty-
s*; ſed elogium *Sancti* omitti iuſsit. Sic, rogatum vnde veniret, re-
ondere nolebat, *ex templo ſancti Martyris Theodori*; *ſancti Martyris Geor-
*; ſed; Martyris Theodori; Martyris Georgij, &c.

In eandem ſententiam Suidas de Copronymo. ὡς καὶ θεσμὸν ἐκ-
ῦ καθολικὸν ἐκδίδοσθαι, μὴ λέγεσθαί τινα τῶν θεραπόντων κυρίου, τὸ παράπαν, ἅγιον,
λὰ καὶ τὰ λείψανα τούτων ἐμπτυόμενα διαπτύεσθαι, καὶ μηδὲ πρεσβείαν αὐτῶν ἐξαι-
ῖν. οὐδὲν γὰρ ἰσχύειν. Id eſt: *vt lege ſanciret, ne quiſquam prorſus ſeruorum Domini
anctus diceretur. Sed & , vt eorum reliquiæ conſpuerentur, nec eorum interceſsio
teretur. nihil enim eos poſſe.*

Vetuit quidem poſtea Michaël Balbus, ne imaginibus nomen
ancti adſcriberetur; vt Cedrenus & Ioannes Curopalata in Michaë-
Balbo referunt; ſed Copronymus plus voluit, ne ipſi nimirum
elites cum Chriſto immortalem vitam viuentes, *Sancti* appellaren-
ır. Quod teſtatur etiam Zonaras in Copronymo his verbis. *Sancti
tulum neque Deiparæ, neque vlli eorum, qui Deo placuere tribui iuſsit; ſed dici
oluit; Apoſtolus Petrus & Paulus, Martyr Theodorus & Georgius.* Eadem Ce-
renus, & alij.

Nunc impoſturas Goldaſti, qui omnes Iconoclaſticas ſordes
num in cumulum conuerrit ac conuexit, diſcutiamus. Ait; *Suidam
alitioſè hæc de Copronymo ſcripta reliquiſſe.* Crederem, niſi viderem
unc Caluiniſtam, totum, quantus quantus eſt, *Copronymianum* &
aballinum eſſe. Eius enim amore raptus, & in ſtuporem quaſi da-
ıs, repudiat omnes veteres tam Latinos, quàm Græcos ſcriptores;
mnes huic mendaciloquentiſsimo ſectario mentiuntur; omnes
lenni ſunt ac bliteí; omnes vanitatis & Pſeudologiæ poſtulantur, ſi
uid ſcribant, quod Copronymum feriat.

Ait Caluiniſta. *Theophanes fuit Iconolatra. Hinc contumeliæ iſtæ in
mperatorem & Patres Concilij.* Adde: Iconoclaſtici, à toto Orthodoxo
rbe damnati. Theophanes nil aliud de Copronymo memoriæ
rodidit, quàm quod præcipui tam Græci, quàm Latini ſcriptores
iteris conſignarunt. Theophanes propius Copronymum nouit,
uàm Caluiniamus tanto temporis interuallo ab illa ætate diſ-
itus.

Poſt Suidam inceſſit Caluiniſta Theophanem.

Qui nobis iterum obſtrepit: *Ioannes* quoque *Damaſcenus, vt putatur, in Actis Stephani* & ſociorum (non dicit Caluiniſta, *ſancti Stephani*; quia hoc à Copronymiana diſciplina diſcreparet) *impurè* loquitur (Qua de cauſſa? Quia cauſſam imaginum contra impuros Iconoclaſtas veteres & recentiores agit) *in odium orthodoxorum* (ſcribe, *Iconomachorum*, quorum ſecta & impietas odio ac deteſtatione dignisſima erat) *vera falſis commutans*. (Ita tu, tam veridicus, quàm tui Iconoclaſtici inſtitutores) qui mox accuſat Damaſcenum *præcipitati affectus, quo veritatem nequiuerit obtueri*. Sed, qua eſt benignitate, culpæ huius ei gratiam facit. Talpa lyncem cæcitatis arguit. Tam conſideratus hoc in argumento Damaſcenus fuit; vt maluerit manum, qua ſcribebat; quàm fidem amittere; paratus pro defenſione Imaginum ipſam quoque mortem oppetere, quàcunque hora Deo viſum placitumque fuiſſet. Neque enim minor alacritas ad ſanguinem profundendum in ipſo erat, quàm in S. Stephano Iuniore, qui in Hiſtoria vitæ ita loquitur. *Sacrarum imaginum cauſſa promptum mihi ac procliue eſt mortem oppetere, Imperatoris minas, qui has deleuit, nihil moranti. Hæc vbi dixit, cauam manum ſtatim oſtendens, etiamſi mihi, inquit, tantulum duntaxat ſanguinis eſſet, id tamen pro Chriſti imagine profundere minimè dubitarem.* Nec Stephanus de ſe. Nec largior fuit promittendo, quàm præſtando, vt euentus probauit.

Spicula virulenta in B. Damaſcenum.

Inſigne dictum S. Stephani Martyris.

Pro facilitate, qua Caluinianus Damaſceno culpam condonat, gratias agimus. Nouerit tamen nullâ hîc indulgentiâ opus eſſe: aliô & ad alios egentes munificentiam ſuam transferat. Perſuadet ſibi, & quidem, vt ipſe ſcribit, *Chriſtianè*, vt autem ego arbitror, *Iconoclaſticè* etiam *à Chriſto* hanc defenſarum imaginum Damaſceno culpam fuiſſe *donatam*. Non eſt opus vlla condonatione, vbi nulla penitus eſt culpa: ſicuti hîc nulla prorſus apparet, niſi in Phantaſia Iconoclaſtica & Caluiniſtica.

Clementia Caluiniſtica in Damaſcenum.

Fatetur Iconoclaſta nouus, Damaſcenum *de Chriſti Eccleſia benè & præclarè in cæteris meritum eſſe*. In cæteris, extra ſcilicet vitam S. Stephani, quo Goldaſto bilem mouet. Accipio quæ liberaliter dat; Bene ergo & præclarè meritus eſt Damaſcenus de Eccleſia Chriſti tribus illis doctisſimis orationibus pro imaginum vſu & cultu contra Iconoclaſtas, in quibus non quaſi aliud agens, ſed ex inſtituto, omni argumentorum copia aduerſus Iconoclaſtas dimicat. Præclarè item meritus cenſeri debebit de Eccleſia Chriſti ſcribendis iis, quæ libro quarto fidei orthodoxæ cap. 12. de Cruce, & cap. 16. de Sanctis Sanctorumque Reliquiis, & cap. 17. de

Sancto-

ſanctorum imaginibus continentur: Quæ ſi tibi, ô Iconomache, præclara in Christi Eccleſiam merita videntur; reſorbeas oportet omnia illa retrimenta, quæ partim ex tuo oleto, partim ex Copronymiano fimeto deprompſiſti, & miſerandis chartis illeuiſti.

Cum Zonaras loquitur; *Iconolatræ verba audis*, iudicio huius Caluiniſtæ. Quis fide dignior, Iconolatra, hoc eſt, pius imaginum cultor, tota antiquitatis auctoritate nixus; an Iconoclaſta ſola ſceleſtiſsimorum hominum improbitate ſuffultus? *Caluiniſta in Zonaram.*

Concilium Copronymianum vocat Cedrenus impium. Vbi Iconoclaſta ex Geneua; *quia non Iconolatricum ſcilicet*. Omnino; At non tantum hoc; ſed quia etiam Iconoclaſticum, & prorſus Caluiniſticum; ſynedriumque improborum. *In Cedrenum.*

Tandem inuenit Goldaſtus, qui Copronymianum *Conciliabulum* commendet, nempe Aimoinum Monachum lib. 5. Hiſt. Franc. cap. 28. Gratulor tibi, mi Caluiniſta; ob tandem repertum vnum, qui tuo palato ſaperet. At ex verbis Aimoini, inquit Illuſtriſs. Cardin. Baronius Tomo X. Redemptoris anno DCCCLXIX. N. LXVI. qualis ipſe fuerit, cuiuſue dogmatis, manifeſtatur; nempe ex Gallis illis vnus, qui negabant cultum ſanctarum imaginum. Etſi in editione Aimoini, quam Lutetia anno ſalutis M. DC. II. dedit, curâ & ſtudio Iacobi Du Breul, nihil aliud apparet, quàm iſtud. *In qua* (octaua) *ſynodo de imaginibus adorandis, ſecundum quod orthodoxi Doctores antè definierant, ſtatuerunt.* Nec videtur Editor hæc ſine auctoritate alicuius antiqui Codicis euulgaſſe. Sed de conuiciis Nouatoris & Veteratoris huius in antiquos ſcriptores ſatis in præſenti: ſuo loco cæteram impudentiam perſequemur. *Quid de Aimoino Card. Baronius.* *Noua Editio Aimoini.*

Nunc hoc dico, non eſſe mirandum, ſi Suidæ inclementer dicat; vel potius petulanter maledicat; nam ad id eum Copronymianus Actor impellit: ex quo prodierunt etiam iſtæ criminationes; *meram calumniam & inſigne falſi crimen. quod Auctor iſte ait*, (antea vocabatur Suidas; nunc fit alius qui *viliſſima ſua pictatia purpureo Suidæ panno aſſuit*) *ne quis famulorum Chriſti* Sanctus *vocaretur*. Atqui calumniam non eſſe, manifeſtiſsimum euadit ex Actis S. Stephani, quorum fides apud quemuis ſani capitis potior eſt, quàm mille Caluiniſtarum vociferationes: quibus inſuper accenſe, quæ ſectarius *de nimia Sanctorum Canonizatione & ὑπερδουλείᾳ* garrit; ob quam à Caballino ſuo vetari potuiſſe arbitratur, ne quis famulorum Dei vocaretur ſanctus. Iam vix moritur Prædicans alicuius nominis, qui non ſtatim vir *ſanctæ, & beatæ memoriæ* audiat, & in multorum Lutheranorum monumentis, cùm Lu- *Cumulus calumniarum in Suidam.*

 theri

theri mentio incidit: *Beatus, Diuus, & Sanctus Lutherus*, intonatur, & iſti ex Caballini hara, legibus latis interdicere conabuntur, ne Prophetas, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, & alios cælites *Sanctorum* nomenclatura cohoneſtemus. Et tamen Vadianum, quem nuper Goldaſtus euulgauit, ſcribere non puduit in libro *de primitiua Eccleſiæ ſtatu. ſanctos* vocatos fuiſſe prima & ſecunda *ætate non eos, qui cum Chriſto agunt, ſed viuos fideleſq́, qui ei fidei puritate, & vita integritate ſint commendati.* Cuius vanitatem refellunt hæc teſtimonia ſcripturæ. Lucæ 1. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, etc.* In epiſt. S. Iudæ. *Cum ſanctis millibus.* Apoc. 18. v. 20. *Sancti Apoſtoli & Prophetæ.* Apud Daniel. *Vngatur Sanctus Sanctorum.* Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, &c.* Nonne vel ipſe notiſsimus ille ſymboli Apoſtolici articulus: *Sanctorum communionem:* hanc ſiue inſcitiam ſiue temeritatem refutat? Niſi fortè Zvvingliani arbitrantur Sanctis, qui in terra degunt, nullam communionem intercedere cum Sanctis, qui verſantur in cœlo. præterea Patrum teſtimonia, quæ hunc Caballiniſmum manifeſtè redarguunt.

fol. 189.

Quod autem Copronymus, Balbus & alij tolerare nequierunt, vt nomen prototypi tribueretur typo ſeu imagini, an non inſipienter egerunt, cum nihil ſit vſitatius, quàm oſtenſa Cæſaris imagine, dicere; *hunc eſſe Cæſarem, &c.* An iſti Metonymiam ex communi hominum vſu exterminare volebant? ſi viſa Lutheri aut Caluini imagine, ſic loquar: *Hic video Lutherum, aut Caluinum*; inaudita ſcilicet & nullius vnquam ore trita locutione vtor.

Cauillatio ſynedrij Copronymiani.
Solutio inepta Cauillationis.

Ineptus eſt autem ille cauillus Pſeudoſynodi Capronymianæ: Hoc nomine *Chriſtus*, ſignificatur *Deus & homo:* ſi igitur imago Chriſti vocari poteſt *Chriſtus*; ſequitur, quòd imago ſit *Deus & homo.* Futilis obiectio: quia imago eſt Deus & homo non propriè, ſed tropicè ſeu Metonymicè & *repræſentatiuè*; quia repræſentat illum, qui eſt Deus & homo; nec tamen diuinitatem in ſe repræſentat, cum diuinitas in ſe nullis coloribus ſit adumbrabilis (id quod tãtùm volunt orthodoxi Patres, quando dicunt; *Deum aut diuinitatem non poſſe pingi*) ſed repræſentat illam in Chriſti humana natura, cum qua diuina Chriſti natura in eadem perſona hypoſtaticè vnitur, quemadmodum & aliæ Dei imagines non repræſentat Deum in ſe ſecundum ſuum *eſſe*; ſed ſecundum perfectionem aliquam alicuius alterius rei, per cuius analogiam ducimur nos ad cognitionem diuinæ perfectionis: vel ſecundum aliquam figuram, in qua dicitur in ſcriptura apparuiſſe; vt cùm pingitur, tanquam ſenex quidam & *antiquus dierum*, ex apparitione cap. 7. Danielis. Vide Gregorium de Valentia Tom. 4. Diſputat. 1. Quæſt. 24. punct. 2.

Quo pacto imagines Dei pingantur.

Scri-

Scribit Suidas, Copronymum iuſsiſſe publico edicto, lipſana Sanctorum *διαπτύσαι, conſpui*. Nimium hoc videtur Goldaſto; nec immeritò. Itaque tergiuerſatur & reſtitat ad hanc tantam Copronymi impietatem; aitque, *Bellarmin. illud διαπτύσαι idem eſſe*, quod *delere*. At Bellarminus verba Suidæ non recitauit, ſed ſenſum; nec ad verbum vertit; ſed ad ſenſum. Nec cum *delendi* verbo vſus eſt; negauit propriam & genuinam ſignificationem verbi διαπτύσαι. Et cur adeo inſolens & à moribus *Caballini* iſtud abhorrere videtur, cum Copronymi nepotes Caluiniani Reliquias, imò & integra corpora Sanctorum exuſſerint, & in cineres conuerterint. Nulláne vnquam huius generis exempla legiſti vel audiſti, ſi non Geneuæ in veteri tuo diuerſorio; at ſaltem extra Geneuam?

Quid ſit διαπτύσαι.

Tergiuerſatio Caluiniſtæ.

Bellarm. lib. 2. de Sanct. cap. 1.

Ait Caluiniſta: Suidam nil aliud velle, quàm Copronymum mandaſſe, *ne Reliquiæ Sanctorum adorentur.* Quàm benigna gloſſa, quàm pia in Copronymum, Caluiniſtarum parentem? Quàm ab omni ratione exorbitans? Quis vnquam audiuit; mandare, vt Sanctorum Reliquię *conſpuantur*, non plus eſſe, quàm iubere, ne Reliquiæ adorentur? Forſan & Iudæi, qui conſpuerunt Chriſtum, nihil aliud fecerunt, quàm quòd Chriſtum non adorarunt. *Eò impietatis eſt progreſſus* Copronymus, inquit Zonaras, *vt etiam Sanctorum Reliquias igni traderet: quorum Reliquias partim per contumeliam terra obruit, partim demerſit, partim in cineres redegit; vt & glorioſæ Martyris Euphemiæ ſanctum corpus, &c.* Similia de Copronymo alij ſcriptores Græci & Latini; quę omnia, Goldaſto explanatore; nihil aliud ſignificant, quàm Copronymum pręcepiſſe, ne *Sanctorum Reliquiæ adorentur?* O egregium in commentis commentatorem.

Caluiniſta egregiè interpretatur Suidam.

Impietas Copronymi in Sanctorum Reliquias.

Qui addit: *Quin honorem Reliquiis Sanctorum haberi oportere, & priſci iſti Imperatores præceperunt, & noſtrates Principes ſubſcripſerunt.* Qui nam iſti *priſci Imperatores?* Num Leo Iſauricus, Copronymus, Leo Armenus, Michaël Balbus, Theophilus & cæteri de grege Iconoclaſtico? Quoties hoc dicis, toties tibi occinam illud ex Homero: μὴ ψεῦδε, inque os & faciem tuam ingeram, Cedrenum, Zonaram, Theophanem, alioſque Græcos & Latinos Hiſtoricos, qui vno ore teſtantur, iſtos Imperatores, pręſertim Copronymum, Reliquias Sanctorum vel exuſsiſſe, vel aboleuiſſe, & ex Eccleſia exterminaſſe. Num Reliquias exurere, eſt Reliquias venerari? Si hoc eſt venerari, tum libenter fatebor, Caluiniſtas & Zvvinglianos eſſe Reliquiarum veneratores & cultores maximos; quia Reliquiis concremandis ſtrenuam ſanè & indefeſſam operam nauarunt.

Dein-

Deinde, qui ſunt *noſtrates principes qui ſubſcripſerunt* Copronymo, niſi Caluiniani & Lutherani? Abſit enim, vt vllus orthodoxus in ſententiam, vel potius veſaniam, Caballini concedat.

Quid Caluiniſta ſit honorare reliquias. *Honorare Reliquias*, inquit nouus Copronymi diſcipulus, *eſt eas honeſtè & decenter ſepelire*(eo ſcilicet modo, quo Copronymus Reliquias olim ſepeliabat, & quo noſtra ætate Caluiniani Lipſana Sanctorum ſepelierunt;hoc eſt,in flammas & vndas,imò & in cloacas abiecerunt. Hæc nimirum eſt illa *decens & honeſta ſepultura*) *ſicut ipſe Bellarminus docet è ſcriptura & D. Hieronymo de Eccleſ. Triumph. lib. 2. cap. 3.* Num Bellarminum *vanitatis & impietatis* tuæ adſtipulatorem habes? Ne ipſa quidem impudentia hoc affirmare auſit. Quomodo igitur tibi hoc ex *ſepto dentium* euolauit? Vbi dicit Bellarminus, Reliquias colere, nihil aliud eſſe, (ita enim tu intelligis) quàm *decenter & honeſtè* ſepelire? pertinet quidem hoc etiam ad venerationem Reliquiarum; ſed non tantùm: quaſi totus Lipſanorum cultus decentis & honeſtæ ſepulturæ nomine circumſcribatur;neque in quoquã alio reuerentię exhibendę modo conſiſtat. Quid, quod Caluiniſta, nomine *decentis* & *honeſtæ ſepulturæ*, intelligit illam, quæ fit iniectu & ingeſtu terræ; quando lipſana ita humantur, vt nullius conſpectui amplius pateant. Qui modus honorandi Sanctorum lipſana adeo orthodoxis non eſt vſitatus, vt ea potius exhumare, quàm humare; potiusq́; ex terrę gremio in locum decentiorem eleuare, quàm terrâ cooperire conſueuerint. Sed quærere ex Caluiniſta lubet; num *honeſta* & *decens ſepultura* fuerit, quando Copronymus Reliquias partim combuſsit, partim in profundum maris demerſit? Cuius in Sanctos impietas ac efferа barbaries in ſcelerata ipſius oſſa tandem, iuſtiſsimo Dei iudicio, expetiit; nam Michaël Imp. Theophili filius, *ſubmiſſo fabro, Lampari nomine, Conſtantinum Caballinum arca extrahit, quem integrum inuenit: ſed cum eum ſacco, qui cadauer non capiebat, vellet claudere, inuoluit eum. Pariq́; modo Ioannem Patriarchã, vnà cum omophorio ex tumulo protraxit: quos iuſſu Imperatoris Hyparchus in prætorio concluſit. Die vero Ludorum productos nudauit, magnáque vi diuerberauit, & oſſa eorum in Amaſtriano combuſſit. Arcam verò Copronymi è viridi marmore & artificio viſendam ſecuit, & in Palatino Phari templo à ſe condito repoſuit.* Hæc ex inedito Auctore Georgio Hamartolo, (qui exſtat in Bibliotheca Bauarica) Raderus noſter in Notis ad vitam S. Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani. Vbi vides in mortuo Copronymo impletum eſſe illud Domini. *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.*

Inſilit quoque Caluiniſta in Theoſterictum, qui in vita S. Nicetæ iſta de Copronymo. *Quam Chriſtus ſibi in domicilium delegit, glorioſiſsimam, inquam, ſuam matrem, omnibus aliis rebus creatis ſuperiorem, omnium hominum*

ſalutem,

lutem, mundi patrocinium; quæ propter Virginitatis ſuæ præſtātiam propè Deum verſatur: huius, inquam, venerandum nomen multis modis ab Eccleſia expellere ſtuduit: eius verò interceſſiones, per quas mundus conſiſtit, illas ne nominare quidem voluit, cum diceret, nemini eam poſſe opitulari.

Goldaſtus hæc *malitioſè* à Theoſteriđo ſcripta clamitat? Quî *maliotiosè*? An non eadem Zonaras, Cedrenus, Theophanes, Auctor Actorum S. Stephani Iunioris, & alij memoriæ prodiderunt? An non ipſemet Caluiniſta in Notis ad Copronymianum conciliabulum notat, *Iconomachos inuocationem & interceſſionem Sanctorum reieciſſe; & decretum, quod de inuocandis & colendis Sanctis in ſynedrio ſuo promulgarant, expunxiſſe; & ſtatim prius fixa refixiſſe?* Notat hæc Caluiniſta, & quidem ex ipſa Synodo VII. Nicæna Catholica & Oecumenica, ſed diſsimulat, quæ illic è veſtigio ſubiunguntur. *Hunc namq; morem habent hæretici, quoties vno verbo veritatem contempſerint, & à veritatis via aberrauerint, in multos & varios errores labi, vniformis enim res veritas: mendacium autem in varia diſtrabitur.* Veriſsimè, quod vel in Luthero apparet, cui ſolenne fuit priora ſua placita poſterioribus euertere, & antegreſſos errores, ſubſequentibus, iiſque deterioribus cumulare, & modò hoc, modò contrarium affirmare, & ex vno ore calidum & frigidum efflare. Sic & Iconomachi nunc Sanctorum interceſsiones admittebant; nunc repudiabant, prout nimirum à ſpiritu vertiginis impellebantur. Cuius en tibi paradigma ex epiſtola Michaëlis Balbi & Theophili filij eius Impp. Iconomachorum, ad Ludouicum Pium Imper. vbi de ſe & ſuo Iconoclaſtico grege iſta ſcribunt. *Poſtulantes interceſſiones & interpellationes inuiolatæ dominatricis noſtræ Dei genitricis ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum. Glorioſas autem & ſanctas Reliquias eorum cum fide veneramur.* Hæc iſti; haud dubiè tam verè, quàm verè Lutherani in Confeſsione Auguſtana. *Falsò accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quòd Miſſam aboleant. Retinetur enim Miſſa apud nos, & ſumma reuerentia celebratur.* Quo, quid falſius? *Seruantur & vſitatæ ceremoniæ ferè omnes.* Quid à vero remotius? Quid vanius?

Narrant Hiſtorici tam Græci, quàm Latini, horrifica prorſus & inmania de Copronymo ſcelera, & flagitia planè monſtroſa. Caluiniſta, vt pius in patrem filius, *penicillo arrepto*, purgare nititur Caballinum, omneſque Hiſtoriographos *mendacij* arceſsit. Sed excordem eſſe oporteat, quem hæc effrons inuerecundia aliorſum moueat & impellat, quàm ad indignationem, & deteſtationem. Quid enim execrabilius, quàm poſt nongentos & amplius annos, neſcio ex quibus Caluini latibulis prorepere, & vniuerſis veteribus vitium, quo tu à vertice vſq; ad imam plantam obſitus es, petulanter affricare: & eum repurare velle, cuius ſcelera omnibus ſuis vndis Oceanus non abluat?

Impietas Copronymi in B. Virginem.

Defendit Caluiniſta Copronymũ, ſed per meras calumnias.

Inconſtantia Iconomachorũ in ſuis dogmatis.

Caluiniſta Caball. conatur expellere nititur.

At nimis impudenter.

at? Quid ſtabile, quid firmum ex tota antiquitatis memoria remanebit; ſi huic priſcos repudiandi effrenatiſsimæ licentiæ porta ſemel pandatur? Nunc ad Iambum redeamus.

Τοιχογραφεῖν] *In muro, in pariete pingere.* Nam Templorum parietes Imaginum picturis potiſsimum elucebant. In Actis S. Stephani Iunioris. *At verò ille, non minus à mente, quàm à piis dogmatibus auerſus tyrannus,* (Copronymus) *grauiter adhuc aduerſus venerandas Imagines ſpirans, ac velut ſuæ in huiuſmodi rebus amentiæ colophonem imponere geſtiens, inſigne illud, quod in Blachernis eſt, Deiparæ templum, eximia quadam, ac penè incomparabili pulchritudine præditum, & lapillis aureis in vtroque pariete arte ſumma ornatum, abraſit, & immutauit, deletis videlicet omnium Imaginum formis. Etenim eximio, & pererudito artificio carnalis Chriſti natiuitas, & diuina ipſius miracula, & venerandorum myſteriorum traditio, ac deniq; per ipſum crucem in infernum deſcenſus, & reſurrectio picta illic erant. Quibus omnibus horrendum in modum abraſis, atque deletis, ille perditionis filius arborum ſpecies, atque omnis generis auium formas eorum loco ſculpendas curauit.*

Οὐ τρέπεις πλάνῃ] *Qui ab errore non abripitur, aut in præceps agitur,* Deus enim eſt.

Τῶν ἀνάκτων εὐσεβῶν] Aſſentatio Iconomachi ad Iconomachos; quos *pios* nominat; intellige per antiphraſin, eo pacto, quo Eumenides ſunt εὐμενεῖς. Plures nominat ἄνακτας. ſuſpicari quis poſſet Conſtantinum Copronymum cum filio Leone intelligi, hic enim Leo cum Copronymo genitore ſuo imperauit, deque iiſdem capiendum illud tertij Iambi: Λέων τε Κωνσταντῖνος οἱ στεφηφόροι. *Leo & Conſtantinus coronati ſeu coronas geſtantes.* Sed mihi vero ſimilius fit, intelligi de Leone Iſauro, & Conſtantino Copronymo, propter illa, quæ Iambus octauus habet.

Tres filij Copronymi, præter Leonem.

Præter Leonem ex prima vxore genitum habuit Copronymus *Chriſtophorum, Nicephorum* & *Nicetam*, ac priores quidem duos Καίσαρας ἔστεψε *Cæſares creauit*, ſeu corona Cæſarea ornauit; Nicetæ *Nobiliſsimi* titulum tribuit; vt ſcribit Zonaras. Hic vide Caluiniani Goldaſti verſipellem improbitatem. Vt edicta Imperialia contra imagines earumque venerationem multiplicet, & lectori oculos perſtringat, profert nobis, & quidem vncialibus litteris, nouoq; titulo, CHRISTOPHORI ET NICEPHORI CÆSARVM AVGVSTORVM EDICTVM DE NON ADORANDIS IMAGINIBVS. Vbi anno Dñi DCC.LXXV. obſerua, nec volam nec veſtigium huius edicti exſtare apud vllum veterem Hiſtoricum anno DCC. LXXV. quo anno Copronymus animam efflauit. Et tamen iſte audaciſsimè nobis edictum iſtud obtrudit; mentiturque hoc ex temporis illius Hiſtoricis colligi. Cedo, Caluiniſta, qui nam ſunt iſti Hiſtorici? Pande nomina, Ni feceris. Sed

Caluinianus arbitratu ſuo edicta imperialia & Cæſarea cudit.

præ-

ræſtat. Vtrum Chriſtophorus & Nicephorus patris impietatem ſe-
uti fuerint, neſcio. Hoc ſcio, nullum ab illis edictum promulgatum,
uia edicta promulgare, non Cæſarum, ſed Imperatoris erat; qualis
rat ſolus Leo. Quapropter vaniſsima etiam & prorſus Caluiniconо-
aſtica ſunt iſta: *Hoc edictum Chriſtophoro & Nicephoro apud nonnullos ſedi-
ioſos, præſertim Monachos, inuidiam, & Leoni fratri illorum Imperium ſoli conci-
iſſe.* Commenta hæc ſunt ex odio orthodoxorum & Monachorum
ata; quibus nec fundus, nec fundamentum vllum eſt in vllis Hiſto-
corum monumentis. Neq; ſimulatio boni affectus in imagines ſoli
eoni Imperium peperit, ſed *Copronymi* voluntas, qui Leonem iam
ridem in Imperij conſortem adſciuerat; non autem Chriſtophorum
Nicephorum, vt Caluiniſta fingit. Et tantum abeſt, vt iſte nobis ho-
um aliquod edictum *de non adorandis imaginibus* oſtendere queat, vt
e monſtrare quidem poſsit; num fuerint Iconoclaſtæ: non enim vá-
da eſt hæc conſecutio: *Fuére filij Copronymi, ergo Iconomachi:* nam & An-
nuſa Copronymi filia fuit; & tamen rectæ Religioni ita adhæſit, vt
ius memoria in Menologio Græcorum, tanquam ſanctæ, quotan-
is die decima ſeptima Menſis Aprilis celebretur. Et prima Copro-
ymi vxor, Chagani, Scytharum Ducis filia, *mariti errorem non eſt am-
lexa*, vt inquit Zonaras, *ſed pium dogma, quo imbuta fuerat, conſtanter tenuit.*
unt autem Cæſares iſti Nicephorus & Chriſtophorus anno DCC.
XXX. ab Irena Imperatrice tonſi & ſacerdotio fungi iuſsi, vt ſcri-
it Theophanes.

Quod Iambographus dicit, ὑψῶν ἄνακτας ſignificare vult, Copro-
ymi, filiiq́ue eius Leonis; vel potius Leonis Iſauri & filij Coprony-
ni Imperium fuiſſe amplificatum, multisq́ue opimitatibus auctum:
d ſecus habet, vt ex Zonara, Cedreno, Theophane, Hiſtoria Miſcella,
liisq́ue Hiſtoriographis videre licet: quia Copronymo Imperij ha-
enas moderante, clades maximæ Romanis illatæ fuêre.

Ἐν τῷ στέφει] στέφος & στέμμα idem. imò & στέφανος ſeu στεφάνη, à στέφω. Po-
teriores tamen diſtinxerunt. Nam apud Curopalatam de officiis
Aulæ Conſtantinopolitanæ fol. 181. Imperator eo die, quo coronan-
dus eſt, & proximè ante coronationem, ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, οὐ νενομισμέ-
νον τὶ φορεῖ, ἀλλ' ἢ στέφανον, ἢ ἕτερον, ὅ,τι ἂν δόξῃ. *In capite non fert certum quiddam,
ſed vel* στέφανον, *vel aliud, quidquid volet.* Non poteſt ergo στέφανος iſte eſſe
στέμμα illud, quod poſtea de Patriarchæ manu accipit. Quid στέφανος & στέμμα.

Sic νέα βασιλὶς, *noua imperatrix* die coronationis, etiam prius quàm
coronetur, fert στέφανον, poſtea verò παρὰ τοῦ βασιλέως καὶ ἀνδρὸς αὐτῆς
ἱερὸς *ab Imperatore, marito ſuo accipit* στέμμα. Aliud ergo eſt στέφανος, aliud
στέμμα. Pari modo διάδημα & στέμμα olim idem erant.

Curopalata. Δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι ὅπερ καλεῖται νῦν στέμμα, ὠνομάζετο πάλαι διάδημα. *Sciendum. quod nunc vocatur* ſtemma,*olim appellatum* diadema. Et ſubdit Curopalata formam Stemmatis. ἦν βλάττιον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως μέτωπον κείμενον μὲν, δεδεμένον δ' ὄπισθεν περὶ τὸν ἐγκέφαλον (διὸ καὶ ἐκαλεῖτο διάδημα) ὅπερ ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν ἐμποδὼν ἐγένετο, οἷον ὁρᾶται τανῦν σήμερον, καὶ ὀνομάζεται στέμμα. ὃ δὲ νῦν καλεῖται διάδημα, ἐλέγετο πάλαι ζώνη στρατιωτικὴ, δηλοῦσα τιμήν. ὅθεν καὶ οἱ τύραννοι πρῶτον ἀφῄρουν τῆς ζώνης καὶ τοῦ στρεπτοῦ τοὺς τῶν μαρτύρων ἐντίμους τὸν Χριστὸν ὁμολογοῦντας, ἔπειτα παρεδίδουν τούτους τοῖς βασανισταῖς. *Erat textum quoddam ex pretioſis lapillis & margaritis fronti Imperatoris incumbens quidem, ſed retro circa cerebrum vel ſinciput ligatum, vnde & diadema vocabatur, à ligando ſcilicet, quod temporis ſucceſſione paulisper mutatum, in eam formam tranſiit, quæ hodie viſitur, & appellatur Stemma. At quod nunc vocatur diadema, olim cingulum militare dicebatur, honoris inſigne. Vnde etiam Tyranni cingulum & torquem auferebant à Martyribus honoratioribus, Chriſtum confitentibus, ſic priuatos tradebant tortoribus.*

Idem Curopalata agens de coronatione Imperatoris. ἐνδύουσι τὸν σάκκον καὶ τὸ διάδημα. *Induunt Imperatorem Sacco & diademate* Vbi diadema eſt cingulum, non ſtemma: alioqui ante coronationem, coronatus eſſet.

Theophanes quoque in ſua Hiſtoria nondum edita, vbi agit de Chriſtophori & Nicephori filiorum Copronymi ad Cæſarum dignitatem euectione; dicit, parentem Copronymum illis impoſuiſſe Καισαρίκια περικεφάλαια, *Cæſarea capitis tegumenta*, ὡσαύτως καὶ Νικήταν τὸν ἔσχατον τῶν ἀδελφῶν αὐτῶν ποιησάμενος βελλήσιμον (lege νωβελλίσσιμον) ἐπέθηκεν αὐτῷ χλαῖναν χρυσῆν, καὶ τὸν στέφανον. Nicetam vltimum fratrum *Nobiliſſimum* creans impoſuit ei auream chlamydem ſeu penulam & στέφανον. *ſertum, coronã:* vbi στέφανος iterum à *Stemmate*, Imperatorio inſigni, ſeiungitur. Curopalata deſcribens ritum inaugurandi *Deſpotæ, Sebaſtocratoris & Cæſaris*, dicit capitibus eorum imponi ab Imperatore στέφανον διὰ λίθων καὶ μαργάρων. *lapillis pretioſis & margaritis diſtinctum*, ὁ δὲ στέφανος καλεῖται καὶ στεμματογύριον. *qui Stephanus etiam* στεμματογύριον *appellatur.* Hæc fuſius & planius perſequi viſum, vt lucem adferrem illis, quæ Tom.3. de S.Cruce lib.1.cap.4. ſcripſeram.

II. IAM-

II. IAMBVS IGNATII.

Σ ταυρὸς συνάψας τὰ πρ	Ι ν ἐσκεδασμέν	Α
Τ ὴν εὐσέβειαν————	Γ νησίως ὑπογράφε	Ι
Ἀ νατρέπων γὰρ εἰκό	Ν ων πᾶσαν θέα	Ν
Υ ψωσε τὴν σὴν δόξ	Α ν ἐμφανῶς λόγ	Ε
Ρ ώμην κραταιὰ πίσ	Τ εως δεδειγμένο	Σ
Ο ν προσκυνοῦντες ἀξ-	Ι ως οἱ δεσπόται	Ι
Σ οβοῦσιν ἐχθροὺς τ	Ω κράτει δουλουμένου	Σ

Verſio ad verbum.

Crux, quæ coniunxit prius diſperſa,
Pietatem ſincerè delineat ſeu *deſcribit:*
Euertens enim imaginum omne ſpectaculum,
Exaltauit tuam gloriam manifeſtè Verbum,
Robur validum fidei oſtenſa.
Quam adorantes dignè D*O* MINI.
Pellunt hoſtes hac potentia domitos.

EXPLICATIO.

SENTENTIA ex literis Maiuſculis initio, medio & fine, conſit iſthæc: σταυρὸς Ἰγνατίῳ αἶνος. *Crux Ignatio eſt laudatio,* quaſi diceret; *Laus Crucis ſemper in ore meo verſetur.* Quis hoc dicit? Iconomachus. Diligenter iſtud cõtra hoſtes Crucis, qui hoc æuo extiterunt, obſeruandum eſt: quemadmodum & alia huius Iambi. vt II. *Crucem diſiuncta coniunxiſſe. & diſperſa collegiſſe, & utraq; feciſſe vnum* (alludit enim ad locum Apoſtoli Coloſſ. 2. v. 14.) III. *Crucem eſſe pietatis exemplar & deſcriptionem.* IV. *Validum potenſque robur fidei.* V. *Crucem reuerenter. & decenter ab Imperatoribus adorari:* hos enim per δεσπότας intelligit; Copronymum & filium eius Leonem, vel potius, Leonem Iſaurum & filium Copronymum deſignans. VI. *Ideo* *Crucis elogia ab Iconomachis.*

ab Imperatoribus hoſtes domari; quòd Crucem religiosè colant. VII. *Hoſtes potentia Crucis domari.* Quis hæc talia Crucis encomia ab Iconoclaſta & Copronymi ſectatore exſpectaſſet?

Caluiniſtæ ſunt longè deteriores, quàm Priſci Iconoclaſtæ.

Vides hîc, quanto interuallo noſtrorum Iconomachorum impietas tranſcendat veterum Iconoclaſtarum profanam improbitatem. Nam Caluiniſtæ ne tolerant quidē ſuis in fanis imagines Crucis; tantum abeſt, vt *προσκυνῶσιν, adorent.* Lutherani Crucem alicubi retinent, ſed incultam, ingloriam, & inhonoram. En Copronymus, & Leo filius, vel potius Leo Iſaurus, pater Copronymi, Crucem *ἀξίως dignè & reuerenter adorant.* Et tamen hunc & alios Iconoclaſtas nominat Goldaſtus *Imperatores orthodoxos.* Cedò, num tibi orthodoxus eſt, qui *Crucem adorat?* Num adoratio Crucis eſt pars orthodoxiæ in Caluiniſtarum ſchola?

Copronymus noluit eſſe impius, niſi Crucis interpoſitu.

Adeo autem Crucem retinuit & coluit Copronymus, vt ne quidem impius eſſe voluerit, niſi Crucis ſanctitatem nefariis ſuis inceptis interponeret; ſubditos enim ad Crucem iurare voluit; *ſe imaginibus nullum honorem ac reuerentiam habituros. Stolidam omnem illam ſapientiaq; expertem multitudinem*, inquit Auctor, qui Acta S. Stephani ſcripſit, *quæ ipſius* (Copronymi) *imperio ſubiecta erat, in concionem aduocat, ac veneranda Crucis ligna vnà cùm Dominici corporis & ſanguinis myſteriis, atq; ab omni labe puris Euangeliis (in quibus Dei filius Chriſtianis, ne iurent, prorſus interdicit) palàm proponit: atq; ita per ea vniuerſos iureiurando aſtringit, nunquam ſe diuinas imagines adoraturos, quin eas potius* Idola *vocaturos, (cùm ipſe potius impietatis Idolum verè eſſet) ac ne communionem quidem à Monacho accepturos, nec ſalutantibus quidquam humanitatis viciſſim exhibituros; verùm ſi quiſquam eorum monachum aliquem vſpiam obuium habuiſſet;* tenebricoſum *eum, eum* immemorandum, & idolorum cultorem *appellaturos; ac demum. (ô horrendum furorem? ô ingentem tuam, Chriſte, patientiam, & lenitatem) lapidibus ipſum petituros.* Similia alij Hiſtorici de iuramentis ad Crucem à Copronymo exactis. Vide lib. 1. de S. Cruce cap. 83.

Imago noſtra orator.

Neſcio, quàm itidem nouo Copronymi pullo placeat, quod hîc audit de *Myſteriis corporis & ſanguinis Chriſti*, à Copronymo cum Cruce propoſitis, vt eò arctius & indiſſolubilius iuſiurandum contra imagines concipi videretur. Si crediſſet Copronymus non plus ſubeſſe illis myſteriis, quàm Caluiniano pani & vino ſubſit; vix crediderim, illum ea in argumentum maioris religionis propoſiturum fuiſſe.

Hæretici ſemper ſua ſimota cadunt.

Nec eſt, quod occinas: adorationem Crucis, non bene cohæſiſſe cum oppugnatione imaginum; & hanc cum illa, vt Theodorus Studita Leoni quoque Armeno Imp. obiecit, quemadmodum alibi oſten-

oſtendimus; nam proprium eſt Hæreticorum, ſibi tam dictis quàm factis aduerſari, ita vt facta dictis, & dicta factis conuellant. *Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. ca. 58.*

Notauit hoc etiam ex Photio Nicetas de Paulicianis Hæreticis Tom. XIX. ſui Theſauri; qui Codices Euangeliorum, etiam apud Catholicos, venerabantur & oſculabantur; Crucem tamen vel oſculari vel venerari renuebant: quæ duo non ſatis conſonabant. Accipe Nicetæ verba. *Nicetas de Paulicianis Hæreticis.* Τὸ δὲ παρ᾽ ἡμῖν εὐαγγέλιον οὐκ ἀποδιδράσκουσι προσκυνεῖν. οὐ μὴν ἔνθα τύπος τοῦ τιμίου σταυροῦ ἐγκεχάρακται, ἀλλὰ ὡς ἐν τῷ λοιπῷ τοῦ βιβλίου μέρει, ἐν ᾧ τὸ ἐκτύπωμα τοῦ σταυροῦ μὴ διασημαίνεται. φασὶ δὲ τὸ βιβλίον προσκυνεῖν ὡς τοὺς δεσποτικοὺς περιέχον λόγους. ἀλλ᾽ ὅσα μὲν εἰς δογμάτων ἀνήκει λόγον, οὕτως εἰσὶ δυσσεβεῖς καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειαν, καὶ πρὸς ἑαυτοὺς παντελῶς ἀσύμφωνοι. *Euangelium, quod apud nos eſt, non dubitant adorare. At non vbi imago venerandæ Crucis expreſſa eſt; ſed in reliqua libri parte, quæ Crucis effigie caret. Affirmant autem, ſe adorare librũ, tanquam qui eloquia Domini contineat. Et quod ad dogmata quidem attinet. Ita ſunt & aduerſus veritatem impij; & ſibimetipſis prorſus diſſoni.* Hæc Nicetas. *Crux in Codicibus Euangeliorum effigiari ſolita.*

Non eſt hîc ſilenda inſcitia Goldaſti, qui Iconoclaſticæ & Copronymianæ Pſeudoſynodo hunc titulum præfixit. *Conſtantini VI. Caballini Imperatoris Auguſti & Leonis IV. Cæſaris Auguſti Synodus Conſtantinopolitana, &c.* Quis vnquam audiuit vllam Synodum inſcribi Imperatoris vel Imperatorum nominibus? Neque comparet hæc inſcriptio in Nicæna Synodo orthodoxa; ſed eam ex ſuo cerebro Caluiniſta excudit; vt hac quaſi laruâ in veſtibulo appensâ, imperitos perterrefaceret. *Fraus Caluiniſta.*

Deinde quæ imperitia, Leonem Copronymi filium, vocare Cæſarem Auguſtum, cum Cæſar eo tempore ab Auguſto & Imperatore penitus diſtingueretur, vt notum eſt omnibus; nec Leo tum Cæſar eſſet, ſed Imperator, vt ex primis ſtatim Pſeudoſynodi verbis manifeſtum euadit; *Sancta, &c. Synodus, quæ iuxta gratiam Dei & per pium, &c. noſtrorum Imperatorum Conſtantini & Leonis.* Idem liquet ex acclamationibus ad calcem. *Diuiniſſimi Imperatores Conſtantinus & Leo dixerunt, &c. Multi anni Imperatorum Leoni & Conſtantino perpetua memoria.* *Inſcitia Caluiniſtæ.*

Præterea, quàm cautus & circumſpectus eſt Caluinianus iſte; non niſi honorificè de ſuo Conſtantino & ſentire & loqui vult; aitque *Copronymi* nomen ab aduerſariis & inimicis ei inditum; (dicere debebat, *ab orthodoxis*, ſed ex euentu mirifico & augurio minimè fallaci, quòd infans cum baptizaretur, ſordibus ſuis ſacras baptiſmatis vndas conſpurcaſſet) & tamen Goldaſtus hunc ſuum Conſtantinum vbique vocat, honoris gratia, *Caballinum*, quaſi hoc nomen non abæquè turpi origine ei fuerit inditum ac prius illud. Audi Theoſteri- *Incircumſpectio Caluiniſtæ.*

ctum

Copronymus ſuit Scarabæus. ctum in vita S. Nicetæ. *Tantoperè ſordium, & impuriſſimæ cuiuſq; rei odore malo delectabatur, vt animalium brutorum ſtercoribus ſe illineret, & eos, qui cum illo erant, id facere iuberet, quos amabat, ob idq; benignè accipiebat, quod rebus malè olentibus ſemper delectaretur.*

Theophanes de eodem. *Magicis maleficiis, & luxuriis, cruentiſq; ſacrificiis, & Caballinis ſtercoribus, atq; lotio delectabatur, mollitiebuſq; ac dæmonum* *Cur Caballinus dictus. Figmentum Glycæ.* *inuocationibus*, &c. Et hinc *Caballini* meritiſsimum nomen. Glycam enim meritò ridet Illuſtriſsimus Cardinalis Baronius Anno Chriſti DCC. LXXV. dicentem; Conſtantinum *Caballini* nomen à *Cabala* ciuitate accepiſſe: cuius ciues *Caballini* nuncupentur. Quid cum Cabala Conſtantino commune, cum Conſtantinopoli natus & educatus fuerit? inquit Baronius.

Sed quia forſan ſcriptores nominati exiguum pondus apud Goldaſtum habebunt, neceſſe eſt, vt grauiore auctoritate premantur: Quam autem in Goldaſti ædibus maiorem inueniam, quàm ipſius *fol.* 10. Goldaſti, qui in Notis ſuis ad Conſtitutiones Imperiales diſertè & exſertè ſcribit, *Copronymi* cognomen inditum Conſtantino *ob vitæ turpitudinem.* Credibile eſt igitur Caballini quoque titulum eidem eandem *loc. cit.* ob cauſſam verè fuiſſe impoſitum. Et quia idem Goldaſtus nominat Othonem Friſingenſem *probum & ſanum* ſcriptorem, audiat *Otho lib. 5. cap. 19.* quid de Copronymo, pro quo Caluiniſta, tanquam pro aris & focis, dimicat, ſcriptum reliquerit. Copronymus *per omnia patrem malitia ſupergreſſus malitiis ac cruentis ſacrificiis & incantationibus Dæmonum, luxuriæ quoq; ac immunditiæ inſeruiens, Eccleſiamq; Dei, more antiquorum tyrannorum, perſequens, tam crudelis ac impius fuit, vt iuſto iudicio Dei, tam ob eius quàm ob patris malitiam, regnum illud nobiliſſimum imminutum videatur.* Hæc *probus & ſanus* Goldaſti *ſcriptor.* Sed periculum eſt, nec ob veritatem tam clarè dictam & perſcriptam, hoc loco *improbus & inſanus ſcriptor* audiat: quandoquidem iudicio iſtius nihil probum eſt, ſanum eſt, niſi quod Iconomachis ſuccinit. Neque hic ſilendum, quod notat Caluinianus Druſius Cent. 1. Miſcellaneorum cap. 63. Quod Hebræi dicunt Es, hoc interpretes exponunt *lignum*; ſæpe, *patibulum.* Quandoquè, *Crucem.* Eſt vbi pro eo referunt, *lignum Crucis*; aut, *lignum geminum.* Apud Rabbinos, *lignum ſuſpendij*, differentiæ cauſſa; quia eſt aliud lignum non ſuſpendij. Quæ omnia clara fiunt ex his ſcripturæ locis Deut. 21. v. 23. Eſth. 7. v. 9. Ioſuę 8. v. 29. Nam primo loco eſt abſolutè *lignum: Maledictus, qui pendet in ligno.* In ſecundo; *In lignum, quod parauerat Mardochæo.*. Vbi Græcus. τὸ ξύλον τοῦ σταυροῦ. Ibid. *Suſpenſus eſt itaq; Aman in patibulo.* Græcus, ἐν τῷ ξύλῳ, ſine addito. In tertio. *Regem quoque eius ſuſpendit in patibulo.* Græcus, ἐπὶ ξύλου διδύμου. *In gemino ligno.* quia Crux

ex

x duobus lignis conſtat. Quod Interpres vocauerat *patibulum*; illud nox nominat *Crucem. Depoſuerunt cadauer eius de Cruce.*

Hîc nô intempeſtiuè quęri poſſe video, quid ſit *Spera Crucis*, apud kkerhardum Iuniorem *de Caſibus* Monaſterii S. Galli cap. 3. Tom. I. criptorum Alamannicorum? vbi de Notkero Diabolum ſpecie cais circumuagantem inſequente, huiuſmodi hiſtoria refertur. *Feſtiatè aram S. Galli adiens, Cambocam ſuam & Magiſtri eius*(Columbani)*mularum virtutum operatricem cum Spera illa S. Crucis notiſſimâ rapuit, & in inroitu Cryptæ dextero, Sperâ poſitâ, cum baculo ſiniſtrorſum caninum illum agreſſus eſt Diabolum.*

In quæ verba Goldaſtus. Cambocam nominat. *Baculum camurum ue incuruum, quem Paſtoralem noſtri vocant.* VValafrid. in vita S. Galli ib. 1. cap. 26. *Qui & baculum ipſius* (Columbani Abbatis) *quem vulgo ambocam vocant, per manum Diaconi tranſmiſerunt. Camboca* crebra menio eſt apud Theodorum in vita S. Magni lib. 1. cap. 7. lib. 2. cap. 3. 4. 8. rbitratur Goldaſtus rectius ſcribi *Cambotam*, deducitque *παρὰ τὸ αμπῶτης* ſeu *καμψότης ἀ κάμπτειν*, quod eſt *flectere*, cum baculus ille ſit incuruus. Sed dicendum, Cambocas nihil aliud fuiſſe, quàm baculos iales ſeu viatorios S. Galli, S. Columbani, & aliorum: qui poſtea in eneratione habiti, tantorum virorum intuitu.

Speram Crucis, ait Caluiniſta, eſſe *ſphæram* ſeu *globum*, cui Crux infixa, ut particula aliqua ſanctæ Crucis inſerta: Mammotrectus in cap. 29. ſaiæ. Speram; *formam rotundam.* In Notis ad Parænefes ait idem Caliniſta: Sper, *lancea, à rotunditate; Sphæra.* Quapropter *Spera* ſanctæ Crucis fortè non *globum*; ſed *lanceam* ſignificat loco citato & Germaicum *Sper*, rectius forſan deriuaretur à Latina vocula *Aſper*, ablatâ rimâ literâ; quàm à vocabulo, *Sphæra.*

Σταυρὸς] De etymo huius nominis vide Tom. 1. lib. 1. de S. Cruce. ap. 1. Freherus in Notis ad orat. Dominicam & Symbolum Apoſt. Antiquiſs. Alamannica lingua conceptum: docet; priſcis Germanis Rod ſeu Rode, fuiſſe Crucem. Hinc in ſymbolo Saxonico eſſe, on Role ohangen, id eſt, *Crucifixus, in Cruce ſuſpenſus.* Citat inſuper Gloſſas Angloſaxonicas Bedæ nomen præferentes, quibus *Crux* vel *Staurus*, Rod. quæ vox manſit hucuſque apud Scotos: quibus Ruid, Cruces. Hayle Ruidehous, (heilig Creütʒhauß) *monaſterium ſanctæ Crucis.* Bedhe Ruide. iuramentum, per crucem, beym Creütʒ. Hinc ſuſpicatur etiam n Symbolo illo antiquiſsimo S. Galli pro MERVET bisLACAN, OT. legendum; an met geſlacan. hoc eſt, ans Creutʒ geſchlagen ſ/ortè, n Rude biſclacan. Etiam Angli dicunt Roode; & vſurpatur tantùm de Cruce Chriſti: non de alio patibulo, nec de noſtro gabalo

D ſeu

ſeu Galgen. Additur aliquando, ἐπιτάσεως gratia, haile Roode. *Sanctiſſima Chriſti Crux.*

Metaphorica Crucis acceptio. Vſurpatur nomen σταυροῦ & *Crucis* etiam ſpiritaliter & myſticè, vt in opere de S. Cruce ſæpius oſtenſum, præſertim libro quinto, qui totus eſt de Cruce ſpiritali. *Crux Domini non tantùm illa dicitur,* inquit Auctor Apologiæ pro Henrico IV. Schiſmaticus quidem, ſed non ineruditus, Crucis externæ & materialis formam ad habitum Monaſticum accommodans: *quæ paſſionis tempore ligni affixione conſtruitur; ſed illa, quæ totius vitæ curriculo cunctarum diſciplinarum virtutibus coaptatur. Vnde & in ligno Crucis deſcribitur non ſolùm tota Monachi vita, & inſtituto; ſed omnis Chriſtiana actio, benè operari in Chriſto, & ei perſeueranter inhærere, cæleſtia ſperare,* *Ephes. 3.* *Sacramenta non profanare; vt, ſicut ait Apoſtolus, in charitate radicati, & fundati poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum: id eſt, crucem Domini, cuius latitudo dicitur in tranſuerſo ligno, quo extenduntur manus; longitudo à terra, vſque ad latitudinem ipſam, quo à manibus & infra totum corpus affigitur: altitudo de latitudine ſurſum, vſque ad ſummum quo adhæret caput: profundum verò, quo terræ infixum abſconditur.* *Quid veſtis Monaſtica ſignificet?* *Ergo cuculla, eſt tunica talaris, & cucullata, atque manicata, vbi quaſi per quendam pædagogum, docentur ſuperius comprehenſa ſanctæ Crucis myſteria: vt in latitudine ſit charitas bene operandi: in longitudine perſeuerantia firmiter adhærendi; in altitudine contemplatio cæleſtis vitæ; inſcrutabilia in profundo Dei iudicia, vnde iſta in homines venit gratia.* Ita Auctor ille.

Ἀνατρέπων γὰρ] Hæc fermentum Iconoclaſticum olent: non enim *virtus ſancta Crucis* euertit imagines; vt ſibi perſuadet Ignatius; ſed vis *Non Crux, ſed inimicus Crucis euertit imagines.* & potentia Tartari; nam ſi ipſa imagines euertiſſet; ſe etiam euertiſſet, quia ipſa quoque Crux imago quædam eſt. Idola & idololatrica ſimulacra, totamque illam gentilium ſuperſtitioſiſsimam vanitatem Crux exterminauit ac peſſum dedit.

Iſid. Peluſiota lib. 4. Epiſt. 29. ὁ σταυρὸς, ὦ βέλτιστε, ὁ ὑπὸ τῶν εἰδωλολατρῶν κωμῳδούμενος, τὴν πολύθεον ἐσταύρωσε πλάνην, &c. καὶ ὁ τάφος τὸν μὲν διάβολον κατέθαψε, πᾶσι δὲ πηγὴν ζωῆς ἀνέβλυσε. *Crux illa, ô bone, quæ ab idololatris ludibrio habetur, errorem, multorum deorum cultorem, crucifixit, &c. Chriſtique ſepulchrum Diabolum ſepeliuit, omnibus autem fontem vitæ produxit.*

Idem Iſidorus lib. 4. Epiſt. 27. de Ehnicis ſcribens. Κωμῳδοῦσι τὸν σταυρὸν, ἵνα κωμῳδηθῶσι σφοδρότερον ἀτίμῳ πεπορθημένοι καὶ νενικημένοι σταυρῷ, &c. τὸν τοῦ Χριστοῦ προσκυνούμενον χλευάζουσι τάφον, ἵν' οἱ παρ' αὐτοῖς περιφανεῖς ναοὶ γέλωτα ὀφλήσωσι μείζονα, χλευαζομένῳ περιχωρήσαντες τάφῳ. *Illudunt & traducunt crucem; vt ipſi magis ludibrio habeantur & traducantur, quippe expugnati & victi Cruce ipſis ridicula & deſpicabili, &c. Adorandum Chriſti ſepulchrum ſubſannant, vt eò maiori ludibrio exponantur illuſtria eorum templa, quippe, quæ deriſo*

riſo ab ipſis ceſſerint ſepulchro. Quò enim quis à nobiliore vincitur; eò plus laudis habet. Et quo ab ignobiliori; eò plus infamiæ & probri. *Affert enim victis aliquid ambitionis & honoris, eorum à quibus victi ſunt excellentia*; inquit Iſidorus. Hac igitur vi & efficacitate ſua contra Ethnicorum ſimulacra amplificauit & propagauit Crux verbi diuini gloriam.

Ῥάβδον κρατικὰ πίστεως] verè hoc elogium ſanctæ Cruci tribui abundè docent tres Tomi de S. Cruce vna cum Apologia contra Iunium: & Iſidorus Peluſiota in propria Epiſtola lib. 4. Epiſt. 32. cuius hæc inſcriptio & tenor.

Περὶ δόξης τοῦ τιμίου σταυροῦ. Δωροθέῳ λαμπροτάτῳ.

Τὸν ἀοίδιμον σταυρὸν δίκαιον προσειπεῖν, οὐ μόνον γῆς, ἀλλὰ καὶ οὐρανοῦ ἔρεισμά τε καὶ ἀγλάϊσμα. τὴν γὰρ κτίσιν πᾶσαν ἀνέχει, τοῖς μὲν ὑπερκοσμίοις χαρὰν, τοῖς δὲ ἐπιγείοις ἐλευθερίαν πρυτανεύσας, καὶ τὰ διεστῶτα συνάψας.

De gloria venerandæ crucis. Dorotheo illuſtriſſimo.

Celeberrimã Chriſti crucem meritò liceat appellare non ſolùm terræ, ſed & cæli fulcrum, & fulgorem. Nam creaturam omnem ſuſtentauit, ſupramundanis quidem gaudium, terreſtribus autem libertatem concilians, & diſſidentia inuicem ſibi connectens.

S. Chryſoſtomus in catena Græcorum ſuper Pſalterium, in illud: *Virgam virtutis tuæ*, &c. Pſal. 109. Οὐκ ἂν δέ τις ἁμάρτοι, καὶ τὸν σταυρὸν ῥάβδον δυνάμεως εἰπών. αὕτη γὰρ ἡ ῥάβδος γῆν, καὶ θάλασσαν ἐπέστρεψε, καὶ δυνάμεως πολλῆς ἐνέπλησε. μετὰ ταύτης ἐξελθόντες τῆς ῥάβδου πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης οἱ ἀπόστολοι πάντα ἐκεῖνα εἰργάσαντο. ταύτην ἐπιφερόμενοι, πάντα ἤνυον, λαβόντες τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Ἱερουσαλήμ. *Exſtat in Biblioth. Bauar.*

A vero non aberrauerit, qui Crucem virgam virtutis appellauerit. Hæc enim virga terram & mare conuertit, & multa virtute impleuit. Cum hac virga in omnes orbis partes egreſſi Apoſtoli; omnia illa admiranda patrarunt. Hanc geſtantes omnia perficiebant incipientes ab Hieroſolymis.

Et quia Crux eſt ῥάβδον κρατικὰ πίστεως, hinc fit, vt & animam agentibus contemplanda, complectenda & exoſculanda proponatur. De clariſsima & celeberrima comitiſſa Mathilde Domnizo in eius vita apud Baronium Tom. 12. Anno Chriſti M. C. XVI. *Crux moribundis propoſita, ſolatij cauſſa. De quo vide Tom. 1 de S. Cruce lib. 2. cap. 15.*

Corpus ei Chriſti, pariterque crucem Crucifixi
Porrexit Præſul Reginus corde ſerenus,
Quique B O N V S *ſenior proprio ſit nomine dictus.*
In manibus eius Comitiſſa Mathildis ab huius
Aerumna ſecli iugiter memoranda recedit.
In Cruce nam Chriſti ſua figens oſcula dixit:
Te colui ſemper, mea nunc rogo crimina terge.
Accipiens Chriſti corpus venerabile, dixit.
Semper dum vixi, Deus hoc ſcis, ſpem tibi fixi, &c.

Οἱ δεσπόται] Imperatores, Auguſti. qui δεσπόται κατ' ἐξοχὴν dicti: vt & olim *Domini*; quod ex Plinij ad Traianum Epiſtolis liquet. Feſtus Præſes Act.25.de S.Paulo. *De quo quid certum ſcribam Domino*, hoc eſt, Imperatori, *non habeo.* Apud poſteriores Græcos δεσποτεία nomen erat Aulicæ ſiue Palatinæ dignitatis. Vnde δεσπότης, qui hac dignitate, quæ à ſolo Imperatore conſerebatur, inſignitus, & Deſpotæ quidem creationem ſeu inaugurationẽ, veſtimenta & ornamenta, accuratè deſcribit Codinus Curopalata lib. de officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ. Cuius Interpres ſemper vertit, *Dominus.* Sed quid obſtat, quo minus Græca vox retineatur, cum nulla penitus ſit, quæ Deſpotæ dignitatem retineat. Itaque, vt Græci quædam Latina dignitatum nomina retinent, (ex quorum numero ſunt, *Patricius*, Cardinalis, *Doctor*, vſurpando hoc nomen pro eo, qui ſolenni ritu, certiſque cæremoniis hunc honoris gradum in Academiis adeptus eſt) quia carent vocabulis, quæ vim Latinorum exprimant; ita & in *Deſpota*, & id genus aliis appellationibus nos agere conuenit, quandoquidem vocabulis aptè hæc & ſimilia exprimentibus, deſtituimur.

Honorabat autem Imperator δεσποτείας ſeu *Deſpotatus* honore, qui aliquando in Aula primus & ſummus erat, non tantum filios; ſed & fratres ſuos; generos, & quoſcunq; demum volebat: (in arbitrio enim eius id poſitum erat) etiam abſentes, ſi benè de Republica meriti eſſent: eo ferè modo, quo olim *Patriciatus Romanus*, & hodie itidem *Ius ciuitatis Romanæ* exteris quoque ob virtutem vel eruditionem deferebatur, & deferri ſolet. Fuerunt & principes, qui titulo *Deſpotæ*, ſuas prouincias adminiſtrarent; vt *Deſpota Seruiæ, Moeſiæ*; & apud Gregoram lib.8. *Deſpota Ætolorum & Acarnanum.* & in Caroli V. Conſtitutionibus exſtant quædam ditiones, quarum non *Principem*, ſed *Dominum* ſe indigitat: In illis enim legas: *Dominus Phriſiæ, Salinarum, Tripolis, Mechliniæ, &c.* δέσποινα eſt vxor *Deſpotæ.* Et Deſpota quidem Seruiæ in Græcorum Annalibus nominatur quoque *Crales*, & coniunx, *Cralena*, ſeu *Cralitza*;

ralitza;quæ *Regem* & *Reginam* ſignificat; nam,vt docet Leunclauius in andecte Turc. cap.54. Vngaris, Bulgaris, Seruiis *Kiral*,& contractius *ral*, Rex eſt. Hinc Græcis exſtitit *κράλης* & *κράλαινα*.

Docet prꝛterea Codinus, quibus titulis *Deſpota* (vt & Cæſar & Sebaſtcrator) affici ſoleret. *τὸν μέντοι δεσπότην ἐμπροσθεν τῦ βασιλέως καλῦσιν ὡς ἁπλῶς δέσποτά μου*, Deſpota meus, *καὶ ἡ βασιλεία αὐτῦ. τὸν δὲ σεβαστοκράτορα, δέσποτά μου σεβαστοκράτωρ, καὶ ἡ βασιλεία αὐτῦ, &c.*

Hæc fuſius perſequi viſum: quòd Gloſſarium Græcobarbarum uper euulgatum minus clarè de his diſſerere viderem. Ait enim. Deſpotæ *nomine*, vocabātur *filij. fratres. generi Imperatores, Sebaſtocrator, Cæſar & Patriarchæ.* Nemo appellabatur *Deſpota*, vt *ἀξίωμα* ſeu dignitatem ſignificat, niſi qui illa dignitate inſignitus erat; qua *Cæſar* & *Sebaſtocrator* inſigniti non erant, quia erant diſtinctæ dignitates infra *Deſpotatum*; & multò minus Patriarchæ hæc appellatio quadrabat; quia erat dignitas Aulica. Quæ, quid ad Patriarcham? Neque neceſſe erat, vt omnes filij, generi vel fratres Imperatoris *Deſpotæ* eſſent, quia Imperatori liberum erat hoc honore cohoneſtāndi, quos vellet.

Nec verum eſt, quod ſubdit Gloſſarium. Sed *κατ' ἐξοχὴν ita dictus it Imperij ſucceſſor, filiorum natu maximus.*] *Hoc diſcimus ex libro Codini de Officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ loco non vno.* Vel vnum notaſſet, contentus fuiſſem. In Codino, etſi à me non indiligēter plus vice ſimplici lecto, nihil huius obſeruaui: quia *Deſpota* dicebatur quiſquis ad hoc dignitatis culmen ab Imperatore per conſuetas cæremonias euectus eſſet. Haud diffiteor; ſcribit Codinus, non tantùm *Deſpotam*, ſed & *Sebaſtocratorem* & *Cæſarem* ita compellatos fuiſſe: *δέσποτά μου, καὶ ἡ βασιλεία αὐτῦ*; ſed *Deſpota*, vt aliis tribuebatur, non erat titulus dignitatis & gradus ſpecialis; ſed communis honoris argumentum; vt & apud nos, cum aliquem *Domini* vel *Dominationis* titulo cohoneſtamus, licet Græci inter has voces, *δεσπότης, αὐθέντης, αὐθεντόπουλος, & κύριος*, quibus aliquem reuerentiæ cauſſa vel compellando, vel alio modo afficiebant, nonnihil diſcriminis ſtatuebant, vt idem Codinus oſtendit.

IAMBVS III.

E
X
Θ
P
O
Y
Σ

KAI ΦONEYΩ T BAPBAPOYΣ

P

οἱ τὸ κράτος λαβόν O τες ἐκ θεοῦ μόνου,
Λέων τε Κωνσταντῖ Π νος οἱ στεφηφόροι
Ανιστοροῦσι τὸν O τύπον τοῦ δεσπότου.
Εγκάρδιον φέροντες Y αὐτοῦ τὸν πόθον.
Εἰκῆ δὲ τὴν πρὶν καὶ M μάτην πεπλασμένην
Εξῆραν ἔνθεν A εἰκονουργίας θέαν.
I

Verſio ad verbum.

Qui poteſtatem acceperunt à ſolo Deo
Leo & Conſtantinus, coronas geſtantes,
Ob oculos ponunt, ſeu, *ſpectandam proponunt, figuram Domini.*
In corde ferentes eius deſiderium
Temerè verò antea & fruſtra confictum
Suſtulerunt hinc imaginum effectarũ ſpectaculũ.

EXPLI-

EXPLICATIO.

VIDES hîc priſcos Iconoclaſtas adeo Crucis fuiſſe ſtudioſos, vt Crucis ſignum etiam ſuis in poëmatis effigiare voluerint; & Imperatores Crucem publicè erigentes, omniumq́ue oculis ad contemplationem proponentes ſummis laudibus euexerint.

Characteres Cruci inſcripti hanc reddunt ſententiam. ἐχθροὺς τρέπομαι καὶ φονεύω βαρβάρους. *Hoſtes in fugam verto, & occido barbaros.* Et eſt verſus ſenarius ſuis numeris & modulis plenus & perfectus; quales ſunt omnes, quos nunc vulgamus Iambi, non ἄρρυθμοι, & ſolo ſyllabarum numero, non modulo conſtantes, cuiuſmodi plerique in Tragœdia, quæ *Chriſtus patiens* inſcribitur, & apud Theodorum Prodromum. Ex quo apparet, carminum horum opifices nō fuiſſe è vulgo: nam quòd hoc ſuprà in primo Iambo, in vocula σεμνὸν χεῖν non obſeruatur, faciem habet veniam; Fortè legendum: σεμνύνειν.

Hic iterum contra Iconoclaſtas noſtri temporis quædam notanda ſunt. I. Quis ex eorum grege Crucem ſuis in poëmatis efformet, efformatamq́; laudibus celebret? II. Num hoc crucis elogium pacato Hæretico ſapiat; *Hoſtes in fugam verto, & occido barbaros?* Tam firmo non ſunt ſtomacho, vt hoc tantum crucis præconium concocturi ſint. Mirabuntur; homines, ſi ſuperis placet, *orthodoxos*, hoc eſt, Iconoclaſtas, gloriam Chriſti ad crucem deriuaſſe, nec animaduertiſſe, in crucem hæc tanta quadrare non poſſe. III. Conſtantinus & Leo filius, Iconomachi; Crucem erigunt, & ſpectandam omnibus publicè proponunt: hoc enim ſignificat *hoc loco* verbum ἀνιστῶσι. Etſi credibilius eſt, per Leonem intelligi Iſaurum, patrem Copronymi propter Iambum octauum; vbi clarum, Leonis nomine accipiendū Iſaurum, & Conſtantini; filium Copronymum. IV. Nec hoc ſolùm, ſed & crucem crucisq́ue amorem ac deſiderium in corde circumferunt. Quis non obſtupeſcat veterum Iconoclaſtarum pietatem erga crucem? Nil ſimile hodierni: ſed illud tantum, quod duo vltimi verſus ex media Iconomachiæ officina deprompti indicant: Imagines euertere & deturbare norunt; & in his crucem quoque; ſaltem Caluiniſtæ, etſi nec Lutherani ab hoc deturbatarum & euerſarum crucium crimine immunes. Quid, quòd forſan illud ἐγκάρδιον φέροντες αὐτὸ τὸν πόθον, inſinuat, Leonem & Conſtantinum ex collo per pectus pendulam crucem geſtaſſe?

Quidquid ſit, illud intolerabile eſt, quod Goldaſtus audet Conſtitutionem Theodoſij & Valentiniani Impp. numerare, & quidem primo *Goldaſti fraudulentia.*

primo loco, inter eas, quæ ſunt *contra imaginum venerationem*; cum tota illa ſanctio ad cultum & honorem ſanctæ Crucis tendat: nam Imperatores illi indigniſsimum facinus iudicabant, ſi fidei noſtræ ſacroſanctum ſymbolum *humi* depictum vel ſculptum pedibus tranſeuntium conculcaretur.

Imperitia. II. Imperitiſsimè ſuſpicatur Tiberium poſtea Imperatorem, fuiſſe Iuſtiniano Imp. Auctorem, vt legem hanc in Codicem abs ſe *Iuſtinianeum* nuncupatum inferret: & hoc propter Theſaurum à ſe inuentum, quando *crucem* humi viſam tolli iuſsit, ne *indecorè & irreuerēter* conculcaretur. Et hoc dicit *ſe colligere ex lib.18. Pauli Diaconi.* Errat toto cœlo; nam is, cui Tiberius ſucceſsit in Imperio, & cuius Palatio præfectus erat, non fuit Iuſtinianus ille maior, pacis belliq́ue artibus, & diſpoſitione & ordinatione Iuris ciuilis clariſsimus, ſed fuit Iuſtinus Minor, qui apud Paulum Diaconum, ſiue librarij, ſiue Auctoris errore, vocatur *Iuſtinianus.* Et ſub hoc Iuſtino, Theſaurum à Tiberio inuentum eſſe, cum ipſe præfectus Palatio eſſet, inſinuare videntur verba Pauli Diaconi, ſed Miſcella Hiſtoria & Gregorius Turonenſis lib.5. Hiſt. cap.19. id factum indicant, cum Tiberius iam ad Imperatoriam dignitatem aſcendiſſet. Vtcunque ſit, illud certum eſt; inuentionem Theſauri illius non accidiſſe ſub *Iuſtiniano* maiore, legum amantiſsimo & cupientiſsimo; ac proinde pro puro puto commento habendum, quod Caluiniſta fabulatur, *Tiberium ob repertam tantam auri copiam Iuſtiniano ſuaſiſſe, vt hanc legem Codici ſuo illigaret:* nam mortuo demùm Iuſtiniano maiore hoc contigit.

Commentum Caluiniſticū. Aequè commentitium, ne dicam fanaticum eſt, quod ſcribere non veretur, S. Epiphanium in Cypro Epiſcopum, fuiſſe Imperatoribus *Theodoſio & Arcadio Auctorem, abrogandarum imaginum; Hinc etiam Theodoſium & Valentinianum legem hanc tuliſſe, vt ab eo, quod inuidia minus expoſitum erat, exordirentur.* Exſpectat ſine dubio lector, vnde hoc ſuum ſomnium Goldaſtus probet. Vnde niſi ex ſomniis & impoſturis veterum Iconoclaſtarum: nam vt Hæretici hoc tempore varia ſub celebrium Auctorum nominibus confinxerunt & euulgarunt; vel ſuperioribus *Techna Veterum Iconoclaſtarum.* ſæculis ſycophanticè fabrefacta rurſus in lucem extraxerunt, ita & olim Iconoclaſtæ, vt veſaniæ ſuæ aliquam auctoritatem conciliarent, libros contra imagines & epiſtolam ad Theodoſium Imp. ſub ſanctiſsimi & clariſsimi Patris Epiphanij nomine ſparſerunt, vt eò plures in Iconoclaſticam ſuam naſſam pertraherent. Et hanc fraudulentiſsimam Iconoclaſtarum fallaciam probationis loco nunc nobis oggerit Caluiniſta, cùm tamen in ſeptima Synodo Act.6. Tomo 5. initiò ſtatim, euidentiſsimè oſtendatur; hæc omnia nil aliud eſſe, quàm technas

echnas & ſutelas ſurentium Iconomachorum. Nec quidquam mu-
t Goldaſtus ad ſolidiſsima & ſolis luce clariora ſeptimæ Synodi re-
ponſa: imò totam rem truncat, & ita mutilatè refert, vt lector longè
iud concipiat, quàm ſi ipſos fontes, hoc eſt, ipſa ſeptimæ Synodi A-
a conſulat.

Nam quòd dicit, *parilem* Epiphanij ſententiam haberi infra in
oncilio Conſtantinopolitano VII. Oecumenico (ſcribe in concilia-
ulo malignantium) id fucus eſt; nam non modò ſimilis eſt ſenten-
a; ſed & prorſus eadem; non tamen Epiphanij genuina proles; ſed
nto viro ſuppoſita; à ſeptima vera Synodo valide potenterque re-
tata. Similis ratio eſt aſſumenti illius, quod epiſtolæ S. Epiphanij ad
oannem Hieroſolymitanum attextum eſt; nam à mala, hoc eſt, Ico-
oclaſtica manu venit, vt perſpicuè probat Bellarminus lib. 2. de San-
is cap. 10. Hanc epiſtolam dicit Goldaſtus *ab Epiphanio ad D. Hierony-
um ſcriptam.* O circumſpectionem cautam: ſcilicet, quia S. Hierony-
us hanc S. Epiphanij epiſtolam ex Græco in latinum ſermonem
onuertit, ideò ad *Hieronymum,* non ad *Ioannem Hieroſolymitanum* miſſa
it. At conſidera, ſed ſimul etiam ride, figmenta & figmentis, inſtar
tenæ, connexa.

Inconſideratio Caluiniſta.

Ait, *Theodoſium Iuniorem ab auo & patre, aut etiam ab ipſo Epiphanio hanc
inionem de imaginibus exterminandis inſtillatam accepiſſe.* Fabulæ ſupra
mnes Mileſias: & gerræ omnibus aniculis magis aniles. Quis vnquã
tos Imperatores Iconomachiæ vel tenuiſsimè ſuſpectos habuit? Cui
ec in mentem Theodoſij adhuc paruuli ab Epiphanio Iconoclaſti-
a inſtillatio vnquam in mentem venit? At cur Theodoſius non ſuſtu-
t omnes imagines, ſi Iconoclaſtico ſpiritu afflatus erat? Audi Calui-
ſticam technam. *Periculoſum erat omnia ſimul innouare. Quocirca pruden-
r à cruce humi poſita cœpit, minus enim periculi in hoc erat; & ſpeciem quandam
etatis præ ſe ferebat: Homines enim præconceptarum opinionum, potiſſimum in
ligione, admodum tenaces ſunt, & ſæpe vita potius, quàm ſententia cedere ma-
nt.*

Vix inuenio, quo tantam improbitatem repercutiam. Quod e-
m ſumma pietate & reuerentia erga ſanctiſsimam Crucem Chriſti
heodoſius Imp. impulſus geſſit; hoc iſte ex Iconoclaſtici Alaſtoris
ſtigatione profectũ mentitur; nam ſi vel Theodoſius ſenior, vel filij
rcadius, & Honorius; vel Iunior Theodoſius & Valentinianus ima-
nes exturbare voluiſſent; non magis eorum violentiæ obſiſti potu-
ſet, quàm Leonis Iſaurici, vel Copronymi, & ſimilium; quia longè
otentiores erant, quàm iſti poſterioris æui principes.

Imperatoris Theodoſij reuerentiam & religioſum affectum de

cruce humi non efformanda, ſecuti ſunt alij Principes, vt Tiberius; & Epiſcopi quoque; vt Trullani Concilij præſules, & noſtra ætate non pauci, vt copioſè oſtendi lib. 2. de S. Cruce cap. 62. Num & iſti Copronymiana & Caballina aura afflati hoc fecerunt, & à Cruce ad alias imagines euertendas, ſi qua fata ſinerent, progredi cogitarunt?

Deinde priſci Iconoclaſtæ non confringebant cruces, ſed retinebant & colebant, imò & nouas erigebant, vt apertè noſtri Iambographi teſtantur; quomodo igitur fieri potuit, vt Theodoſius crucis effigiem eo fine *humi* ferre nollet, quod crederet; crucis aliarumq; imaginum vſum & cultũ, *eſſe illicitum ac interdictum?* An deterior & nequior erat ipſo Copronymo, & multis Copronymi ſucceſſoribus, quibus crux ſemper in pretio ac honore fuit? Sed recitemus hic Græcè Canonem 73. Trullanum, ſi quos fortè Græca magis, quàm Latina delectant.

Canon Trullanus de Cruce humi non facienda.

Τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ δείξαντος ἡμῖν τὸ σωτήριον, πᾶσαν σπουδὴν τιθέναι χρὴ τὴν τιμὴν τὴν ἀξίαν ἀποδιδόναι τῷ δι' οὗ σεσώσμεθα τοῦ παλαιοῦ πτώματος. ὅθεν καὶ νῷ καὶ λόγῳ, καὶ αἰσθήσει τὴν προσκύνησιν αὐτῷ ἀπονέμοντες, τοὺς ἐν τῷ ἐδάφει τοῦ σταυροῦ τύπους ὑπό τινων κατασκευαζομένους ἐξαφανίζεσθαι παντοίως προστάσσομεν, ὡς ἂν μὴ τῇ τῶν βαδιζόντων καταπατήσει τὸ τῆς νίκης ἡμῖν τρόπαιον ἐξυβρίζοιτο. τοὺς οὖν ἀπὸ τοῦ νῦν τοῦ σταυροῦ τύπον ἐπὶ ἐδάφους κατασκευάζοντας, ὁρίζομεν ἀφορίζεσθαι.

Cùm crux viuifica illud ſalutare nobis oſtenderit, nos omne ſtudium adhibere oportet, vt ei, per quam ab antiquo lapſu ſaluati ſumus, eum, quem par eſt, honorem habeamus. Vnde, & mente, & ſermone, & ſenſu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ à nonnullis in ſolo, ac pauimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium conculcatione Victoriæ nobis trophæum iniuria afficiatur: qui ſecus fecerit, excommunicari decernimus.

Extat in Bibliotheca Banarica.

Quem Canonem ita interpretatur Zonaras in manuſcripto ſuo Commentario ſuper Conciliorum decreta.

Τοῦ κυρίου ἡμῶν καὶ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος Χριστοῦ ἐν τῷ σταυρῷ κρεμασθέντος ἡμεῖς σεσώσμεθα, καὶ τῆς ἀρχαίας δουλείας τῆς ἁμαρτίας ἠλευθερώμεθα. τούτῳ τοίνυν τῷ τῆς νίκης ἡμῖν αἰτίῳ, τὴν τιμὴν ἀπονέμειν χρῆναι φασὶν οἱ ἱεροὶ πατέρες καὶ νῷ, καὶ λόγῳ, καὶ αἰσθήσει. νῷ μὲν οὖν ἀποδιδόαμεν, ὅτι καθ' ἑαυτοὺς ἐνθυμούμενοι, καὶ λογιζόμενοι, ὅσων ἀγαθῶν ἐτύχομεν δι' αὐτοῦ, ἐκπληττόμεθα τὴν εἰς ἡμᾶς εὐεργεσίαν τοῦ Θεοῦ. λόγῳ δὲ, ὅτι καὶ πρὸς ἑτέρους ταῦτα λέγοντες χάριτας ὁμολογοῦμεν τῷ σώσαντι ἡμᾶς. αἰσθήσει δὲ, ὅτι αὐτὸν ὁρῶντες, τιμῶμεν, καὶ ἀσπαζόμεθα. ἐπεὶ δὲ τινὲς ὡς τάχα πλείονα τιμὴν νέμοντες τῷ σταυρῷ πανταχοῦ ἐτύπουν αὐτόν. πρὸς δὲ τοῖς ἄλλοις καὶ ἐν ἐδάφει. τοῦτο ὁ παρὼν ἀπαγορεύει κανών, κελεύων, μὴ ἐν ἐδάφει τυποῦσθαι σταυρόν, καὶ οὕτως τὸ τῆς νίκης ἡμέτερον τρόπαιον ἀτιμοῦσθαι καταπατούμενον. τοὺς δὲ τοῦτο τολμῶντας, ὑπάγει ἀφορισμῷ.

Domino

Domino & Deo & Saluatore noſtro Chriſto in cruce ſuſpenſo, nos ſeruati & antiqua peccati ſeruitute erepti ſumus. Huic igitur victoriæ nobis partæ inſtrumento ſancti Patres affirmant honorem deferendum eſſe mente, ſermone, & ſenſu. Mente, adorationem deferimus, quando nobiſcum perpendentes & reputantes, quantis bonis per crucem cumulati ſimus, obſtupeſcimus Dei in nos beneficentiam. Sermone autem, quando hæc talia etiam cum aliis communicantes, ſeruatori noſtro gratias debitas habemus. Denique ſenſu, quando viſam crucem veneramur & ſalutamus. Cum verò nonnulli maioris venerationis gratia, vbique, vt apparet, atque adeo humi quoque crucis figuram exprimerent, id fieri præſens Canon prohibet; volens, ne humi crux efformetur, ne victoria noſtra trophæum pedibus conculcatum ignominia afficiatur: ſecus agentes, excommunicatione plectit. Hæc Zonaras.

Vt autem omnes intelligant, quàm nouus iſte Copronymi Hyperaſpiſtes cudendorum imperialium contra imagines decretorum cupidus ſit; etiam tale nobis venum exponit. *Philippici Bardanæ, Imperatoris Auguſti edictum de tollendis imaginibus promulgatum Conſtantinopoli anno Domini DCC. XIII.*

De edicto Philippici contra imagines.

At I. nullus penitus eſt, nec veterum, neque recentiorum Hiſtoricorum, extra ſcholam Hæreſeos, qui edictum contra imagines vniuerſim à Philippico editum ſcribat. Nullus itē, qui id dicat promulgatum *Conſtantinopoli*, Anno prædicto. Nullus, qui id dicat in Pſeudoſynodo Monothelitarum, quam Philippicus Anno DCC. XIII. Conſtantinopoli congregauerat, comprobatum & decreto ſynodali munitum: Ne ipſe quidem nuperus Auctor *Faſciculi temporum*, citatus à Goldaſto hoc aſſerit. En eius verba. *Philippum* (Philippicum) *tanquam hæreticum excommunicauit* (Conſtantinus Papa) *quia imagines Sanctorum deleuerat:* non omnes, ſed ſex duntaxat ſynodorum; quia ſextam Synodum Monothelitico veneno infectus peſsimè oderat, eiusq; memoriam penitus ſublatam diſcupiebat.

Idem Auctor ibid. *Hæreſis imaginum ſerpit:* (ita illi viſum, quia Philippicus imaginem illam ſynodalem deleuerat, non deteſtatione imaginum, ſed odio ſextæ Synodi, nam Philippicus Monothelita erat) *quæ ſic dicitur, quia imagines Sanctorum, quæ ſunt libri laicorum, auferre voluerunt, quaſi idololatriæ cultum. Videtur, quod moti fuerunt ex inſtinctu Saracenorum.* Hæc Faſciculus Temporum. Vbi nulla vllius edicti promulgati mentio. Et ipſe Caluiniſta coactus eſt fateri nil certi ſibi hac de re conſtare. Et tamen audaciſsimè in Titulo. *Philippici Bardanæ Imp. Aug. edictum de tollendis imaginibus* intonat, & annum inſuper promulgati edicti deſignat.

Mentitur, *Græcos ſubobſcurè hoc ſuum commentum innuere*, Qui nam

ſunt, obſecro, iſti Græci: qui vel obſcuriſsimè inſinuent illud, quod tu ex fæcundo plaſmatum pectore tuo depromſiſti? Fatetur, veteres Latinos tantùm facere mentionem *picturæ, qua geſta ſex Synodorum Oecumenicarum repræſentabantur*. Ita eſt. Cur tu ergo edictum fingis, cum illi nihil de edicto; & quidem *vniuerſale*, cum apud illos, tuo ipſius teſtimonio, hoc non reperiatur; vt neque apud Græcos.

Sed ais; Latinos in *rebus Græcorum memoriæ mandandis fuiſſe negligentes ac ſocordes*. Si Latini negligentiæ & ſocordiæ meritò arguuntur, longè iuſtius in Græcos hæc reprehenſio competet. quia quod ad præſens Philippici factum attinet, pauciora in litteras retulerunt, quàm Latini: quos ſuſpicor à te hac nota notari; quia velles ab illis ſcriptũ, quod tu ſomnias, quodque vt ſcriberes Copronymianus ſpiritus tibi dictauit. Vndiq; nimirum per fas & nefas Copronymo tuo ſocios adſciſcis, vt impium dogma, quod ratione non nititur; ſaltem variorum Imperatorum auctoritate fulciri videatur.

Porro quod Philippicus in imaginem illam ſynodalem commiſerat non ſpiritu Iconoclaſtico, ſed execratione Concilij ſexti; id poſtea Copronymus fecit vniuerſali omnium imaginum odio inſtinctus, de quo in vita S. Stephani hæc leguntur. *Eo die* (quo S. Stephanus ad mortem ducebatur) *tyrannus* (Copronymus) *è palatio progreſſus, in Milij porticu ſtabat: vbi prius ſex illa Oecumenica Concilia depicta erant, poſt autem crudelis Imperatoris iuſſu, inducto albario opere, deleta fuerant, atque eorum loco circus ille, quem amabat, ac plurimi faciebat, atque auriga is, quem in delicijs habebat, atque Vraniacum, hoc eſt, Cæleſtem, cùm ne terra quidem dignus eſſet, appellarat, picti cernebantur*. Quàm verè autem in hoc, quod explicamus, epigrammate crux dicat: *Hoſtes fugo, & occido Barbaros*, docent plurima exempla, quæ Tom. 1. de S. Cruce lib. 2. & Tomo 3. lib. 2. recenſuimus. Quibus adde ſequentia ex Hiſtoria Scotica.

De Hungo Rege cum Anglis congreſſuro, ita Hector Boëthius lib. 10. Hiſtoriæ Scoticæ. *Soluto Regi intempeſta nocte in ſoporem, extemplo aſtans Apoſtolus* (Andreas) *iuſsit alacriori eſſet animo, nec hoſtium multitudine terreretur, plurimamq; ſpem in diuina locaret ope: fore, vt glorioſam de Anglis poſtera die aſſequeretur victoriam. Mirum ſcribunt tum accidiſſe ſupra Pictorum caſtra; lucidam cœlo apparuiſſe crucem, illius inſtar, qua Apoſtolus Andreas pro Chriſti nomine ſupplicio olim erat affectus: hancq; Apoſtolum ipſi Hungo oſtendiſſe, addidiſſéque, id oſtentum ante partam victoriam haud cœlo defuturum. Experrectus rex milites iam tum lucentem crucem intempeſta nocte admirantes, edocet: quam fortunam D. Andreas ſibi ſuóque exercitui fuiſſet pollicitus: per quietem hortatur, prima luce alacres hoſtes pugna adorirentur, numine ſibi propitio, & aduerſo hoſtibus: eóque eorum multitudinem minimè timendam. Secuta Regis verba grata*

mnium vociferatio, quam hoſtes audientes. (nam hi noctem totam in armis perſe- ... erabant) lucidam ſimul conſpicati crucem, quippiam mali portento tali ſibi pra- ... gientes ingenti pauore ſunt perculſi.

Et poſt recenſitam commemorabilem à Scotis partam victori- ... m, ſubiungit Hector. *Secundum hac victores depoſitis armis, diui Reguli in ... Mbolinia templum (nunc Diui Andrea adem vocant) nudatis pedibus, vt Chriſti ... poſtolo accepto pro beneficio gratias haberent, Hungum Regem ſecuti magno iti- ... ere petierunt. Illuc vbi deuentum, ſacris celebri pompa peractis; Pictorum, Scoto- ... umq; nobiles ſecundum Regem, inde catera multitudo Apoſtoli Andrea reueren- ... er oſculari reliquias, immenſas gratias Chriſto atq; eius Apoſtolo reddiderunt: ... olliciti Hungo autore, ſe ſuamq; poſteritatem ſigno Crucis D. Andrea, quoties ad ... ralium fuerit proficiſcendum, vt tam inſignis victoria parta diuinitus, grata re- ... ordatione ſemper haberetur, pro inſigni deinceps vſuros.*

Idem Hector lib. 8. Hiſt. Scoticæ, de prælio Vortimeri Britonum Regis contra Saxones. *Quò magis augeret copias, Chriſti crucifixi ſimulacro ... ſuo pro vexillo, vocaliſſimos per præcones iubet, cuncti vera religionis amantes, id ... equerentur inſigne, &c. Ad octoginta armatorum millia illico affuere, &c. Saxo- ... um millia decem prælio deſiderata, &c.*

Ioannes Leſlæus Epiſcopus Roſſenſis lib. 7. Hiſt. Scotorum, vbi de inſtanti Scotorum cum Anglis conflictu agit. *Ipſam ante prælium no- ... tem* Robertus Bruſeus (poſtea Scotorum Rex) *in precibus totam defixit. ... oſtera luce illum, reliquosq; omnes milites, abſterſis prius ſalutari confeſſionis Sa- ... ramento omnibus antiqua vita ſordibus, Chriſtiq; corpore ſummo omnium ardore ... ralibato, adhortatur Mauritius Abbas ſingulari pietate, vitaq; puritate præditus, ... t fortiter patria, libertatisq; defenſionem ſuſciperent. Non enim ſingulos pro ſin- ... ulis hominibus, ædibus, liberis pugnare, ſed omnes pro omnibus proq; omnium li- ... ertate, &c. His dictis, monet, vt flexis genibus, Chriſti imaginem, quam manibus ... enebat, omniumq; oculis obiiciebat, iuſta veneratione colerent. Angli quamprimùm ... ociferantur, Scotos prouolutos genibus, ſupplices manus dare. Sed quorum pieta- ... em irrident, illorum neruos non multo poſt grauiſſimè ſenſerunt. Nam vtrinq; in ... ciem deſcenditur, vtrinq; fortiter pugnatur: ſed fractis Anglis, ſua multitudine ni- ... nium antea præfidentibus, Scoti victoriam, tanquam pietatis ſuæ fructum ampliſ- ... imum referunt, &c. Eo prælio ex Anglis caſi quinquaginta millia, ducenti equi- ... es, Dux Gouernia, & Comes Gloceſtriæ. Scoti tantum deſiderarunt duos equites ... uratos, Gulielmum de veteri Ponte, & Gualterum Roſſenſem, ac quatuor millia ... torum, qui ex plebe erant, Spolia argenti & auri inde reportata, ac ca- ptorum maxima multitudo, Scotiam pluribus diuitiis, quàm antea, feliciter auxerunt.*

IV. IAMBVS
ΙΩΑΝΝΟΥ.

Χ ρυσογραφοῦσι Χρισ	Τὸν οἱ θεηγόρο	Ι
Ρ ήσεσι προφητῶν μὴ βλέπ	Ο ντες τοῖς κάτ	Ω
Ι σηγόρων γὰρ Ε Λ	Π Ι Σ ἡ θεοπιστί	Α,
Σ κιογράφων δὲ τὴν π	Α λίνδρομον πλάνη	Ν,
Τ ρανῶς πατοῦσιν ὡς	Θ εῷ μισουμένην	Ν
Ο ἱ συμπνέοντες, οἱ Φ	Ο ροῦντες τὰ στέφ	Η
Υ ψοῦσι φαιδρῶς	Σ ταυρὸν εὐσεβεῖ κρίσει	Ι.

Verſio ad verbum.

Aureè depingunt Chriſtum, qui de Deo loquuntur, hoc eſt, Theologi,
Oraculis Prophetarum, non attendentes ad hæc inferiora
Nam paria loquentium ſpes (eſt) *fides diuina:*
Pictorum verò recurrentem errorem
Apertè conculcant, vt Deo inuiſum,
Conſentientes; geſtantes coronas
Exaltant ſplendidè crucem pio iudicio.

EXPLICATIO.

SENTENTIA grandiuſcularum literarum eſt, *Χριστοῦ τὸ πάθος Ἰωάννῃ ἐλπίς. Chriſti paſsio Ioanni ſpes.* *Θεηγόροι* ſunt Theologi, qui de Deo diſſerunt, illi Chriſtum diſputationibus ſuis præclarè delineant, (hoc enim eſt iſto loco *χρυσογραφεῖν*) oraculis & vaticiniis Prophetarum; non coloribus & externâ formâ, non enim attendunt *τοῖς κάτω, ad hæc terrena*: Eorum enim

qui

qui eadem loquuntur, (eſt enim *ἰσηγορεῖν ex æquo loqui, ἰσηγορία, æqua loquendi libertas: ἰσηγόρος* ergo, *qui æqualia vel paria cum alio loquitur,*) *ſpes eſt ἡ θεοπιστία, fides in Deum.*

Σκιογράφων] Eſt *σκιογράφος* ad verbum, *pictor vmbræ, qui rem aliquam adumbrat.* Videntur Iconoclaſtæ hoc vocabulo aduerſus pictores, contemptus gratia, vſi. Sic enim Act. 6. Tom. 3. Concilij VII. Oecumenici loquitur Epiphanius. *Quin etiam appellant* (pictores) *vmbratiles pictores* (*σκιογράφους*, quaſi vmbram, rem nihili & nauci pingerent, quando Chriſti imagines pingebant) *qui Chriſtum coloribus delineant depinguntq́.* Quid ergo? *Num & fabrum Crucem præparantem ædificantemue, ſcæotectona, hoc eſt, ineptum fabrum & rudem vocabunt? Dicatur & lapicida, qui menſam ſacram* (altare) *in Eccleſiis polit & aptat, ſcæolithurgos*, id eſt, *improbus lapicida. Similiter aurifaber & argentarius faber σκαιοχρυσόχοος, hoc eſt, ineptus & minimè in ea arte doctus auri cudendi Magiſter & Phrygio: non tamen ob iſtorum inſaniam quæuis ars & ſcientia à Deo ad gloriam illius & noſtram vtilitatem noſtræ vitæ tradita, peribit.* Niſi Latina ſeptimi Concilij verſio (nam Græcum textum non vidi) expreſsè diceret, pictores ab Iconomachis appellatos *vmbratiles*, ſuſpicarer in Græco Concilij textu, atque adeo in hoc noſtro Iambo legendum; *σκαιογράφους* pro *σκιογράφους*, quandoquidem ſemper poſtea fit mentio *vocum παρὰ τὸ σκαιὸν* non *παρὰ τὴν σκιὰν* compoſitorum.

Conuicia Iconomachorum in pictores.

Iidem Iconoclaſtæ in conciliabulo ſuo appellarunt artem pictorum nefandam; quæ *Dominicæ incarnationis myſterium blaſphemet, & ſex ſacroſanctas Synodos ſubuertat.*

Alia Iconomachorum conuicia in pictores.

Ad quæ Epiphanius in ſeptima Synodo. *Quomodo contra diſpenſationis myſterium, imagines pictæ blaſphemias inferunt? Aut qua ratione ſex ſacras Synodos contumelia afficiunt? &c. Omnes artes illiberales, quæ à ſcopo mandatorum Dei declinant, interdictæ ſunt. Quæ verò ſecus agunt, ſed in vſum aliquem vitæ proficiunt, & non ſunt indecoræ, ita à ſanctis Patribus noſtris non ſunt damnatæ, nec excluſæ. Pictura autem arte, ſi in aſpectum turpitudinis quiſpiam vſus fuerit, execrabilis eſt & damnoſa: veluti ſi quis effigies meretricias, & ſpectacula, item molles ſaltandi flexus, & equeſtrium certaminum formas, aut ſi quid his ſimile fuerit, pingat; ſanè opus illud turpe, & noxium cenſebitur. Si autem honeſtorum virorum vitas, & hiſtorias certaminū Martyrum, eorundemq́ paſſiones; item magni Dei, & Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti diſpenſationis myſterium picturâ repræſentare voluerimus, tunc quidem pictorum arte vtentes, valdè rectè feciſſe dicemur. Nam & pictor crucem depingit, neq́ tamen aliquis, cui ſanum cerebrum eſt, ob eam cauſſam pictorem auerſatur, neq́ à diuina gratia illum excludit, quod coloribus eam exornauerit.*

Hæc Synodus ſeptima, quæ appoſitiſsimo Crucis exemplo criminatio-

nationes contra pictoriam artem retundit; nam quando Crux pingenda erat, laudabilis eis videbatur pictorum ars; vt & tunc, cum plantæ, feræ, & homines, etiam ſcelerati; dummodo non ſancti, effigiabantur; vituperabilis autem, quamprimum ad Christi, cælitumque effigies exprimendas adhibebatur. Quæ cauſa huius diuerſitatis, niſi illud vniuerſis nouatoribus ſolenne? *Sic volo, ſic ſtatuo.*

Παλίνδρομον] Videtur hoc nomine vti, quòd religio & conſuetudo faciendi, erigendi & colendi imagines, ſemper reuireret & repullularet, quamuis Iconoclaſtæ ſumma ope niterentur eam opprimere; & in id omnes ſuos neruos intenderent.

Οἱ φοροῦντες] Priores ſenarij ſunt Iconoclaſtici: orthodoxus, poſtremus, qui dicit; *Imperatores* (Conſtantinum & Leonem filium, vel potius Leonem Iſaurum & Conſtantinum Copronymum intellige) ὑψοῦν, *exaltare, celebrare, & efferre Crucem*, idque non qualitercunque: ſed φαιδρῶς, *inſigniter, egregiè*: nec temerè, ſed εὐσεβεῖ κρίσει, *iudicio pio*. Hic iterum noſtros conuenio Iconomachos. Num idem illis eſt in Crucem affectus? Num & ipſi φαιδρῶς ὑψοῦσι τὸν σταυρόν; Num hæc ſacroſanctæ Crucis ὕψωσις, ipſorum ſententiâ, adſcribi poteſt τῇ εὐσεβεῖ κρίσει; Nullo modo, nam ipſis hoc in articulo magis lubet eſſe *Bogomilianis*, quàm *Copronymianis*. Ita enim Nicetas Tom. 19. & Euthymius in Panoplia de Bogomilis. ἀτιμάζουσι τὸν θεῖον σταυρὸν, ὡς ἀναιρέτην τοῦ σωτῆρος. *Ignominia afficiunt diuinam Crucem, vt Saluatoris interfectricem.*

Subiungit Nicetas. Ὃν ἔδει μᾶλλον τιμᾶν, ὡς καθαιρέτην τοῦ διαβόλου. μετὰ γὰρ τότε θανατηφόρον ὄργανον χρηματίζων, ἐκτοτε ζωηφόρον ὅπλον ἐγένετο βασιλικώτατον ἤ, καὶ φοβερώτατον τοῖς ἐχθροῖς ἅτε τῷ δεσποτικῷ αἵματι, καὶ ὕδατι καταῤῥυτισθέν. *Quam magis venerari oportebat, tanquam peremptricem Diaboli: nam quæ eouſque mortiferum inſtrumentum audiebat, illa ex eo tempore vitalis armatura euaſit, quàm maximè regalis & hoſtibus terrifica, quippe ſanguine & aqua Domini irrigata.* Hæc de ſenſu Iambi quarti.

Nunc vide ſis effrenatam temeritatem Caluiniſtæ. Vt de Iconoclaſtis bene mereatur, abſtergendo ab illis quàm diligentiſsimè omnem violatæ religionis næuum, facinora audet inaudita prorſus, & à nullo quamuis perfrictæ frontis, ſectario tentata. Nam omnes ſcriptores Græci & Latini vno ore & calamo teſtantur, Iconomachiam imaginumque euerſionem perſuaſam eſſe *Ezido*, ſiue *Gizido* Arabum Tyranno, à Iudæo quodam, qui, vt cupiditatem nocendi Chriſtianis, qua ſummoperè incenſus erat, expleret; Gizidum adiit, eique quadraginta Imperij annos promiſit, ſi imagines in omnium Chriſtianorum ſub ſua ditione degentium Eccleſiis euertendas curaret. Hoc tradit Theophanes in Hiſtoria ſua nondum typis excuſa: hoc

Origo Iconomachia.

Miſcel-

Miſcella Hiſtoria. Hoc ſeptima Synodus Occumenica. Hoc Zonaras, hoc Cedrenus; hoc Glycas, hoc Conſtantinus Manaſſes, hoc Paulus Diaconus, hoc Sigebertus; hoc Pſeudoſynodus Pariſienſis cap. 16. Hoc ipſi Centuriatores Cent. 8. cap. 3. Hoc alij omnes, quicunque originem Iconoclaſtarum ſcriptis perſecuti ſunt.

Quid ad hæc Hæreticus? Omnes, nullo excepto, vanitatis & pſeudologiæ accuſat & horrificis contumeliis inſectatur ac onerat. I. *Falſum & impudenter falſum eſt, quod Græculi mendaces & ſuperſtitioſuli confinxerunt, reformationem imaginum à Iudæis, inde à Saracenis, manaſſe, illamq́; ipſam inde in Chriſtianos.* Nullus Hiſtoricorum *reformationis* meminit, ſed deformationis, exterminationis, euerſionis. Num incendere, pedibus conculcare, confringere, conterere, eſt tibi reformare? — *Contumelia Caluiniſtica in antiquos ſcriptores.*

II. *Theophanes, more Græcorum vera falſa & ementita commiſcet.*

III. *Quid non audet Græcia mendax?* (Quid non audet frons Caluiniſtica?)

IV. *Monſtroſa ſunt, quæ ex Græcorum Annalibus Baronius recitat?*

V. *Ioannes Orientis Vicarius ea narrat in Synodo ſeptima quæ probari nequeunt; quia à ſincero & incorrupto teſte non narrantur; ſed ab illo, qui germanas fabulas, gerrasq́; Siculas deblaterat.*

Vt autem his ſuis conuitiis & ſycophantiis aliquem colorem illinat, architectatur. Primùm Synodum Nacolianam prouincialem, quæ in rerum natura nunquam exſtitit; cuius Auctorum nemo vnquam meminit. II. Fingit huic Synodo præſediſſe. *Theophilum Nacoliæ Metropolitam.* Nunquam & nuſpiam præſedit, niſi in Caluiniani huius malè ſano cerebro.

III. Fingit, *Synodum hanc coactam propter edictum Gizidi Arabum Principis de tollendis imaginibus.* Nemo veterum hæc ſomnia Caluiniana & exotica vnquam ſomniauit. Edidit quidem Princeps ille Edictum contra Imagines, ſed nihil de eo ſtabiliendo & comprobando vlla in Synodo actum eſt.

IV. Audacter fingit, *hanc Synodum celebratam Anno Redemptoris* DCC. XXIII. Nihil de hoc Annales; nihil vetus memoria.

V. Vt hæc omnia ſint plauſibiliora, more ſibi ſolenni, titulum digitalibus propè literis exaratum præmittit. SYNODVS NACOLIANA PROVINCIALIS, &c. Vbi celebrata? In concauo Lunæ, cum Icaromenippus ibi ſeſſitaret, & Kepplerиani *Lunatici* indigenæ eodem die, quo mane ſementem fecerant, ſub veſperum meterent, & propitia Cerere granaria ſua replerent. In Vtopia Mori, vbi viuitur ex præſcriptione Calendarij à IOSEPHO Burdone emendati.

VI. Fingit, *Non Iudæum, ſed Chriſtianos Arabiæ à Gizido poſtulaſſe, vt ipſius nutu liceret imagines exterminare.*

VII. Fingit, *Chriſtianos, cum animaduerterent, ſe apud Principem parum poſſe, & gratiâ non multum valere, ſubornaſſe Iudæum quendam, nomine Sarantanpicum, qui Chriſtianorum cauſſam de tollendis imaginibus apud Principem Arabiæ ageret; Principem haud grauatè votis annuiſſe, & lege lata, omnes imagines ſuſtuliſſe.*

VIII. Mentitur, *ab Epiſcopis Nicænæ Synodi tradi, Theophilum Metropolitam Nacoliæ fuiſſe primum ſectæ Iconoclaſticæ Auctorem.* Non aſſeritur hoc abſolutè à Taraſio Patriarcha Conſtantinopolitano; ſed cum reſtrictione; vt primus cenſeatur inter Epiſcopos; qui hunc Iconoclaſticum errorem amplexi ſunt. nam primus & principalis huius hæreſeos eo tempore Architectus, fuit ex Chriſtianis Leo Iſauricus, ita vt verè nomen hæreſiarchæ mereatur, quidquid contra Illuſtriſsimum Cardin. Baronium Anno DCC. XXVII. hoc aſſerentem inſanias.

IX. Mentitur, hæc, quæ ſine vllo teſte, vlliuſque teſtimonio, protulit; *colligi ex Synodo* VII. *Act.*4.& 5.

X. Rurſus inuehitur in Ioannem Orientis Vicarium, clamitans, *de Gizidi edicto circumferri narrationes varias fabulis conſutas & refertas mendaciis, Auctorem & confictorem eſſe Ioannem, vanos vulgi rumuſculos captantem.* Erant in eo Concilio, in quo Ioannes Orientis Vicarius Hiſtoriam de Iudæo & Gizido recenſuit, CCC. L. Patres. Nemini eorum ſuſpicio fraudis in mentem venit. Nemo Ioannem falſitatis vel fabulationis arguit. An non credibile, tot patres, tot mundi oculos & lumina, vidiſſe plura, quàm hunc ex neſcio qua Caluini ſcrobe talpam.

XI. Mentitur, *Ioannem ita loqui de Vmaro, Gizidi patre, quaſi Chriſtianus fuerit*; Et mox obiicit Auctores, *qui Vmarum, Mahometanum fuiſſe, & in Chriſtianos ſæuam perſecutionem excitaſſe tradant.* Logi, logi. Nam Ioannes nihil aliud dicit, quàm Vmarum inſignem Victoriam reportaſſe *per gratiam Domini noſtri* IESV *Chriſti Saluatoris, eiusq; Deiparæ matris.* An non fieri poteſt, vt beneficium Chriſti & Deiparæ ſit, ſi quis, etiam infidelis, victoriam de hoſtibus ſuis referat? Cuius ope tot victoriis, laureis, & adoreis potitus eſt Rex Cyrus? Si neſcis, audi Iſaiam cap. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur,* &c. *Accinxi te, & non cognouiſti me,*&c.

XII Par.

XII. Par mendacium eſt, ex verbis Ioannis colligi, *hoſtem Vmari Anaſchaphum Maſalman, fuiſſe Chriſtianum.* Ex quibus Ioannis verbis hoc colligis? An quia dicit, eum ab Vmaro ex iſta terra fuiſſe expulſum, inque Syriam fugatum? Certè hoc hinc non extundes. Nam & infidelis infidelem; & Mahometanus, Mahometanum aggredi, & armis domitum in fugam coniicere poteſt. Obſederat autem Maſalmam, ex Abydo in Thraciam cum magnis copiis tranſuectus, Conſtantinopolim; vt ex Zonara & aliis in Leone Iſaurico liquet. Inde ab Vmaro fugatus, & in Syriam abire compulſus videtur; Plures enim erant Arabum principes non ſemper inter ſe concordes, vt notum ex Hiſtoriis.

XIII. Ferre nequit Caluiniſta, quòd Ioannes Vicarius Orientis *Ezidum* ſeu *Gizidum* nominat hominem *leuem* & *inconſtantem*. *Qua in re leuis & inconſtans, dic ſodes;* clamat Copronymianus Caluiniſta. *In religione, an vita?* Paucis me expedio. In vtraque: quia adhęrere placitis Mahometanis tam ab omni ratione auerſis, certè non eſt viri prudentis & conſtantis, ſed leuis. Leuis item vitæ fuit, qui Iudæo talia ac tanta, ex ſolius DEI nutu pendentia, pollicito, tam pronas & patulas aures, mentemque adeo obſecundantem præbuit?

XIV. Inſipienter ſcriptores enantiologiæ & contradictionis inde arguit Caluiniſta, quòd Ioannes dicat, *Iudaum, qui Ezido imaginum demolitionem ſuaſit & perſuaſit, fuiſſe in Tiberiade. Theophanes verò ſcribat, hunc Iudaum oriundum fuiſſe ex Laodicea. Ecce tibi,* inquit Caluiniſta, *Tiberiadem & Laodiceam*, id eſt, *Schinum & prinum.* Nil niſi calumnias audio: Ioannes enim non ait eum oriundum fuiſſe ex Tiberiade, vt Theophanes, ſed fuiſſe in Tiberiade. An quis nullo in loco eſſe poteſt, niſi ſit ex illo oriundus? An iſte Geneua aut Francoforto ortum ducit, quia Geneuæ & Francoforti fuit? Et tamen thraſonicè adiicit. *Sexcenta tanta ſunt, quibus mendacij conuincatur hac fabula,* (Goldaſti nimirum de toto hoc Synodi Nacolienſis argumento.) Vt enim de loco natali huius Iudæi inter Hiſtoricos diſſenſio eſſet, an ideo facti ipſius veritas periclitaretur?

XV. AEquè fatua eſt hæc obiectio. *Non conueniunt inter ſe ſcriptores de anno, quo Iudaus Gizido imaginum euerſionem perſuaſiſſe fertur; tota ergo narratio fabuloſa eſt.* Tu dic; Non conueniunt ſcriptores, quo Anno Redemptor noſter natus ſit ac paſſus; fabulis ergo accenſeatur, quod de ortu & paſsione eius fertur. Simile delirium eſt. *Synodus Nicana dicit Gizido triginta annos Imperij à Iudao promiſſos*

miſſos; Theophanes, quadraginta; ergo narratio fabuloſa. Pulchrè. Ac ſi dicas: Iuxta computum 70. Interpretum, Mathuſalem & alij tot & tot annis vixerunt; at vero iuxta Hebræorum ſupputationem tot & tot; paucioribus vel pluribus; Ergo quidquid de longæuitate iſtorum refertur, id ad mythologiam pertinet.

Occinit & illud: *Ioannes dicit; vnum fuiſſe Iudæum, qui Gizido falſa ſua pollicitatione os ſubleuerit; at Zonaras & Cedrenus multos nominant, qui Gizidum fefellerint. Hæc quî cohærent?* Bellè, ſed in capite ſano, quale non tuum. Nam vnus fuit cæterorum omnium Dux & anteſignanus; plures, ducis huius quaſi manipulares & ſuccenturiati.

XVI. *Theophanes, Cedrenus, Zonaras tradunt Hebræos, Gizidi deceptores, aufugiſſe in Iſauriam, at Nicæna Synodus tradit Hebræum illum ab Vlido interfectum. Nonne hæc congruunt concorditer?* inquit Caluiniſta. Congruunt, ſed non apud incongruum, qualis tu. Quia fieri potuit, vt fugiens Iudæus iſte ex fuga retraheretur & mactaretur. Deinde forſan ſociis in Iſauriam elapſis ſolus dux & auſpex pœnas dedit. Quorum ſiue hoc, ſiue illud, ſiue quid ſimile euenerit, conſtat ſua Nicænæ Synodo cum reliquis conſenſio; & reliquis cum hac.

XVII. Mentitur, Theophilum, Metropolitam Nacoliæ, *vnà cum impij dogmatis aſſeclis communi decreto Prouincialis Synodi, Hebræos & Arabas imitandos, & Eccleſias imaginibus ſpoliandas cenſuiſſe.* Nihil vſpiam de hac Synodo proditum legimus: nec magis colligitur ex Epiſtola S. Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Conſtantinum Epiſcopum; quàm Goldaſtum eſſe orthodoxum, non ex Caluini ſchola cacodoxum.

XVIII. Mentitur, *Germanum audita Synodi congregatione, Epiſcopos Conſtantinopolim euocaſſe; & hoc colligi ex Epiſtola Germani ad Ioannem Synnadôn Metropolitanum.* Nihil hæc Epiſtola de vlla Synodo. Nihil de euocatione Epiſcoporum Conſtantinopolim; Tantum hoc Germanus indicat, ſe Theophilum conueniſſe, perſcrutatumque eſſe, quæ ſit eius de imaginibus ſententia. Videtur autem iſte Theophilus Conſtantinopoli degiſſe, & cum Leone Imperat. perquam familiariter vixiſſe; prout apparet ex Theophane; vt proinde eum, qui iam Conſtantinopoli verſabatur, neceſſe non eſſet Conſtantinopolim euocare.

XIX. Ite-

XIX. Iterum mentitur, *Theophilum, Nacoliæ Metropolitam, decretum ſynodale de tollendis imaginibus vulgaſſe:* & hoc ſtultè dicit, ſe colligere *ex hoc; quòd Germanus de Theophilo ſcripſit;* illum examinatum reſpondiſſe; ſe imagines reiicere, inſtructum illa ſcriptura: *Nullam facies ſimilitudinem ad adorandum illam, &c.* Vbi nullum verbum de vlla ſynodo aut ſynodali decreto: quidquid Caluiniſta aut de illa, aut de hoc garrit, hoc totum ſuo ex cerebro exſculpſit.

XX. Mentitur, Beſerem, Leonis Imperatoris in impietate Iconoclaſtica propagatorem, hauſiſſe hanc imaginum deteſtationem, *non à Saracenis, ſed ab Arabibus Chriſtianis.* Nec vllo, quod vel in ſpeciem probabile ſit, argumento, hanc ſuam Pſeudologiam ſtabilit.

Poſtea proponit nobis Iſauricus Caluiniſta Leonis Iſauri contra Imagines edictum, & quidem, vt ſolet, litteris *vncialibus.* Quaſi ignotum fuiſſet, Leonem Iſauricum in Imagines inſaniiſſe, & hac inſania Caluiniſtarum præcurſorem egiſſe. Perſtringit Auctor vitæ S. Stephani Iunioris amentiam Leonis Iſaurici. Annotat Goldaſtus. *Fuit Auctor iſte Iconolatra; eò abſurdè & impiè dicit in ſuum Imperatorem.* Fuit, & eſt Annotator iſte Caluinianus, germen de Copronymo; eò abſurdè & impiè calumniatur ſcriptorem grauiſsimum. ſiue is S. Damaſcenus fuerit, ſiue quis alius, certè Leoni & Copronymo ſynchronus, & vtriuſq; mores, Acta & edicta probè perſpecta habuit; ac proinde iure antiquitatis & ſinceritatis, fide multo dignior quàm heſternus iſte Nouator; qui Leonis contra imagines bellum approbat, vt pium, diuinoque Iuri conſentaneum; quia ſub pectore illius recubat Copronymus, & illo agitante, caleſcit.

Scribit Auctor Hiſtoriæ de S. Stephano Iuniore, Leonem Iſaurum, cum animaduerteret, ob ſuum contra imagines decretum, tumultum excitari; ſtylum non nihil vertiſſe: *Quod vt verſipellis ille ſenſit,* inquit Auctor, *ſtatim Gygis annulum vertens, vt obſcurum eſſet, quod agebat, laborabat, nō videlicet Leonis libertatem imitans, ſed Chamæleontis potius in modum formas immutans. Non, inquit, huc ſpectat mea ſententia, vt eæ prorſus deleantur; ſed hoc aio, ſublimiore loco collocandas eas eſſe, ne ore quiſquam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat.*

Ad quæ falſidicus Scholiaſtes Goldaſtus. *Nimirum in hoc edicto Imperator reſpexit ad cauſſas, & rationem, quam Conſtitutioni ſuæ* (de cruce humi non effingenda) *Impp. Theodoſius II. & Valentinianus III. dederunt: ne ſcilicet Dei Sanctorumq; eius memoria veniat in contemptum ex profanatione, aut ex ſuperſtitione in Idololatriam.* Audaciſsimum figmentum. Nam duo illi Imperatores ſuo in Edicto de Cruce *humi* non pingenda vel ſculpenda, nihil aliud ſpectarunt, quàm vt trophæum Redemptionis & ſalu-

tis noſtræ pedibus non conculcaretur, nec irreuerenter ac irreligioſè haberetur, vt patet ex planiſsimis ipſius decreti verbis. Num eadem mens fuit Leoni in ſuo interdicto? Qui imagines damnauit & delendas ſanxit, tanquam idola. Num Theodoſius & collega eius Crucem pro *Idolo* habuerunt? An in ſua lege profeſsi ſunt, ſe Crucem humi ferre nolle, ne Dei Sanctorumque memoria veniat in contemptum ex profanatione: aut ex ſuperſtitione in Idololatriam? Nihil illi de Dei Sanctorumq; memoria, eiusque profanatione. Nihil de ſuperſtitione & Idololatria, vel vtriuſque periculo: ſed de Cruce locuti ſunt. Hanc humi poni noluerunt; ne profanaretur, conculcatione tranſeuntium. Quid ſimile Iſaurus ille, & Taurus indomitus? Quis illam ſui edicti interpretationem dedit, metu tumultuantis populi; quæ, præterquam quod ſtulta erat & fatua; (qualis enim profanatio *rebus honore dignis*, hoc eſt, imaginibus imminebat; ſi demiſsiore loco collocatæ eſſent, vt tangi & oſculo coli poſſent?) ficta etiam & prorſus commentitia fuit. nam imagines non habuit *pro rebus honore dignis*; ſed pro idolis omni ignominia afficiendis; & quamprimum concremandis. Quo autem fine hoc commentum de imaginibus in altiorem locum efferendis adduxerit, præclarè intellexit & explicauit Auctor, qui Martyrium S. Stephani conſcripſit, *nimirum, vt eas longè à nobis collocando, ac procul ab oculis noſtris remouendo, (ne eas facilè aut cernere, aut contingere queamus) paulatim, vt ſæpe nobis in his, quos amamus, vſuuenit, in obliuionem incidamus, easq́; charas habere dediſcamus: atque ita ſenſim, & citra tumultum hoc à nobis obtineatur, vt eas nec adoremus, nec honore afficiamus.*

Simili impoſtura fucum facere Ludouico Pio Imp. & Regi Francorum conati ſunt Michaël & Theophilus Imperatores Iconomachi, his ad eum inter cætera, verbis ſcribentes. *Imagines, de humilioribus locis auferri fecerunt, & eas, quæ in ſublimioribus locis poſitæ erant, vt ipſa pictura pro ſcriptura haberetur, in ſuis locis conſiſtere permiſerunt, ne ab indoctioribus & infirmioribus adorarentur.* Quæ prorſus falſa ſunt; nam Iſaurus & Copronymus omnes penitus imagines, quantumuis in excelſo loco locatas, ſuſtulerunt; nec illis melior fuit vel Michaël Balbus, vel Theophilus: qui hæc omnia *dicis* tantummodo cauſſa euulgarunt, vt impietati ſuæ aliquod mantelum quærerent, vel eam vſq; eò tegerent, donec liberè & impunè erumpere, & in ſacras imagines arbitratu ſuo graſſari poſſent.

Extſtat hæc epiſtol. inter. Pſeudoſynodi Pariſienſis.

Sed en capita accuſationum, quibus duo iſti malę mentis & fidei Imperatores Catholicos onerant: & ob quæ, etiam imagines, ſaltem humiliore loco ſitas, vt ipſi præ ſe ferebant, exterminandas arbitrabantur. *Primum*, aiunt, *honorificas & viuificas cruces de ſacris templis expellebant,*

bant, & in eadem loca imagines ſtatuebant. (Nunquam viſum, nunquam auditum, Cruces ab Orthodoxis ex Templis eiectas; calumnia hæc eſt Iconoclaſtica; qua duo Diaboli negotia ſimul egerunt; nam hac criminatione orthodoxis aliis, huius ſtrophæ ignaris, & ipſis Iconomachis Crucem retinentibus & honorantibus, Catholicos inuiſos & exoſos reddere ſtuduerunt) *ponebantq́; lucernas coram eis* (grande ſcilicet piaculum, nec Iconomachis lucernas ad alia vſurpantibus tanta vel olei vel ceræ iactura ferenda) *ſimul & incenſum adolebant* (crimen priori non impar: an neſciebant iſti, id quod typo vel coram typo fit, tranſire ad prototypum?) *atque eas in tali honore habebant, ſicut honorificum & viuificum lignum, &c.* Si de imaginibus Chriſti loquitur; vera loquitur; Si de imaginibus Sanctorum; falſa; quia vt Chriſto alius honor debetur, quàm Sanctis; ita imagines Chriſti, inter quas & crux, excellentiore cultu coluntur, quàm imagines Sanctorum. At inter Chriſti imagines, ſi crux præcipua in veneratione eſt, id non mirum, quandoquidem redemptionis noſtræ peculiare inſtrumentum fuit.

Pſallebant, inquiunt, *& adorabant, atque ab eiſdem imaginibus auxilium petebant.* Falſum hoc poſterius. Auxilium non petitur, niſi à viuente; cuiuſmodi non eſt imago; ſed imaginis ſignificatum. Pſallere coram imagine, quid criminis? An non ipſi Iconoclaſtæ Pſalmos modulabantur coram Cruce? Adorare, hoc eſt, venerari, imagines an illicitum? An non ipſi Iconomachi crucem adorabant & venerabantur? An non & crux imago eſt?

Plerique autem linteaminibus eaſdem imagines circumdabant, & filiorum ſuorum de baptiſmatis fonte ſuſceptrices faciebant. Non illas, ſed illos vel illas, quos vel quas repræſentabant. In quo nihil ſuperſtitionis; multoque minus aliquid ſacrilegij. An non pium ac religioſum, Sanctis in tutelam dare infantem, vt eius, quaſi ſuſceptores, &, vt vocant, *patrini*, curam gerant. Ad hunc morem alluſit Auctor, (quem ex Bibliotheca Bauarica deſcribendum curaui) de primatu Pontificis, & aliis capitibus inter Latinos & Græcos controuerſis; dum ita ſcribit. *Sanctæ Dei Genitricis imaginem, vt filios parturiat, compellant, eaq́; mediante, ipſam Domini matrem, vt commater fiat, accerſunt, hoc modo Imagini ſindonem connectunt, vt baptizatum puerum de manu ſacerdotis, ipſa, vt commater, accipiat.*

Pergunt Iconoclaſtici Imperatores. *Alij verò religioſum habitum monaſticum ſumere volentes, religioſiores perſonas poſtponebant; qui prius comam capitis eorum ſuſcipere ſolebant; adhibitis imaginibus, quaſi in ſinum earum, decidere capillos eorum ſinebant.* Neque hoc tam immane piaculum fuit, vt propter illud oriens & occidens turbari, totque Eccleſiæ vaſtari, & imagines funditus exſtirpari debuerint: imò piaculum non fuit, ſed reli-

gio; quid enim ſceleris in hoc, ſi is, qui comam ponit, (vt fiebat ab illis, qui Monaſticum habitum induebant) exuuias illas ſuas ad imaginem alicuius Sancti deponat, eiusque preces expoſcat, vt cœptis tam arduis aſpirare, & clementer opitulari dignetur?

Necdum finis querelarum. *Quidam verò ſacerdotum & clericorum, colores de imaginibus radentes immiſcuerunt oblationibus & vino, & ex hac oblatione poſt Miſſarum celebrationem dabant communicare volentibus.* Græci vuas quoque aliquando & alicubi admiſcebant oblationi, & Euchariſticæ communioni, vt planùm fit canone 28. Trullano. An ideo vuæ ex tota Græcia ſunt ſublatæ? An, ne quis vites ſereret aut coleret; ſeueriſsimis edictis interdictum eſt? Nequaquam. Abuſus, retento vſu, ſublatus eſt. Cur non & hîc idem factum? Cur quod à paucis forſan clericis commiſſum fuerat; in perniciem innocuarum imaginum conuerſum eſt?

Audi aliam accuſationem: *Alij corpus Domini in manus imaginum ponebant, vnde communicare volentes accipere fecerunt.* Faciamus hoc eſſe verum. Quid paucorum culpa ad imagines? Quanquam cum Græci Euchariſtiam communicantibus in manus tradant, fieri profectò potuit, vt mundius & decentius poneretur in manu imaginis, quàm huius vel illius hominis. Nimis rigidi cenſores & exactores Michaël, & filius eius Theophilus meritò habebantur, ſi nonnullorum pietati, licet ſecundum ſcientiam non eſſet, aliter veniam dare noluerunt; niſi exterminatis imaginibus.

Tandem finem accuſationibus ſuis imponunt. *Nonnulli, ſpreta Eccleſia, in communibus domibus: tabulis imaginum pro altaris vtebantur, & ſuper eas ſacrum miniſterium celebrabant.* Credamus ita factum. An hæc ſat idonea abolendi & euertendi imagines cauſſa? *Vides*, mi lector, in his priſcis Iconomachis expreſſam effigiem Sectariorum noſtræ tempeſtatis: qui & ipſi varios abuſus ſeu veros, ſeu commentitios (quanquam plerumque commentitios) cauſſati, ad euerſionem imaginum, aliorumq; rituum Eccleſiaſticorum viam ſibi munierunt, & in dies adhuc muniunt iis in locis, vbi impietas hæretica necdum omnino præualuit.

IAMBVS

IAMBVS V.

ΙΓΝΑΤΙΟΥ.

Ι να, κρατύνῃς τοῖς Κ άτω σέβας λόγ Ε
Γ νῶσιν τε τὴν σὴν ἐμφ Α νῆ δείξης πλέο Ν
Ν όμον δέδωκας ΣΤΑ Υ ΡΟΝ ἐγγράφειν μόνο Ν,
(Α παξιοῖς δὲ τε Χ νικῆς ὕλης ὑπο Ο
Τ οιχογραφεῖσθαι,) δ Η λοῖ ὡς πρὶν ἐνθάδ Ε,
Ι δοὺ γὰρ αὐτὸν οἱ Μ έγιστοι δεσπότα Ι
Ως νικοποιὸν ἐγχ Α ράττουσιν τύπο Ν.

Verſio ad verbum.

** Vt ſtabilias terrigenis venerationem Verbum,* * *Vel ſic.* Vt imperes terrigenis, ô colẽdum Verbum: *nam* κρατύνω *eſt etiam* κρατῶ, impero.
Notitiamq́; tui perſpicuam oſtendas amplius,
Legem dediſti crucem efformare ſolam,
Dedignaris verò ab artificali materia
Depingi; manifeſtè, vt prius, hîc;
Ecce enim illam (Crucem) *Maximi Domini*
Tanquam victoriæ effectricem exarãt figuram.

EXPLICATIO.

SENTENTIA Acroſtichidis eſt. Ἰγνατίῳ καύχημα ἐννοεῖν σταυρόν. *Ignatio gloria ſeu gloriatio eſt crucem intelligere.* Alludit, opinor, ad illud Apoſtoli. *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri* IESV *Chriſti.* *Galat. 6.*

Hic obſeruanda quædam. I. Huic Iconoclaſtæ Ignatio crucem eſſe καύχημα, *gloriam* ſeu *gloriationem.* Nec tantùm crucem, ſed & ſolam crucis cognitionem & intelligentiam. Num ſimili in honore ac pretio eſt crux apud nouos noſtros Iconomachos? Nec dicas; Ignatium loqui de cruce ſpiritali; quia manifeſtiſsimum eſt, eum loqui de cruce quæ pingitur, ſculpitur, ſcalpitur, aliiſque modis efformatur,

quanquam ab ipſis rerum Dominis, hoc eſt, ab Imperatoribus ἐγχαράττεσθαι canit, tanquam ſymbolum victoriæ effectiuum. Quid eſt
Ephes.3. autem ἐναργῶν σταυρὸν, aliud, *niſi comprehendere cum omnibus ſanctis quæ ſit latitudo, & longitudo, & ſublimitas, & profundum* (Crucis Chriſti) *ſcire etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem Chriſti:* (quæ maximè eluxit in Cru-
Ioan.15. ce: *Maiorem enim hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Quanto maior ergo erit charitas, ſi quis animam ponat pro
Rom.5. inimicis, vt fecit Chriſtus: iuxta illud Apoſtoli: *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt: & cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.*

II. Chriſtum *legem tuliſſe, vt crux pingatur.* Quomodo hoc placet Caluiniſtis? En Iconoclaſta iſte palam dicit, Crucem efformari iuſſu Redemptoris noſtri. Cur noui Iconoclaſtæ, veterum ſucceſſores, tam ſunt iniqui in Crucem, vt eam nullo modo ſuis in delubris tolerent?

III. Etiam *ab Imperatoribus* (hos enim intelligit per μεγίστους ἄνακτας) *Crucem pingi.*

IV. Nec quomodocunque, ſed *vt victorioſum ſignum*; ſeu, vt typum *effectorem & largitorem victoriæ.*

V. Chriſtum, ideo Crucem *pingi voluiſſe, vt diuinus cultus inter mortales ſtabiliretur.*

VI. *Vtque cognitio diuini Verbi manifeſtior euaderet.* Hæc certè cum Caluinianis placitis minimè concordant. Reliqua Iambographi ex Iconoclaſtica officina prodierunt, vt quod dicit

I. *Solam Crucem, lege à Chriſto latâ, pingi iuſſam?* Videtur autem per legem à Chriſto latam intelligere legem Imperatorum de imaginibus non effigiandis, excepta Cruce: idque ideo, quòd mandatum Magiſtratus adſcribatur Deo; & quidem rectè, ſi præceptum ſit æquitati & diuino iuri conſonum, cuiuſmodi non erat hoc Imperatorum edictum de ſola Cruce efformanda, abolitis omnibus aliis imaginibus.

II. *Chriſtum nolle effingi, ab arte, materialium colorum interuentu*, (hoc enim eſt, τεχνικῆς ὕλης ὕπο) Illud: δηλοῖ ὡς πρὶν ἐνθάδε, refero ad ſequentia; vt dicat; σταυρὸν, *crucem*, non aliter ac prius, manifeſtam pingi, ἐνθάδε, hîc, *Conſtantinopoli*: eſſet autem totus Iambus clarior, ſi illud: ἀναξίοις δὲ τεχνικῆς ὕλης ὕπο τοιχοχαραχθῆς, includeretur parentheſi, prout incluſimus. Eſt autem Crux, vt prius, manifeſtè efformata, iuſſu & lege Imperatorum, hoc eſt, Leonis Iſauri, & filij eius Conſtantini; nam de his duobus omnes iſti Iambi videntur accipiendi, non de Conſtantino Copronymo & filio eius Leone; In octauo enim Iambo dicitur. Λέων σὺν υἱῷ τῷ νέῳ Κωνσταντίνῳ, σταυροῦ χαράττει τὸν τρισόλβιον τύπον. *Leo cum filio nouo*

Conſtan-

Conſtantino Crucis ter beatam figuram efformat. Vbi perſpicuum; de Leone Iſauro, & filio eius Conſtantino Copronymo ſermonem eſſe.

Mira Dei prouidentia accidit, vt ab Iſauro & Copronymo flagitioſiſsimis monſtris, vſus & cultus Crucis retineretur, neq; vna cùm aliis imaginibus, earumq; veneratione expelleretur: præſertim cum à Iudæis & Mahometanis Magiſtris ſuam impietatem ſuxiſſent, cum iſtis crux potiſsimùm exoſa ſit? Hinc & in profeſsione fidei, quam Sarraceni, ad religionem Chriſtianam tranſgreſsi, facere debebant; apertè fit Crucis, & honoris, quo afficienda eſt, mentio; ne fortè aliquid de veteri aduerſus Crucem odio reliquum in eorum pectore remaneret. Hæc enim eſt pars formulæ, qua fidem profitebantur apud Nicetam Tomo XX. contra varias Hæreſes.

Καὶ τὸν σεβάσμιον σταυρὸν τοῦ αὐτοῦ ἀληθινοῦ Χριστοῦ, καὶ Θεοῦ ἡμῶν, ὡς οὐκέτι φθορᾶς, καὶ ἀρᾶς ὄργανον, ἀλλ' ἐλευθερίας, καὶ ζωῆς αἰωνίου, καὶ σημεῖον τῆς κατὰ τοῦ θανάτου, καὶ διαβόλου νίκης. ἔτι δὲ καὶ τὰς σεβασμίους εἰκόνας τῆς τε κατὰ σάρκα πρὸς ἀνθρώπους ἐπιφανείας τοῦ Θεοῦ λόγου, καὶ τῆς ἀφράστως αὐτὸν τεκούσης ἁγνῆς παρθένου, καὶ θεομήτορος, καὶ τῶν θεοειδῶν ἀγγέλων, καὶ τῶν ἁγίων ἁπάντων ὡς σύμβολα τῶν πρωτοτύπων, καὶ δέχομαι, καὶ τιμῶ, καὶ ἀσπάζομαι. καὶ αὐτοὺς δὲ τοὺς ἱεροὺς ἀγγέλους, καὶ τοὺς ἁγίους ἅπαντας τοὺς τῷ Θεῷ εὐαρεστήσαντας, ὡς δούλους ἐκείνου, καὶ πιστοὺς θεράποντας τιμῶ, καὶ σεβάζομαι διὰ τὴν πρὸς ἐκεῖνον τιμήν. καὶ οὕτως ἐξ ὅλης ψυχῆς, καὶ καρδίας, καὶ προαιρέσεως ἀληθοῦς προσέρχομαι τῇ πίστει τῶν Χριστιανῶν.

Venerandam quoque Crucem eiuſdem veri Chriſti & Dei noſtri, vt quæ non amplius ſit inſtrumentũ corruptionis & maledictionis; ſed libertatis & vitæ æternæ; & victoriæ à morte ac Diabolo reportatæ ſignum; præterea venerandas imagines, quæ Chriſti ſecundum carnem ad homines aduentum repræſentant; & caſtiſsimæ Virginis ac Deiparæ, quæ ipſum ineffabiliter peperit, & diuinorum Angelorum, & omnium Sanctorum, tanquam prototyporum ſymbola ac figuras recipio, veneror & amplector: ipſosq; ſanctos Angelos, & omnes Sanctos, qui Deo placuerunt, vt ſeruos illius, fidelesq; adminiſtros colo ac veneror propter honorem, qui ad illum redundat. Et ſic ex tota mente, corde, & ſincera voluntate ad Chriſtianorum fidem accedo.

Vtinam Caluinianis, Crucis oſoribus, & inprimis Goldaſto, eueniat id, quod ſub Michaële & Theodora accidit cuidam Crucis hoſti, de quo Nicetas Tomo XX. Theſauri ſui in fine talem hiſtoriam commemorat. Ἱστέον, ὅτι καθά φησι Γρηγόριος ὁ Ἀρχιεπίσκοπος Σικελίας, ὁ τὸν βίον τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Μεθοδίου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως συγγραψάμενος ἐπὶ τῆς βασιλείας Μιχαὴλ, καὶ Θεοδώρας τῆς αὐτοῦ μητρὸς, ἦν τις ἀσκητὴς, ᾧ τὸ ἐπώνυμον Λίζιξ, ὃς τὰ τῶν Μανιχαίων φρονήσας, τὸν προσκυνητὸν σταυρὸν μωρίαν ἡγεῖτο, καὶ τὸν κύριον, καὶ Θεὸν ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ὀνομάζων κτίσμα, τὴν πάναγνον αὐτοῦ μητέρα θεοτόκον οὐκ ἔλεγεν. ἐγέλα δὲ πρὸς τούτοις καὶ τὴν τῶν φρικτῶν, καὶ θείων μυστηρίων μετάληψιν. πολλῶν δὲ αὐτῷ καὶ ἄλλων ἀκολουθησάντων, ἐντεῦθεν ἡ τῶν λεγομένων Λιζικιανῶν

αἱρέσεως συνέσιν. τοῦτον τοίνυν, ὁ ἅγιος μεθόδιος πείσας μεταθέσθαι πρὸς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν. συνέπεισε δι' αὐτοῦ καὶ τοὺς ἄλλους. καὶ παρασκευάσας ἐν ἐπισήμῳ ἡμέρᾳ θριαμβεῦσαι τὴν οἰκείαν αἵρεσιν χρίσας τῷ μύρῳ ἁγίῳ καὶ λευκοῖς κοσμήσας ἱματίοις, λαμπάδα κατέχοντα τοῖς ὀρθοδόξοις συνέστησεν.

Sciendum, vt dicit Gregorius Archiepiſcopus Siciliæ, qui ſcripſit vitam ſancti Patris noſtri Methodij, Patriarchæ Conſtantinopolitani, imperantibus Michaële & Theodora matre eius, fuiſſe quendam à ſecretis, cui nomen Lizix, qui Manichæorum ſecta imbutus, adorandam Crucem arbitrabatur ſtultitiam, & Dominum Deumqúe noſtrum Ieſum Chriſtum appellabat creaturam, neque caſtiſſimam eius matrem nominabat Deiparam; videbatqúe diuinorum & tremendorum myſteriorum ſumptionem. Cum autem multos haberet aſſeclas, inde orta eſt Lizicianorum ſecta. Hunc igitur S. Methodius in rectam ſemitam orthodoxæ fidei reduxit; & cum illo alios, & cum in illuſtri feſtóque die hæreſin eorum in triumphum ducere vellet, vnctum ſancto vnguento, & candidis veſtimentis indutum, & lampadem manu tenentem orthodoxis ſtitit ac repræſentauit.

Eſt autem ἱμάτιον λευκὸν, apud Nazianzenum, veſtis, qua induebatur, qui recens baptiſmum recipiebat. De hoc Zilice, (ſic enim vocat) Cedrenus in Michaële & Theodora: *Sub hoc tempus hæreſis quædam Zilicum nomine exorta ſimul cum principe ſuo Zilice, qui à ſecretis dignitate erat, exſtincta & diſſipata eſt, ipſo & ſectatoribus ad veram religionem conuerſis, ſacroq; vnguento delibutis & initiatis.* Latina editio Ioannis Curopalatæ vocat *hæreſin* Cilicum, & ipſum Auctorem, *Cilicem.*

Fuerat iſte Lizix ex Manichæa ſecta Paulicianorum, de quibus Nicetas Tomo XIX. Theſauri. Καὶ τὸν ζωοποιὸν τοῦ σταυρὸν βλασφημοῦντες, φασὶν αὐτὸν προσκυνεῖν, καὶ ἀποδέχεσθαι σταυρὸν οἱ πλάνοι, καὶ γόητες αὐτὸν ἀναπλάττοντες τὸν Χριστόν. καὶ γὰρ αὐτός φασιν εἰς σταυροῦ σχῆμα τὰς χεῖρας ἐξέπλωσε, τὸν ἀληθῶς δὲ σταυρὸν, ἅτε δὴ ξύλον, φασὶ κακοῦργον ὄργανον, καὶ ὑπὸ ἀρὰν κείμενον, οὐ δεῖ προσκυνεῖν, καὶ ἀσπάζεσθαι.

Viuificam Crucem blaſphemantes dicunt, ſe illam adorare & recipere cum nomine Crucis, errones & impoſtores, ipſum Chriſtum intelligant. Ipſe etenim, aiunt, Crucis in formam manus expandit. Veram verò Crucem, lignum videlicet, dicunt maleficum inſtrumentum, & maledictioni ſubiectum; nulla adoratione vel amplexu ſeu ſalutatione affici debere.

De iiſdem idem Nicetas. Πλὴν ἐπειδὰν σφοδροτέρῳ τινὶ τῷ σωματικῷ νοσήματι περιπέσωσι, καὶ τὸν τίμιον σταυρὸν τὸν ἐκ τοῦ ξύλου πεποιημένον ἑαυτοῖς ἐπιθῶσιν. ἔπειτα τυγχάνοντες τῆς ἰάσεως, διαθλῶσι τοῦτον, ἢ συμπατοῦσι, καὶ ἀπορρίπτουσιν. ἀλλὰ καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν ὑπὸ τῶν τῆς ἐκκλησίας πρεσβυτέρων πολλάκις τῷ σωτηρίῳ ἀξιοῦσι φωτισθῆναι βαπτίσματι, λυσιτελεῖν τῷ σώματι τόν τε σταυρὸν, καὶ τὸ βάπτισμα οἱ πάσης ὠφελείας λογοποιοῦντες ἀνάξιοι. μὴ μέντοι διαβαίνειν τὴν τούτων ἐνέργειαν εἰς ψυχῆς ἀσθένειαν, ἤ τινα ἄλλην ταύτης ὠφέλειαν.

Si in vehementiorem quempiam morbum corporis incidant, tum quoq; venerandam crucem ex ligno confectam ſibimetipſis imponunt. Deinde medelam & ſanitatem conſecuti, crucem frangunt, vel conculcant & abiiciunt. Imò etiam liberos ſuos ſæpè ſalutaribus baptiſmi vndis à presbyteris Eccleſiæ abluendos curant, crucem & baptiſma corpori prodeſſe arbitrati, homines omni beneficio indigni; eorum tamen vim & efficacitatem non pertingere ad animi expurgationem, neque aliud quodpiam emolumentum menti adferre.

Goldaſtus iterum edicta & ſanctiones Imperiales *de non adorandis imaginibus* crepat. LEONIS IV. IMPERATORIS SANCTIO, &c. Anno DOMINI DCC. LXXX. Et tamen nullum Auctorem proferre poteſt Caluiniſta, qui teſtetur; Leonem publicum edictum cōtra venerationem imaginum propoſuiſſe, prout fecerat Pater eius Copronymus, & Auus Leo Iſaurus; Scimus hunc Leonem Anno quinto ſui Imperij, quo & obiit, palam in ſacras imagines earumque cultores cœpiſſe inſanire; ſed nulla ſit vllius edicti mentio, neque ex Leonis Armeni verbis colligitur; quæ dicunt, *Leonem hunc iuſſiſſe, imagines deiici earumq; cultum explodi*; quia non ſolum id iubetur, quod edicto præcipitur, ſed & quod nutu, exemplo, & viua voce iniungitur.

Quid in Synodo Gentiliacenſi ſub Pipino Rege Francorum Anno Chriſti DCC. LXVI. conſtitutum ſit, ignoratur; hoc liquet tractatum de ſancta Trinitate, & de ſanctorum imaginibus; Ita enim loquuntur veteres Theodulphus Aurelianenſis in Annalibus Francorum, Althemus Monachus Benedictinus, Regino, Sigebertus, citati à Caluiniſta, aut, vt Ado, *vtrumne* (imagines) *fingendæ an pingendæ eſſent in Eccleſiis*: non autem, de *imaginum cultu*; vt in ſuo titulo Caluiniſta proponit; qui fatetur, non liquere, quid in hac Synodo de imaginibus decretum fuerit: non dubitat tamen, *adorationem imaginum vt Idololatricam; abolitionem verò Græcorum, minimè probatam, nec receptam fuiſſe.* Nec hanc ſuam aſſertionem aliter probat, quàm quia poſtmodum in Galliis exſtiterunt, quibus adoratio & cultus imaginum improbabatur; vſus autem & retentio ad hiſtoriam & memoriā probabatur. Ita libri Carolini, Synodus Pariſienſis, & alij Galli, quorum Anaſtaſius meminit præfat. in ſeptimam Synodum à ſe Latinè conuerſam. Non abnuimus hos & plures in hac opinione verſatos; ſed negamus inde planum fieri, eundem errorem in Synodo Gentiliacenſi fuiſſe ſtabilitum. imò contrarium rectius collegeris. nam ſi in illo Concilio, hoc, quod Caluiniſta cupit, ſancitum fuiſſet; Auctor librorum Carolinorum, & Pſeudoſynodi Pariſienſis aſſeſſores, & alij huius opinionis ſectatores, id non tacuiſſent; ſed patrocinium aliquod inde ſuo placito petiuiſſent; & ſe tanti Regis auctoritate mu-

niuiſſent; quod tamen à nullo vnquam factum; nam quod Goldaſtus affirmat, *Carolum Magnum & Ludouicum Pium, & totum Gallicorum & Germanorum Epiſcoporum & Abbatum gregem exiſtimaſſe, imagines ad ornatum & hiſtoriam, non ad cultum & venerationem eſſe retinendas*, id mendaciis Caluiniſticis accenſeas licet: Nec dicit Anaſtaſius præfat. in VII. Synodum omnes Gallos; ſed, *aliquos Gallorum*, ita ſenſiſſe.

At Caluiniſtæ commentum refellat oratione ſua Dungalus in libro quem contra Claudium Taurinenſem ſcripſit ad Ludouicum Pium Imperatorem, & filium eius Lotharium. *Certiſsimè & euidentiſsimè patet, picturas ſanctas, & ſanctam Domini Crucem, & ſacras electorum Dei reliquias, dignis & congruis honoribus à Catholicis & orthodoxis in Deo & propter Deum venerari oportere; non vt ſacrificando eis diuinus honor, & cultus ſoli Deo omnium creatori debitus ſit à quoquam deferendus; ſed vt in eius amore, honore, laude & gloria ſua ſancta, inſignia, & venerabilia vaſa, prout decet, ſingula eorum ab omnibus fidelibus & religioſis ſalua fide & non ficta honorentur & amplectantur.* Hæc Dungalus in Gallia eo ipſo tempore, quo Claudius Taurinenſis omnia veterum inſtituta peſſundabat; & nonnulli iam in eam perſuaſionem conceſſerant; imagines eſſe quidem retinendas; ſed non colendas.

IAMBVS VI.

ΣΕΡΓΙΟΥ.

Σ αφῶς ὁ Μωσῆς εἷλεν Α ρχὰς ἐν τύπ Ω.
Ε χθρὸν κρατήσας Ν ῦν δὲ πιςῶν τὸ κλέο Σ
Ρ εῦσμα κραταιὸν ΣΤΑ Υ ΡΟΣ ἔςησε πλάνη Σ.
Γ ραφὲν γὰρ ὧδε Ψ υχόλεθρον ἐν βί Ω
Ι νδαλμα τέχνης Ω ς κεκρυμμένον βέλο Σ
Ο ρμῆς ἀθέσμου Σ υςραφὲν, ἤθη μάλ Α,
Ν οεῖν γὰρ οὕτως Ε ἰδόσι Χριςὸν θέμι Σ.

Verſio ad verbum.

Manifeſtè Moſes cepit principatus, in typo
Hoſtem ſubigens. Nunc autem fidelium gloria
Crux,

Crux,torrentem validum ſtitit erroris
Pictum enim hîc animam perdens in vita
Simulacrum artis, tanquam occulta ſagitta
Ab impetu nefaſto repercuſſa, ſublatũ eſt valde.
Intelligere enim ſic ſcientibus Chriſtum, fas (eſt).

EXPLICATIO.

LITTERAE maiuſculæ hanc reddunt ſententiam. σέργιον ἀνύψωσεν, ὡς σώσας, σωτειρίς. *Sergium exaltauit, vt ſaluans*, ſeu, *vt ſaluatrix*, ſeu, *ſeruatrix*, *Crux*. Iudicio ergo huius Iconoclaſtæ crux ἀνυψοῖ, *exaltat*. II. σώζει, *ſaluat*, *ſeruat*. III. Eſt πιστῶν κλέος. *Fidelium gloria*. Quæ crucis Encomia Iconomachi noſtri vix æquis auribus audient.

Illud improbè & Iconoclaſticè Sergius, quòd euerſionem imaginum cruci adſcribit. Nihil à crucis virtute alienius, quàm Chriſti & Sanctorum Iconas demoliri ac deiicere; vt iam ſupra dictum.

Primus verſus & pars ſecundi tangunt Hiſtoriam Moſis Exod.17. expanſis brachiis, & ſic crucis in modum contra Amalecitas precantis, pugnantibus aduerſus eoſdem Iſraëlitis. Vt ergo Moſes, inquit Sergius, crucis ſchemate hoſtes deuicit; ita Crux Chriſti imagines proſtrauit? Prior comparationis pars veriſsima eſt; poſterior falſiſsima.

In vltima vocis σωτειρὶν claudicat modulus; cuius alioquin Iambographi iſti ſunt obſeruantes. Poſtremus verſus Iconomachiam reſipit; videlicet, Chriſtum abſque imagine ab intelligentibus cognoſcendum & colendum eſſe. Quaſi verò imagines Chriſti & Sanctorum veræ cognitioni & venerationi Chriſti aduerſentur.

Lepidus eſt, vt ſolet, Iconoclaſticus Goldaſtus, litteris grandiuſculis hoc lectori pollicetur. NICEPHORI I. GENICIS IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI ET STAVRATII CAESARIS Mandatum *de non adorandis imaginibus*. Anno Domini DCCC. X. Si lecto hoc titulo paginam vertas, quid inuenies? Num edictum de nõ colendis imaginibus? Nihil minus; ſed hoc; *Nicephorus & Stauratius Imperatores, an quid de cultu imaginum conſtituerint, non exprimitur diſertim ab Hiſtoricis*. Cur tu ergo in titulo tam audacter *Mandatum* de non adorandis imaginibus ingeminas? Qua fronte mandatum occinis, qui

num

num vllum de imaginibus mandatum à Nicephoro promulgatum ſit,teipſo teſte, ignoras?

At fauit Nicephorus Iconomachis, non diffitente Baronio ad Annum Redemptoris DCCC.X. Quid tum? an ideo edictum aduerſus venerationem & veneratores imaginum publicauit? An fauere nequiit,niſi tale edictum euulgaret? Euolue res geſtas Anno ſalutis DCCC.X. Nec volam,nec veſtigium de hoc mandato inuenies. Quæ eſt hæc comminiſcendi pruriginoſa temeritas?

Non eſt autem ſilentio inuoluendum id, quod Nicephorus ab Irena,quam de Imperio deiecerat,poſtulauit: Nam cum ab inuaſore iſto petiiſſet,vt in Eleutherij abs ſe conſtructo Monaſterio priuatim reliquum vitæ tranſigere liceret: Reſpondit Nicephorus; teſte Theophane in Chronico: *Si hoc vis fieri tibi, iura mihi per omnem diuinam virtutem,non abſconſuram te quidquam ex theſauris Imperij, & adimplebo poſtulationes tuas,& omnem placationem faciam. Quæ iurauit et ad pretioſa & viuifica ligna,quia non mouebo à te obolum vnum; quod & fecit.* Vides hîc morem iuriſiurandi ad Crucem concipiendi, de quo fusè Tomo primo de S.Cruce lib.2. cap.16.& 17.

Apud Luitprandum lib.5.Hiſtor.ita alloquitur Anſcarius periurum Hattonem. *Tune es,qui contempto Crucis & Sanctorum iuramento, periurus in nomine Dei tui me tuum Dominum deſeruiſti?*

Apud VViponem libro de vita Conradi Salici Imperatoris extat tale iuramentum eiuſdem Imp. *Per ſanctam Crucem Domini,talis Leo non comedet amplius de pane meo.* Sed de iuramentis ad Crucem & per Crucem,copiosè alibi diſputatum eſt.

Reuertor ad Caluiniſtam Iconomachum; qui ſeipſum ſemper vincit præcipiti quadam quiduis fingendi petulantia. Ecce enim nouum programma, non Conſtantinopoli,ſed in Caluiniano ſincipite natum. MICHAELIS CVROPALATAE IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI ET THEOPHYLACTI CAESARIS EDICTVM DE MANICHAEIS ET SERGIOTIS ET CVLTV IMAGINVM. *Publicatum Conſtantinopoli Anno Domini* DCCC. XI. Edictum Michaëlis contra Manichæos agnoſcimus; illud aduerſus imagines, vaniſsimum Caluiniani commentum eſt: nullus nec Græcus,nec Latinus Auctor hoc vel obiter aliudq; agens,teſtatur. Omnes hunc Michaëlem,tanquam orthodoxum laudant, & à pietate commendant. Et tamen ſcribere audet Caluiniſta: *Minimè vanam eſſe coniecturam Michaëlem in eodem edicto de imaginum cultu conſtituiſſe.* Vtique *minimè vana* eſt hæc tua coniectura; mite nimis ac lene eſt hoc nomen; ſed longè *vaniſſima*: quia ne tenuiſsimâ quidem veriſimilitudinis vmbrâ nititur:

tur; nam quòd Petrus Siculus dicit; (Petrus enim appellatur, non Lucas) Michaëlem, vt & Leonem, qui poſt eum imperauit, hæreticos perſecutum eſſe, omneſque morti addixiſſe; ſed de Manichæis ſeu Paulicianis ſolum intelligitur; vt fatebitur, quiſquis Petri Siculi Hiſtoriam publici Iuris iam factam, euoluerit.

Et quomodo contra cultum imaginum legem ferre potuit, cum Iconoclaſtas ſuppliciis ſubiecerit. Ita enim Zonaras & alij. *Cum multi inſaniam contra venerabiles imagines renouare ſtuderent, quibuſdam comprehenſis, & mediocriter multatis, cæteros à ſimili conatu deterruit, & Monacho cuidam, qui oſtentandæ forſitan pietatis ergò, Deiparæ imaginem eraſerat, linguam præcidit.* Fingit Goldaſtus, hanc imaginem *publico in loco fuiſſe collocatam, Monachumq; ſine auctoritate publica expunxiſſe, non ſine blaſphemiis; hinc meritò temeritatis & blaſphemiæ ſuæ pœnas dediſſe.* Si omnes Iconoclaſtæ linguæ exſectione mulctati fuiſſent, qui euerterunt imagines publicis in locis ſitas; pauci profectò olim fuiſſent vocales, & forſan hodie adhuc pauciores. Itaque non quia imaginem ſine publica auctoritate; publico in loco poſitam; ſed abſolutè, quia imaginem Deiparæ deſtruxerat, pœnas dedit Iconomachus Pſeudomonachus, & fictitius eremita; neque vllus Auctorum explicat, quod ſciam, quo in loco hæc imago, quam Monachus abolitum iuit, ſita fuerit. Quidquid iſte de hoc garrit, fabulis annumeretur, vt & illud: Michaëlem, *ſine dubio fuiſſe in omnem occaſionem intentum, vt cum imaginibus idem agere poſſet, quod Anteceſſores egére, idemque Leo ſucceſſor.* Nimirum mentem ſuam Iconoclaſticam affricat Caluinianus iſte Michaëli, vt & filio eius Theophylacto, cui ſimiliter mendatum illud de cultu imaginum, quod in rerum natura nunquam exſtitit, adſcribit; vt & ſuprà, Stauracio, Nicephori filio. Exiſtimat, opinor, sectarius iſte omnes mortales conuerſos eſſe in fungos, qui amplius nec legere, neque indagare queant, quid veteres Hiſtorici ſcriptum reliquerint, & quantum Caluiniana commenta à veritatis ſcopo abeant.

H IAM-

IAMBVS VII.

ΣΤΕΦΑΝΟΥ.

Σ	τήριγμα πιστῶν	Κ	αὶ σέβας θεῖον λόγ	Ε
Τ	ὸν ζωοποιὸν τῶν π	Α	θημάτων τύπο	Ν
Ε	δωκας ἡμῖν ΣΤΑ	Υ	ΡΟΝ, εἰς σωτηρίαν	Ν
Φ	αύλως δ' ὅπερ πρὶν ἐγ	Χ	αραχθὲν ἔπλετ	Ο
Α	νεῖλες εἰκόνισμα τ	Η	ν πλάνην λόγ	Ε.
Ν	όμος γὰρ οὗτος ἐ	Μ	φρόνως πᾶσι πρέπει	Ι
Ω	προσπαγεὶς ἔσωσ	Α	ς, αὐτὸ καὶ σέβει	Ν.

Verſio ad verbum.

Fulcimentum fidelium, & diuino cultu dignum
Verbum
Viuificam paßionum tuarum figuram
Dediſti nobis crucem, in ſalutem.
Perperam autem quod antea effictum erat
Suſtuliſti imaginum (genus) & errorem, *VERBVM.*
Hæc enim lex prudenter omnes decet
Quo affixus nos ſaluaſti, illud & adorare.

EXPLICATIO.

SENTENTIA maiuſculorum characterum: *στεφάνῳ καύχημα ἐννοεῖν σταυρόν. Stephano gloriatio eſt intelligere Crucem.* Quod nota I. contra Iconoclaſtas noſtros. II. Crucem eſſe *ζωοποιὸν τύπον, viuificam figuram.* III. *Datam ad ſalutem.* IV. *Apud omnes Chriſtianos vigere hanc legem; crucem cui ſuffixus Redemptor nos liberauit, adorari debere.*

Cæte-

Cætera Iconoclaſticus ſpiritus eructauit. Moderatior tamen in priſcis Iconomachis fuit, quàm in Claudio Taurinenſi, eiuſque poſteris Caluiniſtis; nam illi crucem erigebant & colebant. Iſti non tantùm venerationem, ſed & erectionem abominantur. Audi, quid Dungalus de Claudio illo ſcribat. *Ille Eunomianus & Vigilantianus omnium ſanctorum aduerſarius & blaſphemator* (eſt) *inimicus Crucis Chriſti, ſanctaq; eius deſtructor & conflator imaginis*, &c. *Vbicunq; enim Crucifixi ſacram intuetur effigiem, ſuos ſtringens oculos, oſq; buccis contorquens tumentibus ſubſannando & cachinnando perſtrepit atq; clamat: Ecce Chriſtus mortuus & tortus:* (Depinxit Dungalus in Claudio ſpiritum Caluiniſticum) *quem ob hoc Iudæi præ cæteris in hac regione collaudant, omnibusq; præferunt; & quia in nullo ab eorum traditione & religione diſſonat, ſapientiſſimum eum Chriſtianorum vocant, quos, veluti imperitos & inſcios, ab eo diſcere, & ſuos fieri diſcipulos deridendo & inſultando exhortantur.* (Sine dubio ſimilem laudem ferunt & iampridem tulerunt Caluiniſtæ à Iudæis & Turcis, quibus Crucis effigies æquè chara eſt ac illis.) *ipſe nihilominus viciſſim eos, & maximè ſuos affines Saracenos nimiis hyperbolicisq; efferente præconiis*; vt nimirum ſatisfiat illi prouerbio: *Mulus mulum ſcabit; Manus manum fricat.* Claudianiſta, Tauriniſta, Caluiniſta, Zvvinglianiſta Iudæos, Saracenos, Turcas, & hi, illos; quia amant alterna Camœnæ Encomia. Sed ad Iambum regrediamur. σέβας non tantum eſt *veneratio, adoratio & cultus diuinus*; ſed & id, quod adoratur & colitur; Et ita hic Verbum ſeu Filius Dei nominatur θεῖον σέβας, diuino cultu afficiendum *obiectum*. Imagines, ſub Iconomachis non ſuſtulit Chriſtus; vt Iambographus deſipit; ſed Diabolus. Iſte Iconoclaſtarum dux, moderator & ad hanc impietatem incentor fuit.

Quomodo autem crux mortalibus in ſalutem diuinitus ſit data, pulchrè explicat S. Chryſoſtomus in catena ſuper Pſalterium, ex variis auctoribus Græcis contexta in illud: *Supercecidit ignis, & non viderunt ſolem: priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum ſicut in ira abſorbet eos, &c.*

Πῦρ φησὶ τὸ πνεῦμα· ἥλιον δὲ, τὸν χριστόν. ὃν οὐκ ἐπέγνωσαν τῇ χορηγίᾳ τοῦ πνεύματος. ἀκάνθας δὲ τοὺς ἀσεβεῖς. ῥάμνον, τὸν σταυρόν. ἀκανθῶδες γὰρ φυτὸν ἡ ῥάμνος. ἀκάνθας γὰρ ὁ σταυρὸς εἶχεν. ἐπειδὴ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἐβάστασε. πρὶν τοίνυν τοῦ σταυροῦ ἐπιγνῶσι τὴν δύναμιν, ὡσεὶ ζῶντας αὐτούς. οὐδὲ γὰρ ζῶσι τὴν ἀληθῆ ζωὴν τὴν πίστιν οὐκ ἔχοντες. καταπιεῖν ἠπείλησεν, οὐκ ἐν ὀργῇ, ἀλλ' ὡς ἐν ὀργῇ· ἀόργητος γὰρ ὁ θεός. οἱ δὲ τὸν σταυρὸν ἐπιγνῶσιν, οὐκέτι τὴν ὀργὴν ὑφίστανται. Pſal. 75.

Ignem nominat Spiritum ſanctum: Solem verò, Chriſtum: quem Spiritus ſancti ductu non agnouerunt. (Iudæi) *Per ſpinas intelligit impios: per rhamnum, Crucem. Rhamnus enim ſpinoſa eſt planta. Spinas Crux habebat. noſtra enim pec-*

cata tulit. Priuſquam igitur, Crucis vim, & virtutem noſſent, veluti viuentes, (erant.) *Nec enim verè viuebant, qui fidem, qua eſt vera vita, non habebant. Minatus eſt ſe deuoraturum, non tamen in ira, ſed, velut in ira. Deus enim* (propriè) *non iraſcitur. Sin Crucem agnouerint: tum nulli iræ amplius ſubiecti ſunt.*

Goldaſtus pergit edicta conſcribere. Itaque hoc iam ab illo capias licet, literis conſuetis, vt vel à luſco legi queat. LEONIS ARMENI IMP. CONSTANTINOP. *Edictum de abrogandis imaginibus, promulgatum Conſtantinopoli* DCCC. XIV. Quis neſcit Leonem Armenum fuiſſe perditiſsimum & crudeliſsimum Iconoclaſtam? ſiue ante Imperium huic ſectæ addictus fuerit; ſiue fraude cuiuſdam impoſtoris, occupato iam Imperio, in hanc ſectam deuenerit, vt volunt Zonaras & Cedrenus, quos Caluiniſta ignominiosè *nugaces Græculos & Fabulatores* appellitat, ipſe ex fabulis totus, quantus, quantus, conſutus.

Nec verum eſt Baronium fateri, id quod Zonaras & Cedrenus tradunt, à multò pluribus *mendacij & falſitatis argui.* Nihil Baronius de mendacio & falſitate Anno Chriſti DCCC. XIV. Tantum hoc dicit; multos exiſtimare, Leonem, etiam ante Imperium, fuiſſe Iconoclaſtica labe contaminatum; alios contra ex orthodoxo, technis cuiuſdam ſeductoris, futurorum notitiam ſibi vendicātis, à recto tramite excidiſſe. Nec improbat hanc ſententiam Baronius, alioqui tam prolixè eam ex Cedreno haud recitaſſet.

Illud etiam ab omni vero penitus alienum eſt, *Leonem nullam grauiorem pœnam in Edicti ſui tranſgreſſores ſtatuiſſe*; nam Theodorum Studitam, & alios non paucos in exilium eiecit, cum illis autem moderatius egit, qui chirographo ſuo profeſsi ſunt, ſe de cultu imaginum nullum amplius verbum facturos, neque etiam vllum ſuam ad ſententiam aggregare conaturos. Quod parum diſtabat ab aperta veritatis negatione, vt præclarè oſtendit Theodorus Studita apud Illuſtriſs. Baronium, Anno DCCC. XIV. In hos clementiorem fuiſſe, quid mirum? Quàm enim in verè orthodoxos crudelis fuerit, docebunt te Annales Baroniani ab Anno DCCC. XIV. vſque ad Annum ſalutis DCCC. XX. quo à coniuratis cæſus eſt.

Lege Baron. Anno DCCC. XIV. N. 5. Obſerua & deteſtare etiam hanc Goldaſti fraudem. Verba illa; *Non decet, ô fidi mibi, colere aut venerari, &c. Lex enim quam magnus Moyſes* &c. ait, *eſſe ipſius edicti verba*; eamque ob cauſſam præſcribit IMP. LEO. AVGVSTVS, &c. vt fieri ſolet in Principum programmatis. Crede mihi; Caluinianus iſte nil niſi fumos vendit: nam verba illa; *Non decet, ô fidi mibi comites, &c.* non ſunt pars edicti, ſed pars orationis, quam inſtituit ad ſuos Iconoclaſticos ſodales, cum ſæuitiā ſuam in orthodoxos expromere vellet. Illa verò: *Illa enim, quam magnus Moyſes, &c.*

verba

verba ſunt orationis, quam Leo habuit ad Epiſcopos & Abbates, quos in ſuam impietatem pertrahere ſatagebat. Iſte tamen hæc in vnum conflat, & inde vnum edictum coagmentat, cum tamen ad nullum edictum pertineant, ſed partim ad ea, quæ Imperator cum ſuis gregalibus fabulatus eſt; partim quæ coram Epiſcopis & Monaſteriorum præfectis non tam diſſeruit, quàm delirauit. I nunc, & huic Edictali Caluiniſtæ Edicta Imperialia plenis ac ſonoris faucibus iactanti, fidem habe.

Sequitur Michaëlis Balbi *Edictum de pace Religionis & non perſequendis Iconolatris.* Hunc Imperatorem edicto reuocaſſe exules, & ſub Imperij ſui primordia benignitatẽ erga omnes ſimulaſſe, conſtat communi Hiſtoricorum teſtimonio. Sed verum eſt vetus illud: *Nullum violentum, diuturnum:* Quàm enim temporis progreſsione aduerſus orthodoxos ferocierit, docebunt te Zonaras & alij, ex quibus etiam intelliges, quàm verè Goldaſtus Balbum vocet *prudẽtem & cordatum* Imperatorem, qui proinde Suidam aliter de hoc Michaële ſcribentem, *dicaciſsimum & immemorandum obtrectatorem* vocitat: nec aliam ob cauſſam, quàm quod dilectum ſibi caput, *Balbum*, aliis coloribus delineat, quam Caluiniſtica in Iconoclaſtam beneuola affectio ferat. Reponit etiam nobis Caluiniſta epiſtolam Michaëlis Balbi, ad Ludouicum Pium Imp. ſimulque præfigit nomen Theophili *Cæſaris.* Et tamen in ipſo exordio Theophilus non *Cæſar*, ſed *Imperator* nuncupatur. *Michaël & Theophilus fideles in ipſo Deo Imperatores Romanorum, &c.* Quis neſcit ea ætate Cæſarem & Imperatorem diuerſiſsimos dignitatis gradus fuiſſe?

Quod ad epiſtolam attinet; qualis tam ipſa, quàm eius conditor ſit; oſtendit Bellarminus in libello contra Pſeudoſynodum Pariſienſem. Quo lectorem ablego.

Illud ſcire velim, an hæc, quæ ſe facere ſcribit Michaël, ſint ſatis Caluiniſtica & Iconoclaſtica. Dicit enim I. ſe & ſuos *poſtulare interceſſiones & interpellationes inuiolatæ Dominatricis noſtræ Dei Genitricis Mariæ.* II. Et omnium *Sanctorum.* Num hoc faciebat Copronymus? Num Caluinus? Num Caluiniani hodie? III. Se & ſuos, *glorioſas & ſanctas Reliquias*, Deiparæ & Sanctorum *cum fide venerari.* IV. Indignatur à nonnullis, *honorificas & viuificas Cruces de ſacris Templis expulſas.* Num ſimili ira excandeſcunt Caluiniſtę, quando Cruces ex Eccleſiis exturbantur? V. Indignatur, eſſe, qui imagines tanto honore afficiant, *quanto honorificum & viuificum lignum, in quo Chriſtus verus Deus crucifigi dignatus eſt propter ſalutem noſtram.* Num hoc ex Caluini diſciplina manat, quæ cruci tantum reuerentiæ habet, quantum imaginibus; & his, quan-

tum illi? VI. Dicit, *ſe & ſuos imagines quæ in ſublimioribus locis collocatæ erant, in ſtatione ſua reliquiſſe.* Quæſo congruuntne hæc cum Caluinianis placitis? Adeo non conſonant, vt ne cum rigidioribus quidem Iconomachis concordent.

Sed en aliud Michaëlis Balbi Imper. Conſtantinop. & Theophili *Cæſaris* edictum anno DCCC. XXIX. *De non adorandis imaginibus, & Sanctorum Reliquiis.* In epiſtola ad Ludouicum Pium profeſſus eſt Michaël, ſe *Sanctorum Reliquias* colere. Quomodo ergo nunc illarum venerationem vetat? Deinde nullum Verbum eſt in Edicto Michaëlis de *Reliquiis*; hoc ſolùm præcipitur, ne alicui imagini Vocabulum SANCTVS adſcribatur.

Quod Cedrenus ſcribit, in vicem imaginum Chriſti & Sanctorum, *ſubſtituta ſimulacbra beſtiarum & auium, id ſine dubio ab æmulis confictum eſt,* inquit Goldaſtus; qui ſine dubio mentitur, quoties rem non ab vno Cedreno, ſed à pleriſque aliis, nominatim à ſcriptore Actorum ſancti Stephani, & à Ioanne Curopalata apertè teſtatam, inficiari audet.

Adducit Caluiniſta aliud Theophili Edictum de inquirendis & puniendis *Iconolatris*, hoc eſt, *imaginum cultoribusq;*, ex vita S. Ioannicij Eremitæ apud Baronium anno DCCC. XXX. quod ſanè ſæuiſsimum & planè tyrannicũ erat. Caluiniſta conuiciis graſſatur in eum, qui res geſtas S. Ioannicij litteris mandauit, *ſchiſmaticum Monachum appellitans, qui ex muſca elephantum concinnet.* Si ſcriptor iſte fuit ſchiſmaticus; ſchiſmaticus igitur habendus erit ipſe etiam Ioannicius; quia vna ambobus fides erat: ſed non eſt hoc credibile; nam Deus per S. Ioannicium maxima miracula patrauit: quæ Caluiniani & Iconomachi non dicam non facere; ſed ne anguſtiis quidem animi ſui capere poſſunt. Porro, vt id quod olim truculentiſsimè aduerſus orthodoxos geſtum eſt, Caluiniano huic *muſca* videtur; ita ſine dubio, quidquid à Caluiniſtis in Anglia, Scotia, Gallia, Belgio perpetratum eſt, id *muſcam* reputat; & ſi quis immaniſsimam illam tyrannidem genuinis coloribus depingat, is ex *muſca Elephantum* concinnat. Mirum, ſimilem notam ab iſto non eſſe adiectam ad Ioannis Curopalatæ verba, qui longe luculentius deſcribit Theophili truculentiam, quàm Auctor vitæ S. Ioannicij; ex cuius Curopalatæ verbis contexuit Caluiniſta edictum *de non adorandis, neq; pingendis imaginibus.* Quod tanti facimus, quanti faceremus, ſi quis Rex Turcarum imagines coli aut pingi prohiberet.

IAMBVS

IAMBVS VIII.

Εἰς τὴν πύλην τῆς χαλκῆς ὑποκάτω τοῦ σταυροῦ.

Ἄφωνον εἶδος, καὶ πνοῆς ἐξηρμένον
Χριστὸν γράφεσθαι, μὴ φέρων ὁ δεσπότης
Ὕλῃ γεηρᾷ ταῖς γραφαῖς πατουμένῃ
Λέων σὺν υἱῷ τῷ νέῳ Κωνσταντίνῳ
Σταυροῦ χαράττει τὸν τρισόλβιον τύπον,
Καύχημα πιστῶν ἐν πύλαις ἀνακτόρων.

Verſio ad verbum.

In portam æream ſub Cruce.

Vocis expertem formã & reſpirationis exſortem
Chriſtum pingi non ſuſtinens Dominus
Materia terreſtri a ſcripturis calcatâ
Leo cum filio, nouo Conſtantino
Crucis efformat ter beatam figuram
Gloriationem fidelium, in portis palatij.

EXPLICATIO.

NVLLA hic Acroſtichis. Porta ærea, nuſquam non apud Hiſtoricos obuia, vna erat ex portis Aulæ Conſtantinopolitanæ; ſupra quam imago Saluatoris noſtri, omnibus conſpicua, ſtabat; Hanc Leo Iſaurus ſtatim ſub furoris ſui exordium, deturbandam curauit; ſubſtituta in eius locum Cruce, cui ſupradicti Iambi ſubſcripti fuerant. Quomodo autem Saluatoris Imaginem deiiciendam curarit, exponit Auctor, qui Martyrium S. Stephani litteris commendauit. Ac primum *(ô ingentem Chriſte patientiam tuam) aduerſus tuam imaginem audaciſſima illa anima* (Leo Iſaurus) *graſſatur, eamq́. quæ ſupra portam fixa erat, ac vulgo ærea dicebatur* (ita Interpres, & forſan, ſi rectè vertit, à porta nomen *Æreæ* imagini venit, quia

porta

porta dicebatur *area.) Theandricam tuam formam deiici, atque obliterari iubet. Cùm autem ad hoc facinus perpetrandum miſſus ſatelles, impoſita iam ſcala, conſcenderet, diuino zelo incenſa mulieres; præclariſſimum, ac generoſiſſimum virtutis ſpecimen edentes, arreptam manibus ſcalam in terram deiiciunt, vnaq́; eum, qui hoc facinus aggrediebatur, præcipitem agunt: qui ſtatim hanc præſtiti ad hoc miniſterij mercedem tulit, vt vita orbaretur.*

Subiungit Auctor. *Sanctæ autem illæ mulieres, ob Chriſtum, cuius zelo flagrabant, opportunè abiecto, & contempto pudore, curſu effuſo in Eccleſiam feruntur, atque impium Patriarcham, qui tum illic erat, illum, inquam, vt Chriſti*
Matth. 24. *verbis vtar, deſolationis abominationem in loco ſancto ſtantem, lapidibus inceſſunt, mercenarium, non paſtorem, lupum, non paſtorem, Eccleſiaſticarum denique ſanctionum proditorem appellantes. Ille autem pudore ſimul, & metu correptus, confeſtim ad Imperatorem confugit, eíque, quod factum fuerat, narrat, atque ad mulierum cædem eum exſtimulat. Huiuſmodi enim boni illius, ac pacifici paſtoris ſtudium erat, tanquam videlicet per ea, quæ agebat docere cupientis, malum pro bono rependendum eſſe. Mox igitur gladio necantur, ac pro pietatis præmio mortem ferunt.*

Menologium Græcorum die IX. Auguſti. *Natalis beatorum decem Martyrum, qui propter ſanctam imaginem Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, in Ærea porta conſtitutam, martyrium paſſi ſunt. Quorum nomina hæc ſunt: Iulianus, Marcianus, Ioannes, Iacobus, Alexius, Demetrius, Photius, Petrus, Leontius, & Maria Patritia. Omnes hi ſub Leone Imperatore impio pro defenſione ſanctarum imaginum, multas ærumnas perpeſſi, & variis tormentis ſuperatis, poſtremò, gladio percuſſi, martyrio coronati ſunt.*

Hęc eſt illa imago, de qua Mauricius Imperator paulò ante cędem ſuam huiuſmodi ſomnium habuerat, vt ſcribit Zonaras, & alij Græci. *Putabat magnam turbam inſiſtere effigiei Seruatoris noſtri, quæ ſupra Æream portam eſt, & contra Imperatorem vociferari, audiriq́; vocem ex imagine, quæ Mauritium adeſſe iuberet, eumq́; ſtatim adductum interrogari, vtro in loco facinoris in captiuos admiſſi pœnas dare mallet, in hac vita, an in futura? Eum dixiſſe; In hac, benigne Domine: &, audiſſe vocem, quæ diceret; Tradite eum ergo cum omni familia Phocæ militi.*

Ita autem in Imaginem Saluatoris exaſperati & efferati erant Leo & Copronymus, & tota illa, ſeueriorum Iconoclaſtarum fex, vt licet Crucem τεισόλβιον τύπον, & καύχημα τῶν πιστῶν appellarent, eamq́ue priuatim & publicè effigiarent, atque adeo colerent; ſimul atque tamen Cruci imago Saluatoris ſuperaddita conſpiceretur, Crucem vnà cum imagine euerterent ac conculcarent. Huius rei exſtat notabilis Hiſtoria in Martyrio S. Stephani Iunioris de quodam Paulo Monacho in Cypro ob defenſionem & venerationem imaginum Martyrij lauream conſecuto.

Princeps

Princeps quidam Cypri præfectus erat, nomine Theophanes, cognomento Cardotyrus. Hic, cùm ſanctum virum, vt in eum inquireret, accepiſſet, ad Heracliti Prætorium eum duxit. Propoſita autē erat humi Chriſti in Cruce protenſi imago, vnaq; item cruciatus inſtrumentum, quod catapultam vocant. Aitque ad eum Præfectus, ſceleſta, inquam, illa lingua, atque iniquitatem in excelſum loquens: Vnum è duobus tibi, Paule, proponitur; nimirum, vt, aut calcata imagine vitam obtineas; aut, vt hoc tormenti genere diſcrucieris. Hoc autem dicens, puerorum laruis Leonem perterrefacere velle videbatur. Statim enim generoſus ille vir, magna voce exclamans: abſit à me, inquit, Domine Ieſu Chriſte, vnigenite fili Dei, vt theandricam hanc imaginem pedibus teram. Atque hæc locutus, ſtatim humi ſe curuans, oſculum ei fixit, re ipſa planum faciens, quàm nihil iudicis minas moraretur. Ille itaque confeſtim iracundia totus æſtuans, nudari ſanctum virum, atque in catapulta extendi iubet: vbi, cùm tortores duabus tabulis ipſum firmiſſimè compreſſiſſent, ac ferreis pectinibus totum ipſius corpus exaraſſent, prono capite ſuſpenderunt. Ac deinde non exiguo igne infra eum accenſo, ita demum holocauſtum Deo gratum ipſum effecerunt. Hæc in Actis S. Stephani. *Pſalm. 72.*

Neque alia in Iambo ſub Cruce portæ æreæ exarato difficultas reſtat, Nam quod Leonis Iſauri filium vocat *nouum Conſtantinum*, vtinam verum elogium fuiſſet. Certè Copronymus & Caballinus non fuiſſet, ſi *nouus Conſtantinus* fuiſſet.

Nunc ad Goldaſtum reuiſamus: qui nobis huiuſmodi decretum cudit. BARDÆ CVROPALATÆ CÆSARIS CONSTANTINOPOLITANI. *Et Synodi Conſtantinopolitanæ decretum, de erigendis, ſed non adorandis imaginibus publicatum Conſtantinopoli anno Domini* DCCCLXI. Hic titulus. Nunc numeremus mendacia. I. *Bardam Cæſarem in doctrina de cultu imaginum tranſactionem Francorum ſecutum eſſe, eam, quæ à Michaële Balbo Imperatore probata, acceptata & Imperiali edicto confirmata fuerit.* Bardus fuerit, qui his fidem habeat, cum nullus nec Græcus, nec Latinus Hiſtoricus quidquam huius generis in litteras miſerit; Bardasque Cæſar, quamuis alioqui ſceleſtiſsimus & flagitioſiſsimus, Iconoclaſtici vel ſemiiconoclaſtici erroris à nullo penitus ſcriptore accuſetur.

II. Mendaciū. *Ignatium Patriarcham ab hac tranſactione alieniorem, in alia omnia de adorandis imaginibus cum Theodora Auguſta diſceſsiſſe.* Inſigne figmētum; cui nullum ab vllo Hiſtorico fulcrum; nulla vel obſcuriſsima probabilitatis ſpecies: nam inter Bardam & Ignatium Patriarcham, quæſtio aut controuerſia de imaginibus nunquam fuit; tota tragœdia inde exſtitit, quòd Ignatius Bardam, ob inceſtum commiſſum, à fidelium communione ſegregaſſet. Hæc totius controuerſiæ fons & origo, teſtibus vniuerſis Hiſtoriis. Neque Ignatius vnquam aut Bardæ, aut Photio errorem de Imaginum cultu aut vſu obiecit.

III. Mend. Bardam *Imperij adminiſtratione ſuſcepta, perſuaſiſſe Imperatori Michaëli, vt, abrogato Ignatio, Photium ſufficeret, ſententia ſuæ adſtipulatorem.* Geminum mendacium; nam quæſtio de cultu imaginum non fuit cauſſa, cur Bardas Ignatium de throno Patriarchali deiectum voluerit: Deinde nec Bardas, nec Photius in vllo de imaginibus errore hæſit; vt de Barda iam dictum: de Photio paulò pòſt ex ipſius epiſtolis probabitur.

IV. Mend. *Bardam præſediſſe Synodo Conſtantinopolitanæ anno* DCCC. LXI. Nihil de hac præſidentia Bardæ in Concilio apparet; nihil Balſamon Pſeudoſynodi huius commentator & illuſtrator.

V. Mend. *In hac Synodo conſtitutum, vt imagines quidem reſtituerentur, ſed ornatus tantùm & memoriæ gratia, non adorationis aut cultus.* Nihil penitus hac de re in Synodo apud Balſamonem exſtat. Et imagines iam pridem templis redditæ fuerunt; ante viginti ſcilicet annos, quando Michaël cum matre Theodora imperare cœpit. Tradunt quidem Hiſtorici, & ipſemet Nicolaus Pontifex epiſt. 10. in hac Synodo de Imaginibus actū, ſed hoc, quod fingit Goldaſtus, actum eſſe, nullus tradit: licet enim, (vt apparet ex Synodo Romana, cuius mentio eſt in ſeptima epiſtola Nicolai I. Pont. Max.) in oriente Iconoclaſtarum reliquiæ ſupereſſent, aliter tamen, quàm orthodoxè hac in Synodo non eſt quidquam decretum; cum Bardas, Cæſar, Michaël Imperator, Photius, cuius ferrum in igne erat; & pleriq; alij de imaginibus probam ſententiam tenerent.

VI. Mend. *à Photio tantum damnari eos, qui imaginem Chriſti & Sanctorum inhonorarent, demolirentur & conculcarent de adoratione ne ſyllabulam quidem ab eo fieri in epiſtola ad Nicolaum Papam*; vbi iſta. *In circuitu rurſus impij: alij imaginem Chriſti conſpuentes, & ipſi Chriſto in ea obtrectantes, &c.* Sed quid opus erat hic mentionem facere de cultu imaginum, quando illic Photio nil aliud erat propoſitū, quàm vt moleſtias & onera quaſi importabilia ſuſcepti Patriarchalis officij exaggeraret; monſtraretq́; nulli prudenti credibile accidere poſſe; à ſe munus tam laborioſum & moleſtum vltrò expetitum fuiſſe, *mihi verò*, inquit, *crebri laborum ægritudinumq́; influxus, quæ liberatio, quæue ratio & via inueniri poterit? Quòd inſtabiles ſtabilire oporteat. &c.* poſt multa ſubiungit. *In circuitu rurſus impij. Alij imaginem Chriſti conſpuentes, &c.* qui & ipſi nimirum onus paſtoralis muneris grauius reddunt. Quid hic opus erat dicere de cultu imaginum, cum non ſuæ fidei profeſsionem ederet, ſed eorum, à quibus ſibi plurimum laboris & moleſtiæ vel creari vel creatum iri ſentiebat, catalogum texeret?

VII. Mendacium, Nicolaum Pontificem in Concilio Romano, an-

no

no DCCC. LXIII. *non ſolùm primam actionem Synodi Conſtantinopolitanæ, ſed etiam ſecundam de cultu imaginum reieciſſe & innouaſſe:* primam reiecit, vt manifeſtum ex epiſtola Nicolai ſeptima & decima, quibus Acta Synodi Romanæ inſerta ſunt: ſed caput illud de vſu & cultu imaginum, pertinere ad euerſionem Actionis ſecundæ Conſtantinopolitanæ, vnde nobis perſuadebit Caluiniſta? Non enim in eo damnatur Photius, Bardas, Michaël Imperator, aut Pſeudoſynodus Conſtantinopolitana; ſed illi, qui ex ſecta Iconoclaſtica reſidui erant, caputque denuo efferre conabantur, de quibus ipſemet Photius epiſtola ad Nicolaum Pontif. verbis paulò ante citatis: nominatim *Ioannes* ſiue *Iannes, quondam Conſtantinopolitanus Antiſtes, & ſequaces eius, qui imagines frangendas atque calcandas eſſe polluto ore aſſeuerabant.* Non eſt autem Ioannes iſte, de quo Synodus Romana, alius; quàm magus ille in Lecanomantia verſatiſsimus, qui Eccleſiæ Catholicæ multorum malorum cauſſa exſtitit, de quo ſupra nonnihil; & Zonaras iſthæc. *Patriarcham Ioannem, indignum quidem illum eo nomine, Pontificia ſede detraxit* (Theodora) *qui in Monaſterium quoddam relegatus, cum illic Chriſti imaginem, & eius, quæ eum ſine ſemine peperit, reperiſſet, oculos ſacrarum effigierum effodit. Quo Imperatrix cognito, ſancto zelo incitata, impio homini oculos erui iuſſit; ſed mandatum eius non eſt peractum, iuſta illius ira à nonnullis mitigata; nihilominus tamen eum flagris cædi iuſſit, plagis ducentis illatis.*

Ait Caluiniſta. *Synodum Romanam celebratam fuiſſe in cauſſa præuaricationis commiſſa à Legatis Nicolai Papæ.* Qua in re autem præuaricati ſunt? *Quod in electionem Photij conſenſerint.* (Imò quod in intruſionem & tyrannicam throni Conſtantinopolitani occupationem, & in Ignatij innocentis abdicationem) *& quod doctrinam Bardæ de imaginibus promulgarint.* (Nihil minus: Neque in Synodo Romana, neque alibi vnquam Legati iſti impietatis Iconoclaſticæ poſtulati ſunt: & certè Nicolaus Pontifex, tantus imaginum cultor & vindex, hoc ſcelus ſilentio non præteriiſſet, ſi Legati aliquam eius maculam contraxiſſent. Neq; verba Zonaræ ſuffragantur Goldaſto. *Cum Papæ Romani Legati contra Iconomachos miſſi adeſſent, iis etiam Bardas perſuaſit, vt in ſuam ſententiam irent.* Ad quæ verba Lutheranus VVolphius Interpres. *Papæ Legati Iconomachis aſſentiuntur*; ſed calumniatur tam iſte, quàm ille: non enim hæc Zonarę mens eſt; ſed iſta; Legatos à Nicolao Papa miſſos, vt inter alia Iconomachos compeſcerent; & Ignatij cauſſam contra Photium auctoritate Apoſtolica ſibi commiſſa adiuuarent. Quid factum? Bardas & alij Græcanicis technicis & dolis inſtructi, perſuaſerunt Legatis, vt damnato Ignatio, Photij inuaſionem ratam haberent: Hinc in Bardæ ſententiam iuiſſe dicuntur, quantum ſcilicet ad Ignatium attinet; Nam

quoad imagines, Bardas nil alienum à veritate ſentiebat, quia eiuſdem cum Photio animi erat, circa venerationem imaginum. Quæ verò Photij mens fuerit, paulò poſt audiemus.

Tantundem Goldaſti mendaciloquentiam iuuant verba Cedreni. *Cùm adeſſent Romani Papæ Vicarij aduerſus Iconoclaſtas miſſi, hos quoque iſti in ſuam ſententiam pertrahunt* (non Iconoclaſticam, qua nec Bardas, nec Photius tenebantur) *Conciliόque in ædem Apoſtolorum congregato Ignatium ab exilio euocatum, publicata ſententia damnant.* Conceſſerunt ergo in ſententiam Bardæ & aliorum, quoad Ignatij damnationem, non quoad alia. Sed quid pluribus opus eſt? Ipſemet Goldaſtus animaduertit, quàm omnia iſta, quæ hucuſque effutiuit, infirmo, vel potius nullo fundamento nitantur: Itaque audaciam & impudentiam ſuam hac ceruſſa purpurat. *Hæc ita à me hactenus expoſita ſunto, non quòd ita eſſe certiſſimò præſtem, aut pertinaciter adſtruam, ſed quòd, conſiderato Bardæ ingenio & educatione, conſideratiſq́ negotij Photiani circumſtantiis, allatæ meæ rationes non procul à vero abire videantur.* Si nil certi habes, qua fronte tam intrepidè iactas *Bardæ Cæſaris, &c. edictum, &c.* Quam verò omnia hæc tua commenta à vero exerrent, ſatis hucuſque monſtratum exiſtimo. Certè ſi Photius vel paululum à Romana Eccleſia in cultu imaginum diſſenſiſſet; haud omiſiſſet illud Latinis obiicere; homo alioqui in omnes occaſiones carpendi Latinos intentus; vt patet ex Encyclica eius ad ſedes Patriarchales Orientis epiſtola: qui quid de imaginum cultu & Iconomachorum ſecta ſenſerit, diſertiſsimè exponit in epiſtola ad Michaëlem Bulgarorum Regem, vbi poſtquam in ſeptimę Oecumenicæ Nicenæ pro Imaginibus colendis Synodi laudem multa dixerat; ſubiungit.

*Photius vocat Irenem & Conſtantinum orthodoxos. Synodum VII. ſanctam. Hæreſin Iconoclaſticam, barbarã. Iconoclaſtas impios & profanos. Lege & iudica, num Photius fuerit Iconoclaſta. * Attendite Caluiniſtæ & Lutheriſtæ.*

*Per idem tempus Conſtantinus, & Irene orthodoxia coronâ inſignes, imperialem Romani principatus purpuram geſtabant. Hæc itaque ſancta, & magna Synodus, recens natam, & barbaram, atque ab impiis, & profanis hominibus importatam hæreſin diuino iudicio, & communi ſententia damnauit, auctoresq́, ac patronos eius eodem iudicio profligauit. Miſeri namque iſti Chriſtum verum Deum noſtrum ſeſe blaſphemare verbis non confitentes, factis ipſis omni contumelia, & blaſphemia, & proteruia proſequebantur, & ei citra medium, ac ſine aliquo velamine, maledicere non audentes, per venerandam eius imaginem omnem maleuolentis animi ſui cupiditatem explebant. * Idolum enim (prô linguæ proiectæ, & ſceleſtæ mentis vocem teterrimam) adorandam Chriſti imaginem, per quam idolorum error fugatur, probroſè nominantes, & omnibus eam ignominiis operientes, per fora, & compita raptatam pedibus conculcabant, igni concremabant. Speculum Chriſtianis miſerabile, & Chriſti hoſtibus duntaxat dignum.*

Eadem & in alias ſacras imagines pedibus feſtinantes effundere ſanguinem, manibus

manibus autem cruentis, & impuris labiis petulanter admittebant, tantiq; furoris, & vecordiæ modum homines peſtilentes nullum faciebant; ſed Chriſtianorum ſacra ſymbola, & effigies; non minus quàm gentium abominationes, ſi non magis, per ſummum odium deteſtabantur. Qua ratione, contra Chriſtum, & ſanctos eius bellum graue, & inexpiabile ſuſcipiebant. Quem enim latet, honorem imaginum ad eos tranſire, quos illa referunt? quemadmodum & contemptio ad eadem, quæ repræſentantur, pertinet, &c.

Quamobrem hos quidem, quicunq; adulteræ huius, & in varia loca diſperſæ, & commiſtæ opinionis ignobilitatem fugere noluerunt, vt ſpurias, & extraneas à fidelium nobilitate propagines, ſancta & Oecumenica Synodus ſecernens, vinculis anathematis inſolubilibus innexuit. Imaginem autem Chriſti veri Dei noſtri ſecundum Apoſtolicas, & Patrum noſtrorum traditiones, & ſacrorum oraculorum interpretationes, propter honorem, & venerationem repræſentati adorandam, & colendam, omnibus approbantibus confirmauit, & obſignauit; adoratione & honore oblatis nimirum eo modo, quo & aliis ſacris typis & ſymbolis noſtræ ſacratiſſimæ religionis, ad eius cultum vti ſolemus: nec enim in ipſis conquieſcimus: nec iis honorem, & adorationem, quatenus talia ſunt, circumſcribimus: nec ad alios, diuerſosq; fines diſtrahimur: ſed diuerſum ac diſpertitum eorum cultum, & adorationem, ſeu venerationem, quæ cernitur, ſancta, & indiuiſa ratione, in indiuiduam illam, ſingularemq;, & vnicam deitatem dirigimus. *Num hæ ſunt Iconoclaſticæ?*

Sic precioſam Crucem *adoramus, in qua Dominicum corpus extenſum eſt, & ſanguis mundum purgans promanauit, & natura ligni defluxibus illis irrigata, pro morte vitam ſenio carentem germinauit. Sic ſignum crucis adoramus, per quam dæmonum turmæ repelluntur, & multiplices morbi ſanantur, cùm ſemel in prototypo virtus & gratia exhibita ſit, & vſque ad exemplaria ipſa, cum ſimili efficacia peruenerit. Horum igitur vnumquodque, & imaginem Chriſti, inquam, & crucem ipſam, atq; etiam crucis typum ſimiliter veneratione, & adoratione ſanctificantes, non ipſis honorem, atque cultum concludimus atque definimus; ſed in eum, qui propter nos, ex immenſa benignitate homo factus eſt, & noſtri cauſa mortem probroſam ſuſtinuit, hunc referimus, eiq; conſecramus.* *Veneratio S. Crucis.*

Sic item & templa ſanctorum, & ſepulchra, & reliquias ad fidelium vtilitatem ſcatentia ſanitatibus, Chriſtum Deum noſtrum, qui eos glorificauit, collaudantes ac celebrantes, fideliter adoramus. Quin imò, ſi quid his iuxta myſticas, & ſanctas noſtras cerimonias eſt cognatum, per donum, & beneficium, quod in ipſis efficitur, cauſam principem, & primùm operantem agnoſcimus & prædicamus. Quare & beatorum illorum, ſacrorumq; virorum diuinus numerus non ſolùm imaginem Chriſti, ſicut diximus, ſed etiam immaculatiſſimæ, ſemperq; Virginis Dominæ noſtræ Deiparæ, & omnium ſanctorum pro ratione excellentiæ, & venerationis prototypis debita honorari, & adorari communium oraculorum decretis approbauit, & ſanciuit. Etenim, vt per iſtos quodammodo ad congreſſum, & *Cultus Reliquiarum.*

vnionem eorum euehimur: ita per illam, diuina, & præſtantiſſima coniunctione (quod extremum eſt deſiderabilium) digni reddimur.

Suntne hæc hominis ſiniſtrè, & à Romana Eccleſia diuerſimodè de cultu, ac veneratione ſentientis? Num & illa à Sedis Apoſtolicæ mente diſcrepant, quæ in Epiſtola ſua Encyclica de laudibus ſeptimæ Synodi diſputat; & vt ſex reliquis Oecumenicis Cōciliis annumeretur, præcipit, indignè ferens, tantæ Synodi exiguam penes nonnullos eſſe notitiam; neque in eo, quem merebatur, honore haberi? Ita enim ſcribit. *Hoc item literis noſtris adiiciendum duximus, vt ſanctam & Oecumenicam ſeptimam Synodum, ſanctis, & Oecumenicis ſex Synodis aggregare, & annumerare, toti, quæ vobis paret, Eccleſiæ corpori præcipiatis. Fama ſiquidem accipimus quaſdam ſub Apoſtolico throno veſtro Eccleſias vſque ad ſextam numerare Synodos Oecumenicas, ſeptimam autem non agnoſcere. Et quanquam eius decreta, vt ſi quid aliud; ſtudio ac veneratione habeant, ipſam tamen in Eccleſia promulgandam, inſtar aliarum, nondum intelligere, etſi æqualem in omnibus ei dignitatem tribuant. Nam & illa maximam impietatem euertit, aſſeſſores, & ſuffragatores habens, qui ex quatuor Patriarchalibus ſedibus venerant. Aderat enim, vt conſtat, à veſtro Apoſtolico throno Alexandriæ Thomas Monachus presbyter cum ſuis. A ſede Hieroſolymitana, & Antiochena Ioannes; & eius ſocij. A veteris autem Romæ Petrus presbyter monachus, & Præpoſitus ſacri monaſterij Romæ S. Sabbæ.*

Præcipit Photius, Vt ſeptima Synodus habeatur Oecumenica.

Et his omnibus congregatis, vnà cum magno patruo noſtro ſanctiſſimo, ac ter beatiſſimo viro, Taraſio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, magna, & Oecumenica ſeptima Synodus inſtituta eſt, quæ de Iconomachorum, ſeu Chriſtomachorum impietate diſſipata triumphum egit. Cuius acta ideo difficile fuit ad vos perferri fortaſſe, quod regionis veſtræ populos barbara, & alienigena Arabum gens occupaſſet. Quam ob cauſſam apud multos illic huius conſtitutiones etſi honorantur, & obſeruantur; tamen ſe eas eſſe huius Synodi neſcire affirmant.

Igitur & hanc magnam, ſanctamq́, & vniuerſalem cum ſex antegreſſis Synodis publicare oportet. Hoc enim negligere, ac prætermittere, primum quidem eſt Dei Eccleſiam iniuria afficere, tantam Synodum contemnendo, & ab eius coniunctione, copulationeq́ tam magnam partem diſtrahendo, ac diuellendo. Deinde & Iconomachorum (quorum impietatem non minus, quàm aliorum hæreticorum ſatis ſcio vobis eſſe execrabilem) eſt ora aperire, qui non ab Oecumenica Synodo ſuam impietatem conuulſam, ſed vnius ſedis iudicio ſe pœnas dare, vt prodigioſè mentiantur, occaſionem habent. Propter quæ omnia & in Synodicis Epiſtolis, & in aliis omnibus Eccleſiaſticis hiſtoriis, ac diſceptationibus, hanc ſeptimam Synodum cum aliis ſanctis & Oecumenicis ſex numerandam, & recenſendam, & poſt illas collocandam cenſemus, & ad id fraternè vos hortamur, quæ conſentanea ſunt, ſuadentes.

Eſtue

Eſtne hæc oratio eius, qui Iconoclaſtica lue, vel leuiter aſperſus fuit? Quid hodierno die pro Concilij VII. auctoritate grauius à nobis, & quibuſcunque aliis Romanæ Eccleſiæ propugnatoribus dici poteſt, quàm Photius in hac Epiſtola ſcripſit, qui apertiſsimè fatetur, non aliter de imaginibus ſentiendum aut ſtatuendum, quàm ſenſit & ſtatuit Nicæna Synodus; & ſe itidem aliter nec ſentire, nec ſtatuere.

Quoniam verò præ manibus habemus Iambum, in quo de euerſa Saluatoris noſtri effigie ſermo eſt, non abs re erit, commemorare. quid idem Photius reſponderit Iconomachis, ſciſcitantibus; quænam ſit vera Chriſti imago, cum non ſit vnius, ſed diuerſimodi; aliusque eam hac ſpecie; alius, alia efformet. *Pulchra Photij Epiſtola, de Quæſtione, quænam ſit vera Chriſti imago.*

Obiiciunt de Iconomachis inſolentiores, & malè feriati, inquit Photius Epiſt. 65. ad Theodorum Præpoſitum; *curioſitatemq́; ſapientiam numerantes, quæ nam Chriſti imaginum vera, & germana ſit; illáne, quam Romani habent; an, quam Indi pingunt, an quæ eſt penes Græcos? an, quæ exſtat apud Ægyptios? haud enim ſimiles viſuntur. Et, quamcunq; veram dixeris, certum eſt, te reliquas tollere.*

Sed hanc iſtorum dubitationem, vel maleuolentiam potius, (ô eximium orthodoxæ fidei ornamentum) multifariam confutare, multaq́; dementiæ, & impietatis plenam conuincere poſſumus. Ac primùm quidem, ſic ipſis reſpondeamus, licet. Qua ratione imaginum confectionem hoſtiliter adoriundam cenſuiſtis, eâdem interim ratione, vbiq; terrarum, quas Chriſtiani incolunt, eas extare & adorari, quamuis inuiti teſtificati eſtis. Quare, quod euertere machinantur, hoc magis ſtabiliunt, & ſuo ipſorum gladio iugulantur. *Reſponſio ad quæſtionem.*

Secundè, ipſos non animaduertere, quo pacto hac oratione ſemet Græcis, ſeu gentilibus aggregent. Perinde eſt enim iſta de venerabilibus imaginibus affirmare, atq; ſi de aliis religionis noſtræ myſteriis affirmentur. Quem enim ſermonem Euangelij à Deo inſpiratum dicitis? aut, quod, obſecro, Euangelium nominatis? aliis ſiquidem formis, & notis literarum Romanum, aliis Indicum, aliis Hebræum, aliis Æthiopicum conſtat. Nec tantummodo diſsimilibus elementorum notis, ac figuris exarantur, verùm etiam diſſonis, & cum alia, diuerſiſsimaq́; ſpecie ſignificandi vocibus pronunciantur. Quocirca dicere poſsitis, imò quare non dicitis? nulli credendum, aut adhærendum Euangelio; quoniam & diſparibus elementis, & verbis aliter, atq; aliter ſonantibus, & aliuſmodi ſignificationibus res contenta nunciatur, &c.

Tertium eiuſdem ordinis eſt cum ſecundo. Qualem crucem figetis, eam prorſus prototypi ſimilem arbitrabimur; ſiue quæ cum titulo, ſeu inſcriptione, ſiue quæ abſque illa conſernatur, & exprimitur. Iam quorum ſimilitudo nobis conceſſa fuerit, eorum nos inde veram formationem, & adorationem non ſtulta conclusione

cluſione aſtruimus. At vos talia in tantis rebus ſuſcipere nihil metuentes, iſtuc pernegabitis, aut pernegauiſtis.

Quartò. Diſcrimina noſtra, & inæqualitatem in myſticis ſacrificiis, cæteriſq; ſacris functionibus in ſummam calumniam, & interitum myſterij noſtri immaculati adducetis. Quæ enim aduerſus Chriſti imaginem apud animos veſtros nefariè excogitaſtis, iiſdem vniuerſos Chriſtianorum ritus, diuinaq; myſteria à fundamentis diſturbare deprehendimini.

Quintò. Dicendum id, quod eorum impietatem, & odium in Chriſtum vehementer prodit omnibus. Quorſum enim in imaginem irruitis, & huiuſcemodi nugas verſatis, cùm interea, quod aduerſus imagine repræſentatum occultatis præſtaret excutere? Cur enim mentibus veſtris implacabile bellum contra Chriſtum parturitis? Hoc enim, non quidem labiis etiam, & aperto vultu profitemini: ſed, ſub perſona, imagine ſcilicet oppugnanda, oſtenditis. Reſpondeant enim, quoniam Græci quidem ſibi planè ſimilem fuiſſe Chriſtum exiſtimant, Romani autem potius ſibi, Indi rurſum ipſorum formam habuiſſe, & Æthiopes ipſorum ſimiliter; num iſtæ opiniones efficiant, vt quis verus ſit Chriſtus ignoretur? Si ita eſt, non igitur confitendum, neq; credendum, Chriſtum in carne veniſſe. Verè enim miſeris illis nondum aduenit. Quod namq; contra effigiem improbè machinati ſunt, hoc multò ante contra effigiatum inſolenter egiſſe, comperiuntur; dum ex diſcrimine putantium id, quod putatum eſt vniuersè è medio auferendum decreuerunt. Viden' quis ſcopus, & quo iſtorum contra imaginem fraudulenti conatus ſpectent? Cæterum hoc quoq; dicendum eſt inſuper; non illis (indigni quippe ſunt) ſed fidelibus, & Chriſti amantibus, pictorum diſsimilitudine, imaginis naturam, & veritatem non penitus amitti. Nec enim ſolo habitu corporis, & formæ, qui depingitur, coloribus refertur: ſed, cum aliqua item diſpoſitione, & comitante actione, & affectuum expreſſione, & locorum ſacrorum dedicatione, & aliis peculiaribus ſymbolis: quorum, vt non aliqua ſaltem adſint imaginibus, quas pij faciunt, fieri non poteſt. Per quæ non minùs, quàm ſi adeſſent omnia ad concipiendum, & honorandum eum, qui imagine repræſentatur, (quod imaginum auctoribus eſt propoſitum) adducimur.

ΟΡΘΟΔΟΞΟΥ,

Οὗ ἡ ἀκροστιχὶς ἡ διὰ μέσου ἀκριβῶς ἐπὶ πάντων
τῶν στίχων μήτε μὴν διατέμνουσα
συλλαβήν.

Χ	ριστὸς θεὸς μέλποι	Τ	ὸ καὶ βροτὸς θ' ἅμ	Α
Ρ	αδαμνὸς ἁγνῆς φῶς	Ο	περ κόσμον θέει	Ι
Ι	νδαλμα τοῦδε ΓΡΑ	Π	ΤΟΝ ἐξαῖρον πλάνην	Ν
Σ	τίζον φάλαγγας τῶν	Α	ζαθάλως τόδε	Ε
Τ	έχνην λεγόντων τοῦ	Σ	έβειν ἃ μὴ θέμις	Σ
Ο	ὐκοῦν ὄλοιτο πᾶς	Α	νὴρ ὃς οὐ θέλει	Ι
Ν	οεῖν Ἰησοῦν ταῖς	Ι	σαις βροτῶν θέαις	Σ.

Verſio ad Verbum.

Orthodoxi; cuius Acroſtichis per medium ducta in ſingulis verſibus accuratè ſeruatur, neque ſyllabam diſſecat.

Chriſtus Deus canatur & homo ſimul.
Germen caſtæ (virginis) *lumen, quod mundum percurrit,*
Imago huius picta tollit errorem;
Pungens cateruas, qui improbè hanc
Artem dicunt colendi, quæ nefas.
Igitur pereat omnis vir, qui non vult
Intueri Chriſtum in ſimili mortalium forma.

EXPLICATIO.

VERSVS iſti ſunt Theodori Studitæ; quod etiam indicat nonnullorum Acroſtichis. Potiſsimũ circa Chriſti imaginem occupantur; indigniſsimum enim facinus erat, eam ab Iconomachis tam ſacrilegè tractari, cum tamen crucem non modò tolerarent, ſed & colerent; quod cum eorum impietate haud ſatis cohærebat, vt Theodorus Studita non ſemel monet.

Acroſtichis eſt; Χειςὸν τοχάρω εἰκόνι γεγράφθαι. *Laus eſt Chriſtum pictum erigere, ſeu in aliquo loco ſtatuere. Ad gloriam Dei redundat imago Chriſti picti.* Sententiam Iambi declarabunt hæc S. Damaſceni ex oratione prima de imaginibus. *Dei inuiſibilis imaginem audeo conficere, non quatenus inuiſibilis eſt, ſed quatenus propter nos viſibilis factus, carnis & ſanguinis eſt particeps; imagine non diuinitatem inuiſibilem, ſed carnem viſam exprimens. Nam ſi animæ ſimulacrum exprimi non poteſt, quanto minus ipſius Dei, qui animæ, vt eſſet expers materiæ, largitus eſt,* &c. *Cum igitur ille, qui propter naturæ præſtantiam, & corpore, & figura, & quantitate, & qualitate, & magnitudine caret, in forma Dei exiſtens, forma ſerui ſuſcepta, ſeſe ad quantitatem, qualitatemq́; contraxerit, & corporis formam induerit, tunc eum in tabula coloribus exprimo, conſpiciendumq́; propone, qui ſe conſpici voluit. incredibilem eius demiſſionem explica; ortum illius è virgine, baptiſma in Iordane, transformationem in monte Thabor; cruciatus illos, ac mortem, quæ vitæ, atq; immortalitatis noſtræ cauſſa fuit: res admirandas carnis miniſterio, ſed vi diuina confectas, quæ diuinam ipſius naturam indicabant, deſcribe. Crucem illam ſalutarem, ſepulturam, reſurrectionem, aſcenſum in cælum, hæc omnia & coloribus, & verbis expone. Ne verearis, ne timeas.* Hæc Damaſcenus.

Similia alij Patres, nominatim ſeptima Synodus Act. VI. in refutatione Pſeudoſynodi Copronymianæ; vbi etiã copiosè oſtendunt, non ideo incircumſcriptam diuinitatis naturam circumſcribi, eo quod in imagine circumſcribatur humana Chriſti natura: nam ſi ideo natura diuina certis terminis non circumſcribitur, quòd vnita ſit in eodem ſuppoſito cum natura humana, certis limitibus in ſe & ſecundum entitatem ſuam circumſcripta; quanto minus circumſcribetur, ob imaginem circumſcriptam? Et ſi olim Dei natura non fuit circumſcripta, quando Deus in veteri lege in imagine quapiam circumſcripta apparuit; neque iam circumſcribetur, cum Redemptor noſter ſub imagine circumſcripta oculis intuentium repræſentatur. Et ſi, qui Petri aut Pauli imaginem pingit, animam Petri aut Pauli à

Petro

Petro aut Paulo non ſeparat, licet anima Petri aut Pauli coloribus exprimi nequeat; neque etiam imaginem animet ac viuificet; etiam diuinitas ſeu Verbi hypoſtaſis non ſeparabitur à Chriſto; licet in ſe per Chriſti imaginem exprimi nequeat; neque imaginem hypoſtaticè ſuſtentet; quemadmodum hypoſtaticè ſuſtentat naturam humanam Chriſti.

Imago non quidem ſecundum ſubſtantiam exemplo primo (Prototypo) *ſimilis exiſtit,* inquit ſeptima Synodus, *ſed tantummodò nominis ratione, & diſpoſitione expreſſorum lineamentorum per membra. Non enim cùm quiſquam imaginem alicuius hominis pingit, animam in imagine quærit. Et quidem animæ hominis, & diuinæ naturæ differentia diſcreta exiſtit: hæc enim increata eſt, & temporis neſcia; illa verò & creata, & temporaria, & ab hac condita. Nullus autem, qui ſapit aliquid, hominis imaginem videns, cogitauit hominem ab anima per pictorem ſeparari. Non enim duntaxat animâ priuata eſt imago, ſed & ipſa corporis ſubſtantia: carne, inquam, muſculis, neruis, oſſibus, elementis nempe ſanguine, phlegmate, humore, & bile: quorum ſanè commiſtio in imagine videri haudquaquam poteſt. Hæc enim in imagine ſi conſpici poſſent, hominem vtiq; eam, & non hominis imaginem, appellaremus.*

"Ἰνδάλματι τῷδε] Rectè; vt enim quondam præſentia Arcæ fœderis, Philiſtinorum ſimulacrum & idolum Dagonem ſtrauit, de ſuo loco deturbauit, manibuſque ac pedibus mulctauit: ſic & Chriſtus eiuſq; ſanctiſsimæ imagines à Chriſtianis efformatæ *Idola* gentium, & totam Ethnicæ ſuperſtitionis vanitatem ſuſtulerunt, & eò, vnde exſtiterunt, amandarunt. Eadem Chriſti imago morſicat & vellicat Iconomachos, vociferantes, eam eſſe occaſionem colendi ea, quæ non liceat colere; id eſt, *pictas imagines.* Sed valeat & pereat omnis ille, inquit orthodoxus Poëta, qui Chriſtum ſub forma aliis mortalibus ſimili, hoc eſt, ſub humana, intueri detrectat. *1. Reg. 5.*

Obſeruetur autem, imaginem Saluatoris, de qua ſuperiore Iambo, portæ æreæ impoſitam, & inde à Leone Iſauro deiectam, nomen habuiſſe *ἀντιφωνητοῦ, Antiphonetæ,* vt teſtatur Gregorius ſecundus Pontif. Epiſt. ad Leonem Iſaurum Anno DCC. XXVI. eamque multis miraculis claruiſſe; fractamque *præſentibus multis Romanis, & ex Frãcia, ex VVandalia, ex Mauritania, ex Gotthia,* & generatim *ex toto interiore occidente.* At quod in Chalcopratiis prius ſita fuiſſe dicitur, id Librarij mendum videtur τὴν χαλκῆν πύλην in *Chalcopratia* transformantis.

Nunc videamus, quid agat Caluinianus Goldaſtus: nam iterum nouum edictum proponit. *Michaëlis III. Porphyrogeniti Imp. Conſtantinop. Conſtitutio; de nõ adorandis imaginibus. Anno Domini DCCC.LXVI.* Quis huius edicti meminit? Nullus nec veterum, nec recentiorum: niſi ſi

fortè Illyricus in Catalogo Teſtium *Veritatis*; cum dicit; *Audio hunc Imperatorem Michaëlem* (quem ineptiſsimè *Palaeologum* appellat) *etiam contra Idololatriam imaginum ſcripſiſſe.*

Ex his profani Nouatoris verbis architectatur Caluiniſta conſtitutionem iſtam: quam tamen è veſtigio iterum euertit; *De hoc Porphyrogenito*, inquit, *nihil tale quidquam in Annalibus proditur.* Cur ergo tu audaciſsime conſtitutionem contra imagines comminiſci eamque ſub Michaëlis nomine venditare non erubeſcis? Vis fidem penes Illyricum eſſe; caput ſcilicet fide digniſsimum; cui mentiri, erat viuere. Etſi nihil ille de Conſtitutione, ſed de ſcriptione contra imagines; neque vt tu, certum annum huius ſcriptionis *commentitiæ* deſignauit: *commentitiam* voco, quia nullus vnquam Michaëlem iſtum, Theodoræ filium, pro Iconomacho habuit.

II.

Θ είως τοκεύεις ὡς Ε ν ἀσπόρῳ τρόπ Ω
Ε κ σοῦ προῆλθε τοῦ Ν έου πόλου φάο Σ
Ο τῶν χερουβὶμ Α Ι Ν Ο Σ ἡ πρὶν αἰτί Α
Τ ὴν νύκτα μειῶν τῆς Ο λης πλάνης πάλα Ι
Ο ν ἀγκαλίζῃ καὶ. Μ άλα γραπτὸν φέρει Σ
Κ εκρασμένον σῇ θεί Ο ειδῶς εἰκόν Ι
Ω ς δεσπότην τε καὶ Σ ὸν ὄντως υἱέ Α.

Verſio ad verbum.

Diuinè paris, tanquam ſeminis experte modo.
Ex te prodiit noui cœli lumen,
Cherubinorum laus; prius cauſſa
Noctem imminuens totius erroris priſci,
Quem vlnis tenes, & valde pictum portas
Mixtum tuæ Dei ſimiliter imagini,
Tanquam Dominum & tuum verè filium.

EXPLI-

EXPLICATIO.

ALLOQVITVR Deiparam Virginem, in imagine vlnis puerum Ieſum geſtante repræſentatam: quales caſtiſsimæ Virginis imagines iam quoque apud Græcos & Latinos perquam vſitatæ ſunt: qualis etiam erat illa de qua cap. 45. prati ſpiritualis, cuius meminit etiam Damaſcenus orat. 1. de Imaginibus ſub finem, & orat. 3.

Acroſtichis eſt: Θεοτόκῳ ἔννομος ὡς αἰσία αἶνος. Deiparæ (ſit) *competens, vt auſpicata* ſeu *fortunata laus*, nam etſi vox αἶνος ſub vna terminatione ſit vtriuſque generis, poëtæ tamen noſtro licuerit de Virgine fœmininum quoque voculæ flexum adhibere; quo iure verbum itidem τοκλεῖς vſurpat, cuius in Lexicis vix mentionem inuenias.

Illud τοῦ νέου πόλου, ad ipſam Virginem referri poteſt, hoc ſenſu: *ex te, nouo polo* ſeu *cælo*, *proceſſit lux*; quæ acceptio forſan probabilior, quàm quæ in verſione expreſſa eſt; appellaturque Chriſtus φῶς, *lux*, & Cherubinorum laus, quia perpetim ab illis laudatur ac decantatur: καὶ πρὶν αἰτία, *antiqua cauſſa*, nempe ſalutis noſtræ; ab origine enim mundi Agnus occiſus eſt; vt in Apocalypſi dicitur. Eſt Chriſtus γραπτὸς *depictus*, κεκραμένος *mixtus*, Virginis imagini; quia hæc Chriſtum in imagine repræſentatum, vlnis geſtat: quo fit, vt effigies Chriſti cum effigie Virginis quodammodo commiſceatur: & quidem θεοειδῶς ſeu θεοειδῶς, quia Chriſtus Deus eſt; & imago Chriſti, imago Dei.

Goldaſtus in præfatione ſua, *imaginum cultum præcipuè à fœminis introductum vel inſtauratum ſcribit*; videlicet, ab illa Hæmorrhoiſſa, quæ ſtatuam Chriſti in memoriam acceptæ ſanitatis erexerat, ab Irena & Theodora Imperatricibus, *idq́ ad exemplum & imitationem gentilium, apud quos receptum erat, ſtatuarum erectione charorum memoriam conſeruare*, teſte Euſebio lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 15.

Ad hanc calumniam retundendam, nil inuenio aptius, quàm quod Iconomachis in ſeptima Synodo reſponſum eſt, quando calumniabantur, imagines Eccleſiaſticas à pictoribus originem ducere. *Non eſt imaginum pictura, pictorum inuentio*, inquit Synodus, *ſed Eccleſiæ Catholicæ probata legiſlatio & traditio, nam quod vetuſtate excellit, venerandum eſt, vt inquit diuinus Baſilius. Teſtatur hoc ipſa rerum antiquitas, & patrum noſtrorum, qui Spiritu ſancto feruntur, doctrina.* Atqui conſilium & traditio iſta non eſt pictoris (mulierum) *eius enim ſola ars eſt: verum ordinatio & diſpoſitio Patrum ſanctorum, &c.*

Silet autem Caluiniſta, quot quantiſque miraculis Crucem illam Hæmorrhoiſſæ Deus illuſtrauerit; ſilet inſuper non ſolam Irenem &

Theodoram; ſed cum illis etiam Imperatores & innumerabiles alios partim Eccleſiaſtici, partim politici ordinis proceres cultum & venerationem imaginum inſtauraſſe ac reparaſſe.

Pro clauſula neſcio melius conſilium, quod dem Caluiniano, quàm illud Leoni Iſauro à Gregorio II. datum. *Obito ſcholas eorum, qui elementis imbuuntur, & dic: Ego ſum euerſor & perſecutor imaginum. Et confeſtim tabellas ſuas in caput tuum proiicient; quodq́ à ſapientibus minimè doceri potuiſti, ab inſipientibus edocebere:* Hactenus refutata ſunt omnia, quæ Goldaſtus de imperialibus edictis contra Imagines & Græcorum monumentis fabulatus eſt, poſtea refellemus illa itidem, quæ de Caroló Magno & filio eius Ludouico Pio mentitur pariter ac calumniatur.

III.

Θ	εὸς πρὸ ſαρκὸς ἦν	Ε	ν οὐ γραφῆς θέ	Α
Ε	πεὶ δὲ νῦν σὰρξ τὴν	Υ	πογραφὴν φέρει	Ι
Ο	ρπηξ γὰρ ὅνπερ ΧΡΙ	Σ	ΤΟΝ ἡ σεμνὴ τέκε	Ν
Δ	ῆλον κατ' αὐτὴν ὡς	Ε	πίγραπτον τόδ'	Ε
Ω	καὶ πέφυκε προσ-	Β	λέπειν αὐτῆς τέκο	Σ
Ρ	ᾷστον τὸν οὔπι φῶς	Ε	χοντα τὴν φρέν	Α
Ω	ς ἀντίδοξον πᾶ----	Σ	ι θείοις ἀνδράσ	Ι.

Verſio ad verbum.

Deus ante carnem erat non in picturæ forma ſeu *aſpectu.*

Poſtquam autem nunc caro delineationem admittit;

Surculus enim (Chriſtus) *quem Chriſtum Veneranda peperit;*

Manifeſtum eſt, ſecundum illam (carnem) *depingi poſſe illud;*

Quo etiam ſolet intueri eius filius

Facillimè eum qui lumen non habet in mente,
Vt contrarium omnibus diuinis viris.

EXPLICATIO.

ACROSTICHIS eſt. *Θεοδώρῳ εὐσεβὲς αἰνεῖν Χριστόν. Theodoro pium eſt laudare Chriſtum*, videlicet in ſua quoque pictura. Eſt autem *θεόδωρος*, quaſi *θεοῦ δῶρον donum Dei*, vel *παρὰ τοῦ θεοῦ δωρηθείς, à Deo donatus*; cuiuſmodi *donum Dei* verè fuit Theodorus Studita, re & nomine; donatus Eccleſiæ calamitoſiſsimis & turbulentiſsimis temporibus. Idem per *ἀναστροφὴν* eſt *Dorotheus*; *Theodora*, *Dorothea*; *Theodoſius*, *καὶ ἀνάπαλιν Doſitheus*, *Theodotus*, *Theodoretus Θεοδωρήτου*. Apud Latinos, *Deus dedit*. *A Deo Datus*. Omnia eiuſdem ſignificationis. Nec ſcio num huc pertineat vocabulum *Theodoricus*, quia non ex Græco, ſed ex Germanico deſcendere videtur. Dieth/ inquit Auentinus in Nomenclatura; *vocabulum vetus, diuitias & officium, facinora præclara ſignificat. Latina incude* Theodo *formatur*. Dietreich/ *facinorum diues: eſt Theodoricus*. Sunt & alia ex eadem voce *θεὸς* compacta; etiam apud Ethnicos: Amori enim hominibus fuit in propriorum nominum compoſitione *Dei* vocabulum adhibere. vt *Theophraſtus: Theopompus. Theoſterictus. Theophilus. Philotheus. Theophylactus. Theophanes, Theodectes, Timotheus, Theotimus*, & id genus alia.

Primus & ſecundus verſus aiunt, *Deum ante aſſumptam carnem non fuiſſe pictum; nunc pingi poſſe, quia induit carnem, quæ pingi poteſt.* Olim, etiam apud orthodoxos, non videntur Dei imagines fuiſſe in vſu: vt patet ex orationibus Damaſceni de Imaginibus, ex vita S. Stephani Iunioris, ex ſeptima Synodo, & ex aliis, qui antiquitus contra Iconomachos depugnarunt: & vel hæc Gregorij II. Pontificis in epiſt. ad Leonem Iſaurum, fidem faciunt. *Cur tandem patrem Domini Ieſu Chriſti non oculis ſubiicimus ac pingimus? Quoniam, quis ſit non nouimus. Deique natura ſpectanda proponi non poteſt ac pingi. Quod ſi eum intuiti eſſemus ac nouiſſemus prout filium eius, illum quoq; ſpectandum proponere potuiſſemus ac pingere.* Ad quæ verba Baronius. *Poſtea vſu venit, vt pingatur in Eccleſia Deus Pater, & Spiritus ſanctus, non quod ſub aſpectum cadant, ſed vti apparuiſſe in diuinis ſcripturis leguntur ſub forma ſenioris, & ſub imagine columbæ. Quod enim deſcribitur, idem pingitur; cùm ſit eadem ratio vtriuſque, ſtyli nimirum, & penicilli.* De hac re iam aliquid ſupra diximus: qui plura & accuratiora petit, Gabrielem Vaſquium conſulat lib. 2. de adoratione Diſp. 3. cap. 3. & 4.

Ὄρπηξ ſurculus eſt. Ita Chriſtum nominat, qui ex ligno illo vitæ,

hoc

hoc eſt, ex Deipara, exſtitit. Et hic tertius verſus ſenſum Iambi obſcurum facit. Clarior eſſet, ſi parentheſi circumſcriberetur, nam quartus verſus directè tertio reſpondet; poſtquam enim caro ὑποχαφὴν φέρει, *depingi ac deſcribi poteſt*; manifeſtè liquet, Chriſtum ſecundum illam efformari ac delineari poſſe: Iconomachi tamen imaginem Redemptoris noſtri æquè ac reliquas perſequebantur, & vbi copia dabatur, pedibus conculcabant atque euertebant. Quorum ſacrilegam impietatem S. Stephanus Iunior, cum ipſo Iconomachorum Anteſignano Copronymo differens, validiſsimè atque efficaciſsimè retudit, ſic eum compellans, vt in Actis S. Stephani proditum legimus.

Vos inter ſanctum, ac profanum minimè diſtinguentes, Chriſti imaginem, non ſecus, atque Apollinis ſtatuam, Deiparæq; item non ſecus ac Dianæ, idolum appellare minimè horruiſtis. Quin ipſam quoque pedibus protriuiſtis ac exuſſiſtis. Ad hæc Imperator: O cæca mente prædite, inquit, ac ſupra omnes immemorandos obliuione digne, his Imaginibus proculcatis Chriſtúmne proculcauimus? Tum verò ille verè in diuinis rebus ſolers Stephanus, in morem eorum, qui bellica laude præſtant, aduerſarium ſuomet telo ferire, ac per ea ipſa, quæ dixerat, profligare cupiens, manum in cucullam immittens, atque inde nummum, in quo impius ille ſculptus erat, extrahens, eumq; quemadmodum Chriſtus olim Cæſaris nummum Iudæis oſtendens; cuiuſnam, inquit, eſt hæc imago, & ſuperſcriptio? Eo autem mirante, ac reſpondente. Cuius tandem alius, quàm Imperatorum? Quid, inquit vir diuinus, ſi quiſpiam eum contumelioſè in terram proiectum pedibus terat, pœnáſne aliquas luet? Quidni autem, dixerunt ij, qui aſtabant, cum Imperatoriam effigiem proculcet?

Ad hæc vir ſanctus grauem quendam eximo pectore gemitum emittens, ac magno cum animi dolore exclamans: O immanem, inquit, cæcitatem! Si pro mortalis Imperatoris forma, & effigie grauiſſimas pœnas irrogandas eſſe dixiſtis; quas tandem pœnas eum ſubiturum eſſe putatis, qui filij Dei, ac matris ipſius effigiem conculcarit, igniq; tradere non dubitarit? Vix hæc dixerat; cùm ſubitò nummum eum pedibus protriuit. Cùm autem ij, qui aſtabant, ferarum ritu, accurriſſent, vt ſanctum virum præcipitem in mare deiicerent; (audax enim, & præceps eſt aſſentatio, ac dum obſequiis aliquem nimium demereri ſtudet, mediocritatis omnis fines excedit) Imperator lenitatem ſimulans, quò iracundiæ haudquaquam obnoxius videretur, qui eam ingentem, atque arcanam in animo inſidentem habebat, in præſens quidem eos prohibet, atque ab huiuſmodi conatu abducit: cæterum ſanctum virum collo alligari; ac manibus à tergo vinciri iuſſum, ad publicum prætorij carcerem amandat: vt videlicet ob protritam Imperatoris effigiem, pœnas à lege conſtitutas lueret. En quàm Seueri vindices fuêre Iconómachi numiſmatis conculcati, in quo effigies Copronymi expreſſa erat. Nec tantum rationis habebant, vt ſimiliter colligerent, ignominiam imagini Redemptoris irrogatam, in ipſum Redem-

demptorem redundare. Et tanto maiore pœna dignos eſſe, qui Chriſti effigiem violarent, quanto Chriſtus eſt maior Dominus, quàm Imperator.

Si contumelia Regis veſtimentum afficias, inquit S. Chryſoſtomus apud Damaſcenum orat. II. de Imaginibus, *nónne contumelia Regem afficis? Neſcis, te ſi in regiam imaginem contumelioſus exiſtas, in eum ipſum, quem illa refert, iniurium eſſe? Ignoras, qui ex lignea, aut ærea ſtatua imaginem detraxerit, eum non, tanquam in materiam inanimatam audax extiterit, ſed tanquam ignominia Regem affecerit, condemnari? Quæ enim Regis effigiem præ ſe fert, ignominiam in ſe coniectam refert ad Regem.*

Similia apud eundem Damaſcenum Anaſtaſius Sinaita. *Quemadmodum, qui Regis imaginem afficit ignominia, ita punitur, vt ſi protinus in ipſum Regem fuiſſet contumelioſus, quamuis imago nihil aliud ſit, niſi lignum, coloreſque cerâ commiſtâ, & coagmentata; ſic, qui figuram rei alicuius deſpicit, atque contemnit, in eam ipſam rem, quam figura illa refert, iniurius eſt, & contumelioſus.*

His adde S. Methodium Epiſcopum Patarenſium apud eundem Damaſcenum in fine tertiæ orationis. *Protinus ergo, quæ ſunt hîc Regum imagines, quamuis non ex precioſa auri, argentiue materia conſiſtant, ab omnibus tamen honorantur; neque enim, quæ ex precioſa materia conflata ſunt, homines duntaxat colunt; quæ verò ex vili, contemnunt, atque aſpernantur: ſed omnes, quæ ſunt in terra, colunt, licet ex ære, gypſóue exiſtant. Et quiſquis in earum aliquam, qualiſcunque fuerit, maledicta coniecerit, is non, tanquam lutum ſpreuerit, aurúmue contempſerit, abſoluitur; ſed, non aliter, ac ſi in ipſum Regem impius extitiſſet, condemnatur. Quas quidem ex auro imagines conflamus, Angelorum ipſius principatus, & poteſtates referentes, eas ad honorem, & gloriam eius confiximus.*

Accidit autem, iuſto Dei iudicio, vt quoniam Leo Iſaurus & Copronymus imagines Chriſti conculcabant, confringebant & incendebant; eorum imagines conſimili modo tractarentur, teſte Gregorio II. Pont. qui in epiſtola ad Leonem Iſaurum teſtatur, eos, qui ſpectatores fuerant deiectæ ex ærea porta imaginis, domum ex Conſtantinopolitana vrbe reuerſos, auctores fuiſſe, vt imagines Leonis eodem modo exciperentur, quo ipſe Imagines Chriſti exceperat: *Tunc proiecta Laurata tua*, inquit Pontifex, *conculcarunt, & faciem tuam conciderunt:* nam initio cum Leonem orthodoxum eſſe audirent; *Laurata* eius receperant: Idcirco *Laurata tua receperunt* (Reges occidentis) *vt Reges à Regibus honore affici conuenit, idque cum nondum inceptum hoc conatumque tuum audiuiſſent.*

Erant autem *Laurata*, imagines Imperatorum in prouincias mitti ſolitæ, de quibus in ſeptima Synodo, vt citatur à Franciſco Balduino lib. 3. Optati ſub finem. *Lauratis & Iconibus quæ mittuntur ad ciuitates vel*

regiones, obuij adeunt populi cum cereis & incenſis, non cera perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes. S. Gregorius lib. II. Regeſti epiſt. I. *Cum veniſſet Icon Foca & Leontiæ, acclamatum eſt eis. Et Iconem iuſſit Gregorius in Oratorio S. Cæſarij reponi.*

S. Chryſoſtomus Hom. in ſanctam quintam diem Paſchæ, citante Adriano Pont. in epiſtola ad Conſtantinum & Irenam Imperatores. *Cum regia figura & imagines in ciuitates inferuntur, populus non ipſam tabulam, aut ex cera factam imaginem honore proſequitur, cumq́; magiſtratu illuc obuiam procedit, ſed potius regiam hiſtoriam, & veluti præſentiam ſuſcipiunt, &c.* Si igitur tanto honore noui Imperatoris imago excipi & affici debuit, an non maiore cultu digna eſt effigies Saluatoris?

Lib. 15. Cod. Theod tit. 1. Imperatores Arcadius & Honorius. *Si quando vſus exegerit, vel porticus, vel quaſlibet ædes ætatis ſenio, ſeu fortuitis concuſſas caſibus, reparari, liceat etiam, inconſultâ clementiâ noſtrâ, cum reuerentia ſui imaginem deponere vel noſtram, vel retro principum reportatam, & poſt refecta ædificia loco proprio denuo conlocare.* En quanta reuerentia Imperatores ſuam imaginem tractari iubent. Et Leo Iſaurus cum filio ſuo Copronymo, tanquam Leo rugiens impetum in Seruatoris noſtri Iconem dabit, deq́ue veteri ſtatione deiiciet, quantumuis illuſtribus miraculis nobilitatam?

IV.

Θ αυμαστὸν ἔρνος ὡς	Θ εῷ σύ μ———————	E
Ε ἰληφὸς ἰσχὺν εἰς	Ἅ δου λύσιν νόε	I
Ο τοῦ παθόντος στα	Υ ρὸς ἐκλαλεῖ φθάσα	Σ
Δ ρόσους ὕω γὰρ θαυ	Μ ατουργίας μάλ	A
Ω ς κόσμον ἄρδει ταῖς	Α πορροίαις ἅπα	Ξ
Ρ ώσεις παρέσχον, καὶ	Τ ί τῆς σῆς * ἐυ Βί	Ω
Ω ν οὐ προσέσει σοῦ	Α ριθμοὺς ἐγγράφει	N.

*ἴσως, ἐν.

Verſio ad verbum.

Mirabile germen, vt Deo (charum) *tu me*
Accepiſſe vim in orci ſolutionem noueris.
Paſſi crux, eloquitur præueniendo:

Rores

Rores pluo enim miraculorum effectrices valde.
Vt mundum irrigat defluxionibus ſemel,
Robur ſuppeditans, & quid non, illis in vita?
Quorum non licet numerum deſcribere.

EXPLICATIO.

ACROSTICHIS eſt Θεοδώρῳ θαύματα εἰσάξων σταυρός. *Theodoro miracula adducit crux; ſeu admirationem adfert crux.* Primus verſus claudicat, niſi pòſt θεῷ addatur vocula φίλον, vel ſimilis. Carmen vtcunque tenebricoſum eſt: Ex his tamen tenebris elucent hæc crucis elogia. I. Θαυμαστὸν ἔρνος, *mirabile germen.* II. *Cui data poteſtas in ipſos inferos.* III. *Miraculorum rorem pluit.* IV. Mundum irrigat ſuis ἀποῤῥοίαις *defluxionibus.* V. *Robur ſuppeditat.* VI. *Et alia innumera commoda mortalibus præſtat.*

Memorabilis, vel potius execrabilis fuit improbitas Baſilij, eius, qui Bogomilorum ſectam condidit, qui, vt alibi dictum, mentiebatur, Crucem, omnis Diabolicæ nequitiæ terrorem & cruciamentum; Dæmonibus non eſſe odio, ſed potius amori & voluptati. Recitauimus quidem non ſemel hoc impij Hæreſiarchæ delirium in opere de S. Cruce, ſed hic Græca verba attexere lubet ex Theſauro Nicetæ contra Bogomiles, qui ea ex Panoplia Euthymij p.2.tit.23. vel vterq; ab aliquo tertio ſumpſit. ἐρωτηθεὶς αὖθις παρ' ἡμῶν ὁ δηλωθεὶς ἔξαρχος τῆς αἱρέσεως πῶς οἱ δαιμονιῶντες περιτρέχουσι τῷ σταυρῷ καὶ καθυλακτοῦσιν; ὑπεκρίνατο, φιλεῖσθαι μᾶλλον τὸν σταυρὸν ὑπὸ τῶν ἐνοικούντων αὐτοῖς δαιμόνων, ὡς οἰκεῖον ἔργον. αὐτοὶ γάρ φησι τοῦτον κατεσκεύασαν εἰς ἀναίρεσιν τοῦ σωτῆρος. ἔστι δὲ ὅτε καὶ καθυβρίζουσι τοῦτον ἐν ὑποκρίσει, καὶ φεύγειν αὐτὸν πολλάκις ἑκουσίως. ἵνα βλέποντες οἱ ἄνθρωποι τιμῶσι μᾶλλον αὐτὸν, ὡς ἐχθρὸν καὶ διώκτην τῶν δαιμονίων. ἔχει δὲ παρ' ἡμῖν οὐχ οὕτως τὸ ἀληθές. ἐλαύνονται μὲν γὰρ καὶ ἄκοντες ὑπὸ τῆς τοῦ σταυροῦ δυνάμεως, καὶ καθυλακτοῦσιν, ἵνα τὸ λυσσῶδες αὐτῶν φανερῇ, καὶ ἵνα βασανίζωνται. ἡ γὰρ ὑλακὴ καὶ αἱ στρεβλώσεις τοῦ σώματος τῶν δαιμονιζομένων. καὶ οἱ στεναγμοὶ, τεκμήριόν εἰσι τῆς βασάνου τῶν δαιμόνων. ὑβρίζουσι δὲ αὐτὸν, ὡς ἐχθρὸν, καὶ φεύγουσιν ὡς διώκτην.

Quæ verba ſic Latinè reddidit Franciſcus Zinus, Euthymij Interpres. *Cum rurſus ex illo ſene* (Baſilio Medico) *quem hæreſis principem oſtendimus, quærerem, cur à Dæmonibus vexati ad Crucem accurrunt & vociferantur, reſpondit; Crucem, vt proprium opus amari vehementer à dæmonibus qui in eis inhabitant. Ipſi enim, inquit, illam tunc excogitarunt, vt Seruatorem è medio tollerent. Aliquando autem ſe fingunt afficere contumelia, & vltrò illam fugiunt, vt id homi-* *Lege lib.4. de S.Cruce ca.37.*

 nes

nes aſpicientes, eam magis honorent, tanquam dæmonum inimicam & expultricem. Veritas autem apud nos haud ita ſe habet. Nam vel inuiti trahuntur à crucis virtute, & allatrant, vt rabies ipſorum oſtendatur. Latratus enim, corporiſq; vexatio, & gemitus eorum, qui à dæmonibus opprimuntur, tormentum & cruciatus dæmonum indicant, qui crucem vt inimicam deſpiciunt, & expultricem. Hæc Nicetas & Euthymius.

Poſſet fortaſsè primus verſus etiam huncin modum expleri. θαυμαστὸν ἔργον εἰμὶ ὡς θεοῦ σῶμα. &c. Vt ipſa crux loquatur, & ſuas virtutes percenſeat.

V.

Χριστὸς γράφοιτο, μὴ πλανᾶσθε δὴ πλάνοι,
Οὐ θειότητι, σαρκὶ δὲ βροτὸς φανὰς,
Ἀμφοῖν ὀφείλων γνωστὸς εἶναι τὰς φύσεις,
* L. ἄχαπτος. Ἐκ πατρὸς * ἄγραψ ἐκ τεκούσης γραπτέος.
Μηδὲν παρεὶς γνώρισμα τοῦ διπλοῦ γένους.
Ἐπεὶ τέλειος ἐνδέων ἦν πως μόνον
Ὁ παντέλειος εἶεν ἀνδρωθεὶς λόγος.
Λείποιτο δὴ μάλιστα μὴ γραπτὸς πέλων.
Οὐ μικρὸν ἁπλῶς ἀλλὰ τὴν ὅλην φύσιν.
Εἴπερ βροτοῦ πρώτιστα μορφῆς ἰδέαν.
Ἢν δυσλογῶν σὺ, καὶ καθαιρῶν ὡς πλάνην,
Χριστὸν δυσειπεῖν καὶ συναργεῖσθαι νόει.

Verſio ad verbum.

Chriſtus pingatur, ne erretis errones,
Qui nō diuinitate, carne aũt mortalis apparuit,
Qui ſecundum vtramq; naturam cognoſcibilis eſſe debuit,
Ex patre pictura expers, ex matre pingi potis.
Nullum omittens indicium duplicis generis

Quan-

Quandoquidem perfectum, imo perfectiſſimum
Verbum caro factum;
Imperfectum foret, ſi vel vno careret;
Careret autem maximè, ſi pingi non poſſet;
Nec paruo careret, ſed totâ natura.
Cum hominis prima ſit forma ſpecies,
Quam cum tu inſecteris & euertas vt errorem,
Noueris te Chriſtum inſectari & euertere.

EXPLICATIO.

NVLLA eſt hîc Acroſtichis. Totum carmen in eo conſumitur, *Chriſtum hominem pingi poſſe*, (cuius imaginem Iconomachi vbique euerſum ibant) & eos, qui Chriſti imaginem abnegant aut tollunt, abnegare ſimul & de medio ipſum Chriſtum tollere; de quo iam ſæpe ſupra dictum eſt ex ſeptima Synodo, ex Damáſceno, Theodoro Studita & aliis. Quanto autem furore Iconoclaſtæ in imagines Saluatoris noſtri debaccharentur, dilucidè exponit Theodorus Studita in Epiſtolis quas dedit ad Paſchalem Pontificem Romanum, & ad Patriarchas Alexandrinum, Antiochenum & Hieroſolymitanum; in quarum prima hæc lamentabili voce modulatur Anno IV. Imperij Leonis Armeni.

Lupi graues irruperunt in caulam Domini, portæ inferi, vt olim, ruptæ ſunt in ipſam. Quid hoc? perſecutionem patitur Chriſtus cum matre, & miniſtris. Siquidem contra imaginem incurſus, prototypi eſt perſecutio. Hinc detentio Patriarchalis capitis, & exilia, & relegationes Archiepiſcoporum, & Sacerdotum, & monachorum, monacharumq́; & compedes, & vincula ferrea, tormentaq́;, & ad extremum, mors. O horribilem auditionem. Veneranda imago Saluatoris noſtri Dei, quam & dæmones perhorreſcunt, contumeliis affecta, & ludibrio habita eſt, non ſolùm in regia Vrbe, verùm etiam in omni regione, & oppido. Altaria deleta ſunt, templa deſtructa, ſacra profanata, effuſus eſt ſanguis, & effunditur eorum, qui retinent Euangelium.

Verum totus Iambi huius ſenſus clarior & manifeſtior euadet ex his, quæ Theodorus ſcripſit ad Michaëlem Balbum, Leonis ſucceſſorem Anno DCCC. XXI. nam quæ hic Theodorus ligata oratione cecinit, ea ad Michaëlem Imp. ſoluta protulit. *Quoniam autem, Chriſti*

æmule Imperator, quos in hæreſi mors occupauit, ij in perditionis partem abierunt, Chriſtum negantes, dum eius imaginem negarunt, quamuis Chriſtiani appellarentur. Credere enim in Chriſtum nihil aliud eſt, quàm quod Filius Dei, & Patris perfectus homo factus imagine exprimitur, ſecundum ſimilitudinem noſtram, vt non ſit aliud quidpiam, quam ſumus nos, manens idem incircumſcriptus cum Patre & ſpiritu, quatenus eſt verus Deus. Sic itaq; intelligatur mediator Dei, & hominum tanquam vtriuſq; vtraq; habens, & in vtrouis nulla parte deſtitutus, ſicut omnis Sanctorum Patrum cohors vociſeratur. Et ſicut in imperio veſtro expreſſæ imaginis ſuſceptio, confeßio eſt Imperij veſtri, & contra: ita & in Chriſto Rege vniuerſæ terræ, idem ſumere licet, ac multò magis; quia regni eius non erit finis.

Si ergò in negatione imaginis Chriſti, negare Chriſtum ipſum, omni veritate demonſtratum eſt; perſpicuum eſt, & in adorationis eius improbatione, Chriſti quoq; ipſius adorationem abrogari. Atq; ideo vniuerſa, quæ ſub cœlo eſt, ab ipſa Apoſtolica prædicatione, vt teſtatur & aſpectus, per picturam, & auditus, per ſcripta monumenta, ſanctam imaginem Chriſti, Deiparæ, Angelorum, (quandoquidem cum corpore pinguntur & iſti diuino mandato, licet ſint incorporei) & ſanctorum, qui diuerſis temporibus fuerunt in diuinis templis, ſacriſq; vaſis, gerit & adorat.

VI.

Τοῦ αὐτοῦ.

Χ ριστοῦ γραφέντος φροῦδος εἰδώλων πλάν Η
Ρ ομφαία ταύτης ἐξέλιπεν, ὡς ἴδ---- Ε
Ι νδαλμα φωτὸς ἀντανίσχειν τοῦ σκότε---- Ι
Σ ταυροσκίαστον ἐν κάρᾳ φοροῦν ἄο----- Ρ.
Τ ῷ γὰρ καθεῖλε τοῦ σκοτάρχου τὰ κράτ---- Η
Ο παντάναξ κάτωθεν ἡμᾶς ἑλκύω----- Ν
Υ ψοῦ τεθεικὼς οὐρανῶν δώσας κλέ----- Η.

Verſio ad verbum.

Eiuſdem, (nimirum Theodori Studitæ)

Chriſto depicto euanuit Idolorum error.
Gladius huius (idololatricæ vanitatis) *defecit,*
vt vidit

Imagi-

Imaginem lucis oriri contra tenebras,
Cruciformem in capite ferentem enſem.
Hoc enim deſtruxit principis tenebrarum potentias
Rex omnium ad ſuperna nos trahens,
Et in alto collocans, cælorum donans gloriam.

EXPLICATIO.

ACROSTICHIS eſt, *χρισῦ ἡ εἰρήνη. Chriſti pax.* Verſu tertio *ἀντανίχειν* lego pro *ἀντανίχει*. Et ſexto *ἄνωθεν* pro *κάτωθεν*. Neque enim *ὁ παντάναξ Dominus omnium*, Chriſtus Saluator nos deorſum trahit, ſed ſurſum iuxta illud: *Ego ſi exaltatus fuero, omnia ad meipſum traham.* Hactenus Iambi pro honore Crucis & imaginum, partim ab ipſis Iconomachis, partim ab Orthodoxo Theodoro Studita ſcripti, & Lutelia Pariſiorum ad me miſsi.

Quia verò Nouatores priſci & noui, quanquam magis & generalius noui, perpetim clamitant, Crucem & imagines eſſe *opera manuum hominum; aurum, argentum, lapides, lignum; os habere, nec loqui; pedes habere, nec ambulare*; ac proinde non modò cum Idolis conuenire, ſed & vera *idola* eſſe, placet huc transferre eruditam Photij Epiſtolam, necdum publico donatam, qua hanc criminationem grauiter refellit; non ſolùm Crucis ac imaginum, ſed & ſacrorum vaſorum cauſſam hunc in modum agens.

Simulacra gentium argentum, & aurum opera manuum hominum. Quid ergò? libatoria religionis *Chriſtianæ, & crateres, & turibula, & crucis typi, & alia trecenta (mitto enim dicere Moſaici ſacrificij ſymbola) nonne argentum, & aurum, & ligna, & colores, & opera manuum hominum? Abſit. Non enim argentum eſt, ſed ex argento, neq; aurum, ſed ex auro facta, neq; ligna, aut colores; ſed hanc quidem materiam habent, confectum autem ex his aliud quiddam, & admirabile admodum eſt. Neq; verò eſt manuum hominum in materia ludentium, & ſine omni diuino inſtinctu, quod illis in mentem venit, effingentium. Atq; ideo, illa quidem aliud nihil ſunt, niſi materia contumelioſiſsimè tractata, humanarumq; manuum inconſideratus, & ratione carens labor. Hæc autem noſtra formantur quidem in materia, & manus miniſterio conficiuntur: ſed quæ ſupernè moueatur. Supernis enim afflatibus, & cogitationibus prudentibus, & ad pium iudicium pertinentibus ſeruit.* *Epiſtola Photij, qua oſtendit Imagines non eſſe idola. Pſal. 113.*

Atten-

Attende Iconomache, nec te pudeat diſcere, per quæ fugiendo pudore libereris, & ſupplicium perenne effugere poteris. Quemadmodum autem noſtra libatoria, & crateres, & turibula, & crucis typi, & ſimilia, non aurum, non argentum, neq; ligna, aut colorum materia, neq; opera manuum hominum ſunt; ita imaginum repræſentantium ſacræ effictiones noſtræ non ſunt argentum, neq; aurum, neq; æs, neque etiam colores, neq; quod abſit, opera manuum hominum. Etenim vetuſta illius, Apoſtolicaq; & Patrum traditionis diuina, & nunquam intercidens prædicatio, veluti animata quadam ſapientia materiam ſuſcipiens, eamq; ex propriis, & ſacris legibus tractans, & artificium inducens, ad imaginem & certam formam redigit, nihil indecorum, aut humanæ curioſitatis in ipſis liberè reprehendi ſinens, & totum ſuum opus eſſe oſtendens, ac palàm faciens, puras nobis, & ſynceras in venerabilibus illis iconicis expreſſionibus prototyporum ſpecies ſacro modo, & ſacris figuris exhibet.

Habes igitur breuiter, opinor, quibus eruditus, te auitam maiorum pietatem potius colere demonſtrabis, & hæreticos conuinces. Materia enim ratione, & ſubiecto, ſicut menſa Dei, & menſa dæmoniorum, ſacrificium diuinum, & ſacrificium dæmoniacum, orgia gentium, & Chriſtianorum myſtagogiæ, & multa alia ſummè contraria modicè diſcrepant: vſu autem, & appellatione, precationibus ad Deum, efficacia, & mille aliis rebus tantum eſt eorum diſcrimen, quantum verbis conſequi nemo poteſt. Sic ſanè, ſic idola gentium, & Chriſtianorum imagines, templum Dei, & altare idolorum, atq; etiam nidoris Græci vaſa liturgica, ſeu miniſtratoria, & puri, atq; incruenti ſacrificij noſtri ſacra receptacula. Etenim vtrumq; horum in ordinem, ac ſeriem oppoſitam diſcretorum, materiam quidem habet interdum nihil penitus differentem, & ſecundum formas, & ſpecies, & alia, quibus diuerſitas effici ſoleat, infinita ternitur, & quæ vix exprimi verbis poteſt, in ipſis varietas.

Quapropter de materia iſta quidem non ad meliora tranſlata, ſed ad multò deteriora aſſumpta, iure ligna, & lapides, & aurum, & argentum, aut opera manuum hominum cognominentur, profanaq; & impura, & immunda, primùm ex materia, deinde ex formante, poſtremo ex illis, quibus nefariè, & impiè conſecrata ſunt. Idcircò, quamuis habeant os, perpetuum tamen ſilentium illis exprobratur: quamuis pedes, & manus, immobilitas; quamuis aures, & nares, & alia, defectus ſentiendi, & otium, & inanitas. Quorum enim archetypa, aut nihil ſunt, aut miſera & impura, horum etiam fictor, cum impietate miſerior eſt, & cultus totus DEO *odioſior. Iſtis vnde tandem aliqua gratia, aut gloriæ, aut actionis, aut ſanctior appellationis vendicatio continget?*

Sancta autem, & venerabilia Chriſtianorum ſacrificatoria vaſa, & templa, & imagines, cæteraq; religionis noſtræ ſymbola, quanquam non alia materia conſtant; tamen, quia ad quiddam multò melius comparata ſunt (vſu quippe, & appellatione, & myſtagogia, & exemplarium diuinitate, quorum characteribus conformata ſunt, & ſexcentis aliis ſanctificata perficiuntur) ob hoc, non amplius ligna,

gna, aut lapides, neq; argentum, neq; aurum, neq; colores nudi, in ſpeciem formantis, & contenta illius facultatis, & gratiæ, neq; cogitata vnquam, neq; nominata ſunt, ſed ſancta, & honoranda, & glorioſa, & venerabilia potius. Supernæ enim operationis, & quibus dicata ſunt, & quorum nomen, ac ſpeciem ferunt, ſocietatem habentia, & mentem noſtram ad illa prouehentia. & inde nobis bonam, ac diuinam beneuolentiam reportantia. non rectè ex materia vocabuntur, neq; ab aliquo alio in iis apparente, & oppoſitis conueniente proprietate; ſed ab iis, quorum participia ſunt, & ad quæ referuntur, quibusq; ſeruiunt. & conſecrantur; rectiſſimè, & aptiſſimè à piis & cognoſcuntur, & nominantur. Hæc Photius. Nunc ad alia.

Εἰς τὸν τρίκλινον τῆς μαγναύρας.

Ὀτραλέως πολύτροπον ἔτευξαν δόμον Βασιλῆες,
Αἰχμῇ ὀλβιοδότειραν ἀπὸ σταυροῖο λαχόντες
Αὐτὸς ἄναξ Ἡρακλῆς σὺν Κωνσταντίνῳ υἱεῖ.

Exſtant tres iſti verſus lib. 4. Epigrammatum Græcorum ſeu Anthologiæ ſectione εἰς οἴκους.

In quos Brodæus hæc notat: τῆς μαγναύρας. quaſi dicas, *magna aura*. Loci ventis expoſiti nomen.

Βασιλῆες. *Imperatores Conſtantinopolitani.*

Ἀπὸ σταυροῖο. *Chriſtianos ſignat. Conſtantinum præcipuè. qui primus Labarum (inſignioris vexilli nomen eſt) Maxentium aggreſſurus per artifices ingenioſos iuſſit in vexillum crucis transformari.*

Αὐτὸς ἄναξ Ἡρακλῆς. *quem in præſentia notet, nec diuinare modò in promptu, nec anxiè indagare noſtri eſt otij.* Hæc Brodæus, qui, ſi vera fateri velimus à veritatis ſcopo procul aberrat; nam *Magnaura* nomen eſt Palatij ſeu Aedis regiæ, de qua Luitprandus Ticinenſis qui eam vidit, lib. 6. Hiſtor. cap. 2. *Eſt Conſtantinopoli domus Palatio contigua miræ magnitudinis ac pulchritudinis, quæ a Græcis e loco appoſita Megaura. quaſi magna aura*, pro, *aula dicitur*. Hæc Luitprandus, qui vtrum veriloquium an falſiloquium adferat, aliorum eſto iudicium. Dicebatur *Magnaura* etiam *Pentapyrgium*, quòd quinq; turribus conſtaret, vt docet Cedrenus in Theophilo Imp.

Nomine *Conſtantini* nequaquam intelligitur Conſtantinus Magnus, ſed Conſtantinus Heraclij Imperatoris filius, vt & ipſe Heraclius vocabulo Ἡρακλῆς: ab his enim duobus ait Poëta iſte, *Magnaura* Triclinium eſſe conſtructum; in quo quidem carmine nihil eſt pulchrius, quam quod dicit; Heraclium & Conſtantinum adeptos à cruce αἰχμῇ ὀλβιοδότειραν, *gladium fortunatum*, hoc eſt, felicitatem & proſperitatem contra hoſtes ſuos; nam Heraclius Perſas potentiſsimè debel-

lauit,ſanctamque Crucem ab ipſis in Perſidem abſportatam, recuperauit; & omnibus Imperij Romani inimicis, virtute Crucis, formidinem incuſsit. Neque alios Imperatores latuit, à cruce *αἰχμὴν ὀλοθρεύειν* dari: vt in opere de S. Cruce non ſemel vidimus.

Ithacius lib. 1. Chronicorum. *Conſtantinus* (Magnus) *per ſignum Crucis omnes gentes ſuperat.* Idem ibid. *Conſtantinus cum Matre Helena Crucem Domini noſtri IESV Chriſti Hieroſolymis inuenit*, &c. Dicit à Conſtantino cum Matre inuentam. quia nutu & auſpiciis eius Helena Hieroſolymam conceſſerat, crucis quærendæ gratia. Addit Ithacius. *Crux Domini Hieroſolymis fabricatur & ſtabilitur.* Forſan ideo hoc aſſerit, quòd Hieroſolymis Eccleſia in honorem S. Crucis erecta fuerit ab Helena, & pars Crucis argenteæ thecæ incluſa. Lucas Tudenſis, ſeu potius Iſidorus in Chronico. *Per idem tempus Crux Domini à glorioſa Helena Conſtantini Matre Hieroſolymis reperta eſt. Ob cuius etiã deuotionem Dominus quatuor clauos, qui in corpore ſuo fuerant fixi, tanquam aurum ſplendentes, oſtendit.*

Idem de inuentione S. Crucis per Helenã proditum eſt in Chronico, quod à Caſaubono acceptum, Ioſephus Burdo cum ſuo Euſebio euulgauit: cui ſancta Crux nonnihil debet, quòd ex Chronico illo exterminata non fuit. Et hos inuentæ ab Helena crucis teſtes, cæteris, quos alibi turmatim produximus, adiectos oportuit.

Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap 62. 63.

Magna ſemper piorum Regum ac Principum erga ſanctam crucẽ reuerentia ac pietas eluxit S. Germanus Epiſt. ad Thomã Epiſcopum Claudiopoleos in Synodo VII. Act. 4. *Quid autem dicere oportet, cum videamus Reges noſtros & Imperatores ex propria erga Deum affectione, pro ſua ſtatua, ſalutiferam gloriationem ſæculi erexiſſe. Per gloriationem ſæculi* intelligit crucem. Non dubito in Græco textu eſſe *καύχημα τοῦ κόσμου*.

Adeo autem Crux Romanis Imperatoribus cordi fuit, vt etiam inter Imperialia inſignia & digmata locum inuenerit, vt alibi oſtenſum, de quibus venuſtè ac ſcitè diſſerit Gregorius IX. Pontif. Epiſt. ad Fridericum II. Imperatorem. *Quinq;*, inquit, *inſignia Imperialis Celſitudinis culmini deputata, cum eorum myſteriis cupimus ſtylo ferreo in cordis tui vngue adamantino depingere, quod nulla poſſit obliuione deleri. Crux, vbi eſt lignum Domini, & lancea vbi clauus eius exiſtit, ante te in proceſsionibus ſolennibus deportantur. Coronam auream cum lapidibus precioſis geſtas in capite; ſceptrum in dextra; pomum tenens aureum in ſiniſtra. Crux, vt Dominicæ paſsionis memoria, & acerbiſsimi cruciatus, ſint ſemper ante oculos mentis tuæ, in contumeliis verborum, in iniuriarum opprobriis, flagellis, & plagis, laceratione ſpinarum, transfixione clauorum, prudenter attendens, in quantum te oporteat Domino reſpondere*, &c.

Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 54. & Tom. 3. lib. 1. cap. 20.

Henricus Imp. quem IV. nominant, in Epiſt. ad filium ſuum Henricum,

ricum, à quo fuerat regno exutus, & in vincula datus. *Ante captiuitatem* abſtuliſti nobis Epiſcopatus, &c. *in captiuitate verò, quidquid reſiduum erat, vt lanceam, & Crucem & omnia regalia inſignia, vi & timore mortis à nobis extorſiſti*, &c.

De Achaio Rege Scotorum Hector Boëthius lib. 2. Hiſt. Scoticæ. *Addidit is coronæ* (regiæ) *circo quatuor lilia aurea, quatuor cum ſalutiferæ Crucis aureis ſignis, paribus interuallis diſcretis, liliis paulò eminentioribus. Vnde Scoticæ gentis Chriſtianæ religionis inuiolatæq; fidei obſeruatio omnibus dignoſceretur.*

Inter iura Auſtriacæ familiæ à Friderico Imp. I. conceſſa, reperitur quoque iſtud. *Concedimus etiam Illuſtri Principi Auſtriæ crucem noſtri diadematis ſuo principali pileo ſufferendam.*

Carolus V. Imp. de Priuilegiis Archiducum Auſtriæ. Der Ertzhertzog zu Oeſterreich hat die Würdigkeit vom Reich / daß er der Königlichen Kron Diadem / vnd das Creutz der Keyſerlichen Diadem / auff ſeinem Ertzhertzog Hüttlein offentlich tragen mag. *Exſt. Tom. 2. Imperial. Conſtitut. Tom. 1. p. 2. pag. 19.*

Inter regia Cimelia Regni Hungarici aſſeruatur Crux iam à temporibus S. Stephani Regis, qui primus Regum ex gente illa Chriſtianam fidem amplexus eſt. Hæc Regibus, quando inaugurantur, oſculo honoranda offertur. Ioannes Ieſſenius in Relatione de Coronatione Sereniſsimi Regis Matthiæ II. *Rex coram altari ſupra auro obductam culcitram in genua ſe ſubmittens,* CRVCEM, *(hanc autē Benedictus Pontifex Anno* CIↃ. *vna cum coronâ Miſconi Poloniæ Duci deſtinata, nocturno* DEI *internuncio cōmonitus, Regi Stephano primo, Viro ſancto, Chriſtianæ Fidei ad Getas & Sarmatas vſq; propagatori, dono miſerat, atq; ad augendā illius dignitatē, hoc Pontificiæ legationis inſigne, quod alteram armorum Regni partem conſtituit, ei perpetuam præferendi poteſtatem fecerat) per Cardinalem porrectam, honorario oſculo petiuit.*

Eſt & globus cruciger inter inſignia, quæ Regi, in ipſo inaugurationis actu traduntur. Idem Ieſſenius in eadem Relatione. *Auream cum eminente Cruce ſphæram ſiniſtræ Regis indidit manui, arrhabonem Regni deſponſati amplectendi, gerendiq;. Globus verſatilis, de vno in alium deuolui Imperia,* DEO *ſic impellente, denotat; nihil in hac mortalitate ſtabile, nihil diuturnum, ne dum perpetuum; Adeo, vt Regnorum ætates ſint ætates Regum: ſolum* DEVM *æmuli expertem, mundi Præſidem permanere in æternum. De fixa crucicula, in animum meritò reuocat, orbem* IESV *Chriſti ſanguine redemptum, hoc dictatore iudicatum iri in nouiſsimis; aliis patratæ Tyrannidis pœnâ irrogatâ; aliis ob rem benè geſtam, beata æternitate retributâ.*

Ex religione in ſacroſanctam Domini Crucem accidit, vt Imperatores, Reges ac Principes grauiter in eos animaduerterent, qui in

crucem vel crucifixi imaginem aliquid piaculi admiſiſſent. VVippo de Conrado Salico Imp. in vita eius, vbi agit de prælio Conradi aduerſus Sclauos adhuc idololatricis tenebris inuolutos. *Fertur, vt quodam tempore effigiem ligneam Crucifixi Domini noſtri Ieſu Chriſti ſcelerato ludibrio habuiſſent Pagani, & in eam ſpuerent, atq; colaphis caderent, ad extremum oculos eruebant, manus & pedes truncabant. Hac vleiſcens Imperator, de captis Paganis maximam multitudinem pro vna effigie Chriſti, ſimili modo truncauit, & varia morte deleuit. Idcirco in eiſdem verſibus, Cæſar vltor fidei vocatur. & Romanis Principibus Tito & Veſpaſiano comparatur, qui in vltionem Domini triginta Iudæos pro vno nummo commutauerunt, cum Iudæi Chriſtum pro totidem denariis vendiderint.*

Rigordus Hiſt. de geſtis Philippi Regis Francorum. *Ad cumulum etiam damnationis ſuæ. vaſa Eccleſiaſtica Deo dicata, ſcilicet cruces aureas. & argenteas, habentes imaginẽ crucifixi Domini Ieſu Chriſti, & calices, quæ pro inſtanti neceſſitate Eccleſiarum, nomine vadij fuerant eis ſuppoſita, in vituperium. & opprobrium Chriſtianæ religionis tam viliter tractabant* (Iudæi) *quod in calicibus, in quibus corpus. & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti conficiebatur, infantes eorum offas in vino factas comedebant & cum ipſis bibebant,* &c. *Eo igitur tempore Iudæis timentibus, ne ab officialibus Regis ſcrutarentur eorum domus: factũ eſt, quod quidam Iudæus, qui eo tempore Pariſiis morabatur, habens vadia Eccleſiaſtica, videlicet, crucem auream gemmis inſignitam, & librum Euangeliorum, auro & lapidibus precioſis mirificè decoratum, cum ſcyphis argenteis, & aliis in ſacco ponens in foſſam profundam, vbi ventrem purgare ſolebat, proh dolor, viliſſimè deiecit. Quæ omnia paulò pòſt, Domino reuelante, à Chriſtianis ibidem inuenta ſunt.* &c. Propter hæc & ſimilia Iudæorum ſacrilegia, *menſe Aprili exiit edictum à sereniſſimo Rege Philippo Auguſto,* inquit Rigordus, *quòd omnes Iudæi de regno ſuo, vſq; ad ſequens feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ ad exeundum parati eſſent.*

Fragmentum Hiſtoriæ Aquitaniæ à Pithœo euulgatum. *His diebus in Paraſceue poſt crucem adoratam vſq; Sabbato ſancto circa Veſperam concuſſa eſt Roma à vi ventorum, & penè omnes Romani mortui ſunt, tam Chriſtiani, quã Iudæi; & quidam Iudæus Chriſtianis inſinuauit, quod in Paraſceue Synagoga Iudæorum imaginem Chriſti deluſerunt, ſicut fecerant Domino parentes eorũ. Quod Benedictus Papa ſolicitè inquirens, & probans, mox Iudæos, qui hoc egerant, iuſſit decollare; quibus decollatis, ceſſauerunt venti.*

Nec mirum, Iudæos in imaginem Chriſti fuiſſe iniurioſos ac ſacrilegos, quando interdum eo ſceleris & atrocitatis proceſſerunt, vt homines abs ſe eum in finẽ interceptos crucifigerent, vt ſuũ aduerſus crucẽ & crucifixũ inexſaturabilis odij ſatis luculentũ ſpecimen præberent. Recitauimus nõnulla exempla in Opere de S. Cruce. Memorabile eſt illud, quod his verſibus decantat Guillermus Brito in ſua Philippide lib. 1. *Tom. 1. lib. 1. cap. 98.*

Terra

Terra Brienſis habet caſtellum nomine Braiam,
In qua Iudæos plures Comitiſſa Brienſis,
More ſuo nummos dantes ad fœnus, habebat:
Contigit vt fidei noſtræ confeſſor, agreſtis
Quidam, quamplures ſolidos deberet eiſdem.
Qui cùm non eſſet ſoluendo, contulit illis
Arbitrio Comitiſſa ſuo punire miſſellum:
Præcipuè quoniam Iudæis probra tuliſſet:
Christi membra ferox exponens hoſtibus eius
Feminea leuitate, Dei priuata timore.
Taliter expoſitum nudant, ſpinisq́ coronant,
Per vicos, per agros ſic ſpinea ſerta gerentem
Fuſtigant colaphis, feriunt, caduntq́ flagellis:
Denique tractatum malè tollunt in Cruce, cuius
Haſta latus, plantas claui, palmasq́ cruentant,
Vt Domini penè ſimilis ſit paſſio ſerui.
Quo Rex audito, nimia turbatus ab ira,
Et ſancto Christi zelo pia corda comeſtus
In propria veniens perſona, præpete curſu,
Quotquot apud Braiam Iudæos repperit, omnes
Igni ſuppoſito Domini pugil incinerauit
Nonaginta nouem: flamma ſic vindice, Christi
Dedecus vlciſcens, ignominiasq́ ſuorum.

Eadem ferè ſoluta oratione Rigordus de geſtis Philippi Regis: niſi quòd miſerum hunc furti & homicidij falsò accuſatum dicit: eoq́ue prætextu Iudæis ad ludificationem & tyrannicam necem expoſitum.

Scribit Arnoldus Lubecenſis lib.4. Chronici Sclauorum cap.15. Iudæis hanc eſſe conſuetudinem, *vt implentes menſuram patrum ſuorum, quouis anno ad contumeliam Saluatoris imaginem ceream crucifigãt. Quam dum,* quadam vice, *more ſuo contumeliis afficerent, & cætera, quæ in paſſione eius leguntur, flagellando, colaphizando, conſpuendo impleſſent, & clauis manus & pedes perforaſſent, tandem lancea latus eius perfoderunt, & continuò exiuit ſanguis & aqua.* Additq́ue Arnoldus; eum, qui vidit, teſtimonium perhibuiſſe; & hoc miraculo permotum, ad Chriſtianam religionem tranſiiſſe. Nec ſilendum hic, quod prodidit Hector Boëthius lib.15. Hiſt. Scotorum, vbi de Anglorum per Laudoniam graſſationibus agit. *Ferunt Anglum quendam, dum album ſacellum diriperetur, hominem nefarium orna-*

menta ſtatuæ Diuæ Virginis appenſa, vbi detraxiſſet, ouantem per templum, ac ſpolia oſtentantem, comminuto per crucem, quæ è ſublimiori in caput eius loco concidit, cerebro; pœnas à numine ſacrilegij pependiſſe. Acta hæc ſunt anno à ſalute noſtra, ſupra milleſimum, trecenteſimo quinquageſimo quinto. poſtridie. qui dies ſacer eſt celebrandæ D. Virginis matris Deiparæ Purificationi, &c.

Digreſſio de libris Carolinis, Pſeudoſynodo Pariſienſi, & aliis nonnullis.

Multa hucuſque dicta ſunt de Caluiniſta illo, qui nuper nobis ex ſuo capite pleraque procudit, *Imperialia Decreta de cultu imaginum in vtroque Imperio tam Orientis, quàm Occidentis promulgata:* qui Nouator, ipſos etiam libros *Pſeudocarolinos, ſynedrium Pariſienſe*, & quidquid huius generis eſt, ſibi tranſcribendum, & denuo in vulgus extrudendum cenſuit: imò, quod mireris, Synodum Francofordienſem contra imagines à nemine hactenus viſam, ipſe non modò vidit, ſed & publicauit; niſi hæc mentiatur inſcriptio grandiſsimis characteribus exarata. SYNODVS FRANCOFORDIENSIS CAROLO MAGNO PRÆSIDENTE, &c. ex Bibliotheca Petri Pithoei I. C. Vbi aliqua Caluiniana mendacia notes licet, primum eſt, *Carolum Magnum huic Synodo præſediſſe*; non enim Carolus, ſed Legati Apoſtolici præſederunt, vt vno ore teſtantur veteres Hiſtoriæ. II. Titulus integram Synodum ſpondet. Poſtquam ad rem ventum, duo quædam fruſtilla exhibet. III. Nec ſunt Synodi fruſtilla, ſed commenta inaniloquorum ſectariorum; vt
Lib. 2. cap. 5. fusè probatum eſt in tertia Apologia contra Miſenum. IV. Mentitur, *ſe ea promere ex Bibliotheca Pithoei, cum ea deſumpſerit ex præfatione illius Eli Phili*, quem iſte contendit eſſe *Ioannem Tilium*, Epiſcopum Meldenſem; V. Mendacium extra titulum in Scholiis. *Bellarminum lib. 2. de Eccleſia Triumphante agnoſcere & demonſtrare in libris Carolinis contineri Acta Synodi Francofordienſis:* Bellarminus addit verbum, *videntur*, quod à Caluiniſta minimè prætereundum erat. *Scripti videntur in Concilio Francofordienſi, & Acta continere Synodi Francofordienſis.* Cur omiſiſti illud VIDENTVR, ô Caluiniſta?

Cæterum in his libris non contineri Acta Concilij Francofordienſis demonſtratum eſt in tertia Apologia contra Miſenum; cum aliquot annis ante Francofordienſe Concilium fuerint conſcripti, vt loco citato oſtendimus: vt taceam, complura Concilio generali prorſus indigna in iis libris ineſſe, vt cum lib. 3. cap. 23. verboſè contenditur pictores multis in picturis aduerſari ſacris literis.

Nonne, inquit Auctor ille, *diuinis ſcripturis contraire noſcuntur, cùm abyſ-*

ſum figuram hominũ fingunt habere, & lympharum inuudationem affatim fundere? Nonne diuinis ſcripturis eos contraire haud dubium eſt, cum tellurem in figura humana modò aridam, ſterilemue, modò fructibus adfluentem depingunt? Nonne diuinis ſcripturis eos contraire manifeſtum eſt, cum flumineos amnes in figuris hominum, aut ſitulis aquas fundere, aut alios in alios confluere depingunt? Nonne, cum ſolem, & lunam, & cetera cœli ornamenta figuras hominum, & capita radiis ſuccincta habere fingunt, ſanctis Scripturis modis omnibus contraeunt? Nonne cum 12. ventis ſingulis ſingulas formas pro qualitate virium attribuunt; aut menſibus ſingulis pro qualitate temporum quid vnuſquiſque deferat, quibuſdam nudas, quibuſdam ſeminudas, quibuſdam etiam indutas diuerſis veſtibus figuras dant? Aut, dum quatuor tempora anni ſingula diuerſis figuris depingunt, aut floribus vernantem vt ver, aut æſtibus exuſtam, vel etiam ſegetibus, vt æſtatem, aut vindemiæ labris, vel botris oneratam vt autumnum; aut modò frigoribus algidam, modò ignibus ſe calefacientem, modò animãtibus pabula præbentem, modò nimiis frigoribus marcidas volucres capientem vt hyemem, ſcripturis diuinis, in quibus hæc ita minimè continentur, contraire noſcuntur? Hæc & plura huius ſortis Auctor ille, viro docto, nedum tanto Concilio, prorſus indigna; cum ipſimet Lutherani & Caluiniani quotidie, priuatim & publicè tales picturas fieri curent, magnoque ſtudio procurent ac comparent, vt plurima alia ſileam, in eo libro paſsim obuia, quæ ſine grandi ſtultitia Synodo Francofordienſi, tanquam Acta ſynodalia, adſcribi nequeunt.

VI. Mendacium Caluiniſtę; *hoc opus eſſe Caroli Magni*; nam ex alterius, vel etiam plurium officina proceſsiſſe, fidem facit Refutatio ab Hadriano Pontifice adornata, vbi, præter vltimum capitulum, Carolo nullum penitus attribuitur; neque vt opus Caroli; ſed vt alienum ab Hadriano refellitur. Nec refert, quod lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 3. Auctor Caroli Magni perſonam induit, & ſub eius velo ſua venum exponit: nam id ab Auctore ſeu Auctoribus libri Carolini factum eſt; vt operi maiorem auctoritatem conciliarent, ſi non litterator quiſpiam è triuio, vel etiam ex ſublimi ſubſellio; ſed tantus Imperator ex Regali throno hanc cauſſam agere videretur. Neque vllus veterum affirmat hos libros à Carolo eſſe conſcriptos.

Nam quod Pſeudoſynodus Pariſienſis in præfat. ad Ludouicum Imp. Caroli Magni filium dicit; *Carolum coram ſe ſuiſque perlegi feciſſe Synodum Nicænam ſecundam, & multis in locis reprehendiſſe, & quædam capitula, quæ reprehenſioni patebant, prænotaſſe, eaq; per Angelbertum Abbatem Hadriano Papæ direxiſſe*, id eiuſmodi non eſt, vt Hadriani Pontificis teſtimonio anteponi mereatur; disertè enim ſcribit, nullum, præter vltimum capitulum, à Carolo Magno manaſſe: Nec alienum quid à ſuo genio fecerunt iſti ſemiiconomachi, quando Carolum ſibi vendicare ſtuduerunt

runt, quia nulla erat expeditior ratio filij quoq; Ludouici ad ſua caſtra pertrahendi, quàm ſi aſſererent, in iiſdem prius Carolum Magnum militaſſe.

Ad illa Synedrij Pariſienſis verba: *Coram ſe ſuiſque perlegi feciſſet*, adiecit Goldaſtus hanc parentheſin *(in Concilio Francofordienſi)* quaſi Carolus Magnus nuſpiam, niſi in Concilio Francofordienſi, Synodi ſeptimæ lectionem audire potuerit Neque Pariſienſe conciliabulum vllam Francofordienſis Synodi mentionem facit: ſed ſolenne eſt hoc hæreticis, vt quod factum optant, factum fuiſſe dicant.

Neſcio autem an non ad falſi crimen referri queat, quod Goldaſtus libris, quos Carolinos vocant, hunc nouum titulum appingit. *Caroli Magni Regis Francorum & Longobardorum & patricij Romanorum, filij & Defenſoris ſanctæ Dei Eccleſiæ Capitulare de non adorandis imaginibus contra Conſtantini VII. Imp. Conſtantin p. & Hirenæ Matris decretum & Synodum Nicænam II. Pſeudoſeptimam Oecumenicam ſiue vniuerſalem compoſitum & publicatum in Concilio Francofordienſi & Hadriano Papæ miſſum anno Domini DCC.XCIV. editum ex Bibliotheca & ſtudio Ioannis Tilij Meldenſis Epiſcopi.* Vbi numera fraudes & impoſturas, quarum princeps mutatio & innouatio tituli ad arbitrium; nam primus editor *Eli.Phili.* hanc inſcriptionem præfixerat. *Opus inluſtriſſimi, & excellentiſſimi ſeu ſpectabilis viri, Caroli Magni, nutu Dei, Regis Francorum, Gallias, Germaniam, Italiamq. ſiue harum finitimas prouincias domino opitulante regentis, contra Synodum, quæ in partibus Græciæ, pro adorandis imaginibus ſtolidè, ſiue arroganter geſta eſt. Item: Paulini Aquileienſis Epiſcopi aduerſus Felicem Vrgelitanum. & Eliphandum Toletanum Epiſcopos libellus. quæ nunc pridem in lucem reſtituuntur. Anno ſalutis M.D.XLIX.*

Secunda fraus eſt, *opus hoc compoſitum fuiſſe in Concilio Francofordienſi.* Tertia, *in eodem promulgatum.* Quarta, *inde ad Hadrianum Papam miſſum.* Forſan non immeritò quintam fraudem nominaueris, quod dicit, opus hoc depromptum fuiſſe ex Bibliotheca Ioannis Tilij Epiſcopi Meldenſis, & ab eodem euulgatū. Nam editor vocat ſe *Eli Phili*, quem Hæreticum fuiſſe ipſa præfatio manifeſtè indicat; neque vllus Catholicus, tantum abeſt, vt Epiſcopus, tanta conuicia in orthodoxos, vnquam euomuiſſet, quanta in illa præfatione continentur. Caluiniſta tamen *Ioannis Tilij* nomen audacter præſcribit, & ex *Eli.Phili.Eliphilum*, quaſi *Theophilum* nobis procudit, cui fidem nunquam habiturus ſum, quoad locupletiores teſtes produxerit.

In procemio operis leguntur hæc verba: *Geſta præterea eſt fermè ante triennium & altera Synodus illis in partibus, &c.* hoc eſt, Synodus ſecunda Nicæna: *Falſus eſt iſte numerus*, clamat Caluiniſta: *cum hac Synodus Francofordienſis*

fordienſis Nicæna illa toto ſeptennio poſterior ſit. Vidit Caluiniſta, ſe commētum ſuum de compoſito, & publicato in Francofordienſi Synodo hoc opere ſtabilire non poſſe, niſi ad criſin ſuam confugiens, textum corrumperet, & ad mendaciloquentiam ſuam inflecteret. Sed hoc artificium etiam illis, quibus pituita moleſta eſt, & dum moleſta eſt, ſubolet; fœtidius enim eſt, quàm vt nares, adhuc modica olfaciendi virtute inſtructas, fallere poſsit. Omnia exemplaria *triennium* præferunt. Ex quo ineuitabiliter ſequitur, libros *Pſeudocarolinos* in Synodo Francofordienſi neq; compoſitos, neque publicatos: cum Synodus Nicæna celebrata fuerit anno DCC.LXXXVII. A qua vſq; ad annum DCC. XCIV. quo Concilium Francofordienſe habitum eſt, ſeptennium intercedit. Valeat igitur iſte cum emendatione, vel potius deprauatione ſua.

Vltimum capitulum lib.4. Pſeudocarolini operis admodum torquet Caluiniſtam. Clamat, *eſſe ſpurium, atque à Romanis adulatoribus confictum: deeſſe in editione Pariſienſi & Colonienſi: & inſuper in Capitulari Adriani Papæ apud Laurentium Surium.* At non deeſt in aliis editionibus, vt nouit ipſe Caluiniſta: & integriora deinceps exemplaria reperta ſunt, vt ſæpe fieri ſolet in omni litterarum genere, ex quibus defectus priorum editionum ſuppletus.

Acriter it Caluinianus in Seuerinum Binium, qui in Notis Refutationem operis Pſeudocarolini ab Hadriano factam, ſcribit, imperfectè à Surio eſſe editā; integram verò ex Gallia ad Gregorium XIII. fuiſſe miſſam. Caluiniſta ſcire vult; *quis Galliarum locus? Vbi terrarum? Quis eſt? Bibliotheca cuiatis? Is, qui miſit, vnde genus? Vbi gentium?* Nimis profectò anxiè: quæ ſi à ſuis Criticis exigeret, quoties integriorem vel pleniorem Codicem laudant & proferunt; face ſibi ac viatico ad hæc omnia expedienda, opus fore dicerent. Audi Caluiniſta, *Seuerinus Binius,* vir diligens & eruditus, etiam abſq; teſte, dignior eſt fide, quàm tu cum duobus tribuſue teſtibus tibi conſimilibus. Notum eſt plurima Eccleſiaſticæ vetuſtatis monumenta ad Gregorium XIII. Pontif. Max. fuiſſe miſſa cum recognitionem DECRETI GRATIANEI adornaret, inter quæ fuerunt, *Capitularium liber ſeptimus, & Capitularia adiecta*; miſſa à Iacobo Amioto Epiſcopo Antiſsiodorenſi ex Bibliotheca Eccleſiæ Belluacenſis, vt dicitur in Indice veterum monumentorum initio Decreti à Gregorio XIII. emendati. Quid vetat credere, inter hęc capitularia fuiſſe etiam capitulare hoc Adriani? Sed adſcribamus Capitulum, cuius aſpectus Caluiniano tam iniucundus accidit.

Sciat Domnus Apoſtolicus & pater noſter, & cuncta ſimul Romanorū Eccleſia, vt ſecundum quod continet in epiſtola beatiſſimi, Gregorij quā ad Serenum Maſſi-

lienſem Epiſcopum direxit; permittimus imagines Sanctorum, quicunque eas formare voluerint tam in Eccleſia, quàm extra Eccleſiam propter amorem Dei, & Sanctorum eius. Adorare verò eas, nequaquam cogimus, qui noluerint. Frangere vel deſtruere eas, etiam ſi quis voluerit, non permittimus. Et quia ſenſum ſanctiſſimi Gregorij ſequi in hac epiſtola, vniuerſalem Catholicam Eccleſiam Deo placitam, indubitanter liberè profitemur. Hoc Capitulum laudat Hadrianus Papa, illudque ſolum & vnicum Caroli Magni aſſerit. *Goldaſtus ab adulatoribus Papæ confictum ait,* ob illa verba: *Adorare verò eas nequaquam cogimus; qui noluerint; hoc enim ex diametro aduerſari totis iſtis quatuor libris, & epiſtola Gregorij ad Serenum.* Neſcio, num ſobrius fuerit Caluiniſta, quando hæc ſcripſit. Vbi enim in libris Carolinis iubetur vel docetur, vt ad imaginum *adorationem cogantur illi, qui noluerint?* Tantum abeſt, vt iubeantur cogi, vt potius vniuerſis imaginum adoratio & veneratio diſſuadeatur; iſque qui non adorat, bonum factum facere cenſeatur. Neque in epiſtola S. Gregorij docetur, eum qui imagines adorare nolit, ad adorationem cogendum eſſe: vt proinde hoc vltimum capitulum nihil in epiſtolam S. Gregorij committat.

Nec obſtant cultui imaginum illa verba S. Gregorij. *Et ſi quis imagines facere voluerit, minimè prohibe, adorare verò imagines omnimodis deuita:* quia nil aliud vult, quàm imagines non eſſe adorandas inſtar Dei, quo pacto Ethnici ſuas ſtatuas adorabant.

Sed vide ingenium Caluiniſtæ: Textum emendat, ſi peruertere eſt emendare; vt quod cupit, obtineat. *Adorare verò eos nequaquam conbibemus, qui voluerint.* Cor Critici. Ex, *cogimus*, facit *conbibemus*, hoc eſt, concedimus, permittimus, hanc enim notionem verbo *conbibēdi* ſubiectam eſſe, probat Caluiniſtica ex Lexico illo, quod *Catholicon* nominant, cuius cœnum iſte diligenter ruſpari ſolet. Ex *noluerint*, facit, *voluerint.* Rem factam vbique habebit Caluiniſta, & quidem abſque vllo negotio; ſi quiduis in quoduis per Alchimiſticam Criſin mutare, & textum eo vſque edolare liceat, donec ad perſuaſionem noſtram adaptetur.

Quàm verò libri Carolini varia ſingulis propè pagellis aduerſus Caluiniſtas complectantur, promptum eſſet oſtendere, niſi longius à propoſito abſcedere religio eſſet. Vel hæc de ſancta Cruce conſidera, quàm Caluinianis placitis ſint conſentanea. *Lib. 2. cap. 28.* I. *Hoc vexillo* (S. Crucis) *antiquus hoſtis victus eſt.* II. *His armis Diabolus expugnatus eſt.* III. *Per hanc* (Crucem) *inferni clauſtra deſtituta ſunt.* IV. *Per hanc humanum genus redemptum eſt.* V. *In Cruce pretium mundi pependit.* VI. *Crux Regis noſtri inſigne eſt, quod noſtri exercitus indeſinenter aſpiciunt legiones.* VII. *Crux eſt ſignum noſtri Imperatoris, quod ad prælium noſtræ ſequuntur cohortes.* VIII. *Dominicæ Crucis myſterium eſt vexillum, quod in campo duelli, vt fortius confligamus,*

ſequi

ſequi debemus. IX. *Crux eſt armatura, qua libertatem tueri valeamus.* X. *Munitio, qua infeſtantium hoſtium incurſus euitemus.* XI. *Caßis, qua Diabolici enſis impulſio quatitur.* XII. *Clypeus, qui ad reſiſtendum Diaboli mißilibus telis opponitur.* XIII. *Thorax, quo Diaboli ſpiculorum ſiue pilorum illiſio ignita fruſtratur.* XIV. Crux eſt munimen, *quo Diaboli flexuoſa fraudis Mæandros, & callida machinamenta deuincimus, ne vincere valeat tentatos, quos primi hominis tenuit ſuaſione captiuos.* XV. *Per Crucis lignum antiqui illius ſceleris facinus diluitur, quod in Protoplaſto per ligni eſum contractum eſt.* XVI. *In Crucis hamo criminum auctor captus eſt.* XVII. *Per Crucis myſterium ſuperba ſæculi & inflata ſapientia corruit.* XVIII. *Per Crucem patuit, quod ſtultum Dei eſt, quanto ſit hominibus ſapientius; & quod infirmum Dei eſt, quanto ſit fortius hominibus.*

Hæc & plura talia in laudem ſacroſanctæ Crucis liber Carolo Magno perperam adſcriptus: quæ Caluiniano palato gratiſsima indubiè acciduntſ vt & illud, *Crucem eſſe adorandam; imagines retinendas; non eſſe idola. Idolum & imaginem magno diſcrimine ſecerni: ſanctam, Romanam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam cæteris Eccleſiis eſſe prælatam, & pro cauſis fidei cum quæſtio ſurgit, omnino conſulendam. Nec alios ſcripturæ libros recipi debere, niſi quos ipſa recipit. Sicut cæteris diſcipulis Apoſtoli, ita cæteris ſedibus Apoſtolicas, & Apoſtolicis Romanam eminere Eccleſiam. Hanc nullis ſynodicis conſtitutis cæteris Eccleſiis prælatam eſſe, ſed ipſius Domini auctoritate primatum tenere, dicentis; Tu es Petrus, &c. Hanc ſanctæ fidei munitam armis, & à fonte lucis & origine bonitatis ſalutaribus ſatiatam fluentis, horrendis, atrocibusq́; hæreſum obſiſtere monſtris, & melliflua prædicationis pocula Catholicis per orbem miniſtrare Eccleſiis. ſanctos & eruditos viros per diuerſas mundi partes prædicationis & ſcientiæ lampade coruſcantes non ſolùm à ſancta Romana Eccleſia non receßiſſe, ſed etiam tempore neceßitatis ob fidei corroborationem ab ea adiutorium imploraſſe. Regulariter omnes Catholicas debere obſeruare Eccleſias, vt à Romana Eccleſia poſt Chriſtum ad muniendam fidem adiutorium petant, quæ (Romana Eccleſia) non habens maculam, nec rugam, & portentuoſa hæreſum capita calcat, & fidelium mentes in fide corroborat.* Hæc & plura alia, quæ de Romana Eccleſia lib. 1. cap. 6. & alibi aſſeruntur, valdè ſcilicet ad Caluinianum ſtomachum faciunt.

De Pſeudoſynodo Pariſienſi, quam ſuo quoque centoni Goldaſtus inſuit, mora mera fuerit aliquid dicere, poſt Illuſtriſsimos Bellarminum & Baronium. Illud obſeruetur, Caluiniſticis inſtitutis admodum concinnè conſonare encomia ſanctæ Crucis, quæ cap. 13. ex antiquorum monumentis copioſè recitantur, vt & illa, quæ Auctores illius Synodi cap. 14. ex proprio ſuo ſenſu de ſancta Cruce tradunt; quorum primum eſt iſtud: *Sanctam matrem Eccleſiam toto orbe terrarum inter cætera innumera Crucis ſacramenta, quæ à ſanctis Patribus multipliciter,*

longè lateꝗ́ enumerata ſunt, decreuiſſe licitum eſſe, vniuerſis Catholicis ob mortem ſolius paſſionis Chriſti, inclinando, ſi voluerint, venerari, & inſuper die ſancto, quo paſſio Domini in vniuerſo mundo ſpecialiter celebratur, cum omni deuotione vniuerſum ordinem ſacerdotalem, ſeu cunctum populum proſtratum adorare. Quod Caluiniſtæ proculdubiò deuotiſsimè quotannis die Paraſceues agunt.

II. *Eandem vniuerſalem Eccleſiam tam ſacris fontibus conſecrando, quamque etiam baptizandis vel baptizatis eodem ſigno ſanctæ Crucis conſignando vel benedicendo vti decreuiſſe, omnibusꝗ́ fidei Catholicæ cultoribus frontes & pectora ſua poſt abrenunciationem Satanæ pompis, & operibus eius certiſsima fide contra omnes inſidias Diaboli munire decuiſſe, gladioꝗ́ inexpugnabili dextras cunctorum fidelium armare ſtuduiſſe.*

III. *Vtraque* (hoc eſt, corpus & ſanguinem Chriſti) *in ſacris Miſſarum ſolennijs, ex quo conſecrari cœperint, vſque in finem penè ſine intermiſsione, Crucis ſignaculo benedici, nec eſſe quenquam tam ſapientem vel inſipientem, qui vllo modo hanc conſecrationem aliter ſe poſſe perficere Deo placitè præſumat, niſi hoc ſemper eiuſdem ſanctæ Crucis ſignaculo conſecrare ſtudeat.*

IV. *Nihil in his omnibus, quæ ad ſalutem ſiue in hoc ſæculo, ſiue in futuro pertinere poſſint, ſine Crucis ſignaculo incipere, actitari, vel conſummari.*

Bellarminus in Refutatione Pſeudoſynodi Pariſienſis cap. 4. dicit, Patres illos non ſatis ſibi conſtare, cum docent, *Crucem adorari debere, non autem imaginem Crucifixi.* Reſpondet Iunius in Notis ad hoc caput. *Hanc Bellarmini reprehenſionem eſſe partim iuſtam, partim iniuſtam. Iuſtam eſſe, quòd reprehendit errorem de adoratione Crucis vel ligni Crucis.* (vbi verò reprehendit Bellarminus *Crucis adorationem, tanquam errorem?* Monſtra, ſodes, locum. At nunquam poteris, ſat ſcio: quia non reprehendit adorationem Crucis; abſit, abſit hoc à quouis Catholico pectore; ſed reprehendit, quod iſti cruces adorandas affirmarent; imagines verò Crucifixi & aliorum cælitum nullo honore dignandas docerent. Connexum hoc reprehendit Bellarminus, quia inconnexum eſt, & malè coagmentatum) *Iniuſta reprehenſio eſt, quod Crucem & imaginem Crucis confundit: nam crux lignea vbicunque eſt, Crux eſt, non autem imago Crucis.* (Quid monſtri audio? An Crux, quæ eo conſilio fit, vt primam Chriſti Crucē, & ipſum Crucifixum nobis repræſentet, non eſt imago? Quæſo te, quid eſt imago? Nonne id, quod ad alterius ſimilitudinem & repræſentationem fit ac inſtituitur?) *& toto genere differt ab imagine;* (& hæc tua ignorantia toto prædicamento differt à veritate) *cum illa propriè ſit atque dicatur Crux, imago tantum dicatur æquiuocè,* (pulcberrimè & acutiſsimè. *Eſt crux propriè; ergo non eſt imago propriè:* quaſi ratio Crucis & imaginis ſimul in vna eademque ſede morari nequeant.)

Hoc autem ſibi volebant Patres (conciliabuli Pariſienſis) *Crucem Chriſti adorari, non qua Crux eſt abſolutè, ſed qua Crux Chriſti.* (Quis vnquam Catholicorum dixit aut ſcripſit, Crucem Chriſti *abſolutè adorari*, qua Crux eſt, non qua Crux Chriſti? An non omnes, etiam furum & latronum cruces, adorari deberent, ſi Crux Chriſti adoraretur præcisè, qua Crux eſt?) *Cruces verò alias materiatas eodem argumento in veneratione eſſe, quia propriè ſunt cruces dictæ vniuocè & congeneres cum Cruce Chriſti.* (imò velis, nolis, quia ſunt imagines primæ Crucis, in qua Chriſtus obiit, & per conſequens, ipſius etiam Crucifixi.) *Imagines verò & ſigna non ſunt Cruces, nec dicuntur Cruces, niſi æquiuocè.* (imò, niſi ineptè; nam omnis Crux eſt imago; licet non omnis imago, Crux. Quis enim vnquam imaginem Angeli, Apoſtoli vel Deiparæ nominauit Crucem? Quis non rideretur, ſi Crucis nomine talem imaginem afficeret?) *iniquum ergo eſt, vt pari honore & religione cenſeatur imago cum Cruce.* (imò iniquum eſt garrire, nec tamen quid garrias, attendere; Et adhuc iniquius ſomnia ſua aliis affricare, prout tu Pariſienſis ſcripti collectoribus delirium tuum affricas; qui Crucem quamlibet, ſiue ſit prima, quam Redemptor noſter ſanguine & morte ſua conſecrauit, ſiue primæ effigies: diſertiſsimè adorandam & colendam dicunt; non præcisè quatenus Crux eſt, ſed qua Crux Chriſti, ſiue reipſa, vt fuit prima illa Crux; ſiue repræſentatione, vt ſunt aliæ cruces primæ crucis ectypa & icones. Illud ænigmati aſsimile eſt: *Lignum & ſignum Crucis adhibuerunt priſci ad cultum; ſed non coluerunt.* Illud verò ἄτοπον, *Biblia & ſacra vaſa eſſe colenda; ſed cultu humano*, id eſt, *non ſacro, non religioſo*; quaſi Biblia & vaſa ſacra, non ſint res ſacræ & religioſæ; ſed vulgares & profanæ.

Notetur autem ſiue fraus, ſiue inſcitia Caluiniſtæ Goldaſti, qui inter teſtimonia pro Pſeudoſynodo Pariſienſi adfert etiam iſtud:

Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus contra Hincmarum Laudunenſem Epiſcopum.

Auctoritate itaq; huius Synodi, (Francofordienſis videlicet) *nonnihil repreſſa eſt imaginum veneratio; ſed tamen Hadrianus, & alij Pontifices, in ſua opinione perſeuerarunt, & mortuo Carolo, ſuarum pupparum cultum vehementius promouerunt, adeò vt Ludouicus Caroli filius, libro longè acriori inſectatus ſit imaginum cultum, quàm Carolus.* Profert, inquam, hoc teſtimonium velo & fuco Hincmari velatum & fucatum; cum non ſit ab Hincmaro, ſed ab Illyrico in Catalogo *Teſtium veritatis*, vt in tertia Apologia contra Miſenum oſtendi, & res clara fiet legenti Illyricum.

Ludouicus Pius Imperat. excerpenda curauerat ex libro Claudij Taurinenſis contra Theodemirum Abbatem capitula quædam, eaque ad refutationem Ionæ Aurelianenſi tranſmiſerat. Caluiniſta noſter grandi titulo excerpta iſta *Ludouico* adſcribit; vt apud imperitos plus ponderis & auctoritatis habeant: & *ſe ea ex Ionæ libro collegiſſe* ait; cum iam pridem ab Illyrico in Catalogo collecta fuerint; vnde ea Goldaſtus tranſcripſit; neque aliud ſunt, quàm deſipientis Claudij deliramenta à Iona validiſsimè diſcuſſa & profligata. Vt & à Dungalo lib. contra eundem Claudium, cuius libro excerpta iſta integra præfiguntur; ad quorum calcē indicatur, quantus fuerit liber Claudij aduerſus Theodemirum Abbatem his verbis. *Liber, de quo iſta excerpſimus, tantæ magnitudinis eſt, quantum liber Pſalmorum, & quinquaginta Pſalmi plus.* Cum autem Caluiniſta hæc excerpta Claudiana Ludouico Imperatori adſcribit, perinde facit, ac ſi articulos à Leone X. Pontif. Max. & ab Academiis Pariſienſi & Louanienſi ex Lutheri operibus excerptos, adſcriberet Leoni X. aut Academiis Pariſienſi vel Louanienſi; cum eos non excerpſerint, quòd probarent, vel eo fine, vt probarent, ſed vt condemnarent. Quæ itidem mens Ludouico Imperatori fuit in enotandis Claudij Taurinenſis erroribus. Quapropter ea ad Ionam refutanda miſit. Et hic terminus eſto primæ partis huius horti; in qua omnia decreta Imperialia à Caluiniano Goldaſto coaceruata, excuſsimus, & qua fide lectoribus appoſita fuerint, dilucidè oſtendimus.

SECVNDA PARS

DE HORTO S. CRVCIS.

CRVX SCHIRENSIS.

Notationibus illuſtrata.

LECTO-

LECTORI.

EST SCHIRA nobile & antiquum Bauariæ Monaſterium in colle amœno ſitum, non procul ab Oppido, quod Pfaffenhoffen indigitatur; de quo, vide Hundium in Metropoli.

In eo aſſeruatur & religiosè colitur Crux ex ligno Dominicæ Crucis confecta; cuius hoc loco ectypon coloribus adumbratum tibi exhibuiſſemus, ſi quæ eam ad rem neceſſaria erant, in promptu fuiſſent. Sed imaginis abſentiam compenſet ſtylus. Eſt ergò Crux Schirenſis quaſi ſpithamæ vnius, longitudine: latitudine, duorum eſt granorum: (quorum quatuor faciunt vnciam, ſeu digitum.) Diuiditur verò, cùm ſuprà; tum nonnihil infra medium, tranſuerſis portionibus, quatuor quidem vnciarum circa eiuſdem vmbilicum; duarum, circa verticem. Colore autem eſt ſpadiceo, ſeu caſtaneo. Porrò extrema ipſa ſena, forma ſemilunari facta & effigiata cernuntur.

PRIMVM DIPLOMA.

NVTV diuinæ pietatis F. ſanctæ Chriſti Domini noſtri Reſurrectionis Eccleſiæ Patriarcha, & A. Eccleſiæ ſancti ſepulchri Prior, cum vniuerſo Canonicorum conuentu Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus tam laicis, quàm clericis, quacunq; dignitate ſublimatis, diuitibus, ac pauperibus, quicunq; has literas legent, vel lectas audierint, ſalutem in Chriſto, & ante glorioſum Domini ſepulchrum ſanctarum ſuffragia Orationum.

Quoniam multi fidelium, fratres chariſſimi, per diuerſas mundi regiones ſacroſancta loca paſſionis, ac reſurrectionis Dominicæ toto cordis affectu deſiderant, ac voto ſe obligant viſitare; ſed infirmitate, vel pondere paupertatis, ſiue quibuſlibet aliis impedimentis oppreſſi, minimè peruenire poſſunt; cum communi fratrum conſilio, aliqua ſpe conſolationis eis ſubuenire decreuimus. Collectis itaque ſacroſanctorum locorum Reliquiis, videlicet de Natiuitate, ac præſepio Domini in Bethleem; de loco vbi oblatus

eſt in templo Domini, de loco Gethſemani vbi captus eſt, de loco Paßionis Montis Caluariæ, de glorioſo Domini ſepulchro, de loco Aſcenſionis in Monte Oliueti, de lecto beatæ M A R I A E *Matris Domini in Monte Sion, & de ipſius ſepulchro in valle Ioſaphat, hanc crucem conſtruximus: & ſuper hac de* ſacra cruce, ſanguine Chriſti dedicata, *partē addidimus, & ad veſtram conſolationem per* C O N R A D V M *Canonicum, & filium noſtrum latorem, & cuſtodem huius ſanctæ Crucis: eius etiam monitu & rogatu, ad vos eam dirigimus.*

Quocirca vniuerſitati veſtræ in Domino conſulimus, vt, quicunque deſiderio compunctus, vel voto obligatus Dominicum ſepulchrum viſitandi, ſed infirmitate, vel paupertate, aliisq́ quam pluribus incommodis, vt ſupra dictum eſt, impeditus, tam longum, tamq́ periculoſum iter nullo modo perficere poßit; ſuper hanc Crucem ſanctam, ſacroſanctis ſanctuariis ſanctificatam, D E O *ſacrificium laudis ſecundum modulum ſuæ facultatis, domum, terram, vel quamlibet poſſeßionem* D E O, *& ſuo glorioſo Sepulchro delegationem faciat, & altißimo vota ſua perſoluat, & ex parte* D E I, *& noſtra voto abſolutus abſcedat, & tantum mercedis accipiet, quàm ſi ſuper ipſum Dominicum ſepulchrum delegaſſet.*

Fortio-

Fortiores verò, & in hoc beatiores, quod promiſerunt, quia poſſunt, perſoluant: vt, ſecundum ſuum laborem, propriam mercedem accipiant. Nos quoque quantam retributionem Orationum, eleemoſynarum, omniumq́ beneficiorum, quæ in Eccleſia ſancti ſepulchri, & ad eam pertinentibus, fiunt, à DEO *habere ſperamus, omnibus hanc Crucem ſanctam venerantibus, & ſuper ipſam Dominico ſepulchro adiutorium conferentibus, ex parte* DEI *concedimus, & conceſſam in Domino confirmamus.*

Sigilli plumbei forma:

Partis anticæ:

✠ *SIGILLVM CANONICORVM.*

Partis poſticæ: *Fabrica Dominici ſepulchri expreſſa eſt. hanc hac ambit inſcriptio.* ✠ *SANCTISSIMI SEPVLCHRI, ſubaudiendum videtur*; Eccleſia, *vel*, effigies.

POSTERIVS
DIPLOMA.

E. DEI gratia ſanctæ Reſurrectionis Eccleſiæ Patriarcha, & P. eiuſdem Prior cum toto capitulo CONRADO DEI gratia de Dachauu nobiliſſimo Duci, dilecto in Chriſto filio, & amico ſalutē, & Patriarchalem benedictionem.

Reminiſcimur cùm in præſentia noſtra eſſetis, ſtrenuitatem veſtram preces fudiſſe pro quadā cruce, quam quidam de notitia veſtra, temporibus patris veſtri à quodam fratre noſtro vi abſtulerunt. Quod iterum præſenti ſcripto ad memoriam vobis reducentes, hoc ipſum vobis in remiſſionem peccatorum veſtrorum iniungimus, exorantes, vt ad recuperandam iam dictam crucem, cauſa DEI, & ob reuerentiam Dominici ſepulchri ſtudium adhibeatis, & recuperata, Eccleſiam in honore eiuſdem, ſicut polliciti eſtis, fabricari faciatis. Poſſeſſiones etiam noſtras, quæ nobis ablatæ ſunt, vnde eſtis aduocatus, vice noſtra requirentes, per prudentiam veſtram eaſdem recuperaſſe veſtra gratia ſentiamus, vt æternam in felicitate ſuperna à Domino IESV Chriſto remunerationem, & beneficiorum, & orationū Eccleſiæ Dominici ſepulchri participationem, ex

ex piæ ſolicitudinis veſtræ efficacia in hac parte noſcamini promeruiſſe.

Plumbei ſigilli forma.

Prior. Chriſtus reſurgens dextra trahens è limbo patres: ſiniſtra Crucem eiuſmodi præferẽs: inſcriptio talis eſt græca Η ΑΝΑΣΤΑΣΙΣ.

A tergo ✠ *ERACLIVS SCE RESVRRECTIONIS ECCLESIAE PATRIARCHA.*

HÆC SVNT DIPLOMATA SCHIRENSIA, DE QVIBVS ITIDEM AVENTINVS IN ANNALIBVS SCHIRENſibus anno Chriſti M. C. LVI.

CONRADVS iſte Dux Dalmatiæ, Comeſq; Dachuni ſalutiferæ Crucis, ſacroſanctique ligni magnam partem ab Heraclito Patriarcha Hieroſolymitano impetrauit. Hoc quo- «
que omine, quicunque preſſus inopia, valetudinéue aduerſa Solymos «
proficiſci nequiuerit, non minorem veniam, quàm ſi illuc iuiſſet, con- «
ſequitur: ſiquidem donaria pro ſua pietate elargitus fuerit. Hoc ſacro- «
ſanctum munus Conradus Dux Cœnobio Schirenſi tradidit. Vbi adhuc ſeruatur, ac magna reuerentia celebratur: conuenit huc certatim ſingularum ſeptimanarum ſexto quoq; die populus, ac ſacerdotes complures, vti conſpeximus.

Fama conſtantiſſima manat (ſicuti ego quoque à grauibus viris accepi) quicunque hanc ſacroſanctæ Crucis partem, dum ei monſtratur, conſpicatus non fuerit, aut crimini flagitioſo obnoxium eſſe, aut eodem anno proculdubio moriturũ. Id quod mea memoria euentu probatum ſæpius eſſe audiui. Admodum fabrè, magnificeq́; hac ſacra argento, auróque indulſit Reuerendus Pater Dominus Ioannes Tarbeit Monaſterij Schirenſis mea ætate Abbas, ſingularis prudentiæ, atque diligentiæ homo. Exſtant adhuc, ac diligenter, & adhuc integra ſeruantur, & obſignata duo diplomata Friderici, & Heracliti Patriarcharum, cum Græcarum literarum inſcriptione, ex quibus pleraq; excerpſimus.

Idem in Annalibus iiſdem.

VII. *Anno Chriſti M. C. XXXV. Vlricus Tertius vir religioſus, ac prudens, adminiſtrauit rem ſapienter XXV. annis. Mitram, Sandalia, ab Alexandro IV. impetrauit, & à Conrado Duce Dalmatiæ, Comite Dachuni, ſalutiferæ Crucis bonam partem conſecutus eſt.*

QVÆ-

QVAESTIVNCVLAE CIRCA DIPLOMATA SCHIRENSIA.

I. Quis Patriarcha ille primi diplomatis Auctor.

AVENTINVS per *F. Fridericum* Patriarcham Hieroſolymitanum intelligit. Sed quis tum (imò toto tempore, quo poſt annum milleſimum Hieroſolyma in Chriſtianorum poteſtate fuit) *Fridericus* Patriarcha Hieroſolymis? Ego, inquit ampliſsimus *Dn. Marcus Velſerus* IIVir Auguſtanus, Fulcherum aut Fulcherium interpreter, quem Baronius anno M. C. XLVI. iniiſſe, M. C. LX. obiiſſe ſcripſit. Et cũ Conradus de Dachauu, cuius operâ Crucem ad Schirenſes perueniſſe volunt, anno M. C. LVIII. mortuus fuerit, certè Fulcherij Patriarchatus tempus illi egregiè conuenit. Annum autem M. D. LVIII. mortis Conradi, neglectis aliorum ſententiis, Arenpekij auctoritate conſtituo, cum præſertim Mediolanenſe bellum in hunc annum inciderit. Arenpekij verba lib. 5. cap. 5. hæc ſunt.

Conradus filius Conradi Comitis de Dachauu, propter magnæ virtutis exercitium, meruit Croatiæ, & Dalmatiæ Ducatum. Qui & temporibus Friderici Imperatoris, in expeditione, quam idem Imperator contra Mediolanenſes fecit, apud Bergomum viuendi finem fecit, anno Chriſti M. C. LVIII. eiusq́; corpus in terram ſuam deportatum, in monaſterio Schirenſi ſepultum eſt. Cuius liberalitas, & in multis probata periculis animi magnitudo, meruit, vt ſubtractus ex hac luce, memoria illius longo tempore apud poſteros non deleatur. Huius filius nomine Conradus, optimæ virtutis iuuenis, ſine hærede deceſſit, & idem apud Scheiren in ſepulchro Patris, atavi, & proaui, ſepultus eſt. Poſtea caſtrum Dachauu, & omnia ſibi attinentia, Otto Dux Bauariæ decem marcis auri, & octingentis talentis à Domina Vdalhilde vidua defuncti, comparauit. Quod verò Arenpekius de poſtremo Conrado ait, *optimæ virtutis iuuenis*, indicio eſt, eum pubertatis annos egreſſum, ne quem Auentini verba, ſtarb ohne leibs Erben alſo jung / aut Hundij in genealogiis, noch vnnogtbar / aliò trahant. Sanè annum M. C. LXXX. attigiſſe nihil vetat, ſed, ante exitum M. C. LXXXIII. obiiſſe oportet. Otto enim Dux, cui mater poſt filij obitum Dachauu vendidit, hoc ipſo deceſsit.

II. Num

II. Num ad prædictum Conradum de Dachauu, Crux, cuius in diplomate primo fit mentio, miſſa fuerit.

Reſpondet idem nobilis & ampliſsimus Dominus Marcus Velſerus. Etſi Fulcherij Patriarchæ, & Conradi Ducis patris tempora conſentiant, ego in diplomate veſtigium nullum reperio, quod indicio ſit, Crucem ad Conradum miſſam eſſe. Quin diplomatis verba in hanc potius ſententiam interpretor, Patriarcham Crucem eo conſilio in Europam miſiſſe, per Conradum Canonicum Hieroſolymitanum, *quem cuſtodem huius ſanctæ Crucis appellat*, vt is eam venerādam proponeret, & *quicunq; deſiderio compunctus, vel voto obligatus*, viſitandi ſepulcri Dominici, eò peruenire non poſſet, *ſuper hanc Crucem ſanctam ſacroſanctis ſanctuariū ſanctificatam, Deo ſacrificium laudis, ſecundum modulum ſuæ facultatis, domum, terram, vel quamcunque poſſeſsionem, Deo, & ſuo glorioſo ſepulchro delegationem*, faciat. Voto nimirum ea ratione ſolutus, & tantum mercedis accepturus, *quàm ſi ſuper ipſum Dominicum ſepulcrum delegaſſet*. Ita Velſerus: & per ſe ex diplomatis contextu liquet; Crucem illam cum litteris Patriarchalibus vniuerſim ad omnes Europæos deſtinatam fuiſſe.

III. Quis Canonico Hieroſolymitano Crucem hanc abſtulerit? Reſpondet Dominus Velſerus. *Canonico Hieroſolymitano* Crucem vi ablatam eſſe (puto Fulcherij diploma vnà) ex altero Eraclij diplomate conſtat. Quod ad Conradum filium Conradi ſuperioris, Conradi nepotem, Arnulphi pronepotem, qui fuit Dachauienſis ſtirpis vltimus, pertinere, dubitationem non habet.

Obſcurioris coniecturæ eſt, quis pium furtum (ſic enim plerique hæc talia interpretantur, & multa in Sanctorum corporibus exempla proferri poſsint) commiſerit. Nolim temerarius videri; ſed, vehementer de Conrado patre ſuſpicor. Non eſt de nihilo fama vetus, quę Conradum patrem monaſterio Crucem tribuiſſe aſſerit: neque item de nihilo, quod Eraclius ſcribit ad filium: *quam quidam de notitia veſtra, temporibus patrū veſtri, à quodam fratre noſtro vi abſtulerunt*. Mihi planè fit veriſimile, iuſſu Conradi patris ablatam, & Schirenſibus traditam, occultatam fuiſſe, donec Patriarchæ conſenſus exprimeretur; ne, ſi de ea conſtaret, reddi neceſſe eſſet.

IV. Vtrum crux Schirenſis, quæ hodie monſtratur, ſit illa, quæ in primo diplomate deſcribitur.

Reſpondeo, videri diuerſam: nam in Cruce miſſa ad Europæos à Fulcherio Patriarcha, continebantur variæ Reliquię de variis locis; Chriſti & Deiparæ tactu, vſu & miraculorum patratione conſecratis vt diſertè in Diplomate perſcriptum: at nihil horum hodie apparet

In Cruce Schirenſi, quia ex ſolo ſanctæ Crucis ligno confecta eſt eo ſchemate, quod ſuprà deſcripſimus: ſine vllo aliarum Reliquiarum additamento.

Ego, re diligenter conſiderata, in eam ſententiam venio, Crucem Schirenſem ex ligno Dominicæ Crucis compactam, eſſe duntaxat partem Crucis illius, quæ à Fulcherio, per Conradum Canonicum, in Europam, ſubſidij pro ſancto ſepulchro colligendi gratia, fuerat miſſa; quia in ea inerat cum cæteris Reliquiis pars *de ſacra Cruce, ſanguine Chriſti dedicata*, vt loquitur diploma; hanc partem Crucis Patriarchalis exiſtimo eſſe Crucem illam, quæ hac ætate in Monaſterio Schirenſi aſſeruatur; quocunque longinquitate temporis, Crux ipſa Reliquiis referta, & Conrado Canonico Hieroſolymitano ablata deuenerit. Nimirum longinqua vetuſtas non modò res profanas, ſed & ſacras immutare & permutare conſueuit.

Scripſeram hæc ex coniectura, & poſtea cum ampliſsimo Domino *Marco Velſero* communicaueram; qui in hæc verba reſcripſit. *Crucem Schirenſem remitto. in qua non poſſum non probare coniecturam tuam Mihi veriſimile ſit, hanc duplicem Crucem mediam inſertam fuiſſe Cruci Hieroſolymitanæ, additis circum cæteris ſacrorum locorum Reliquiis, cuiuſmodi hodie quoque Cruces adornari ſolent.*

V. Qua auctoritate Patriarcha Hieroſolymitanus abſoluit à voto peregrinationis Hieroſolymitanæ illos, qui hanc Crucem piè venerarentur, & ſtipe ſua ſepulchro Dominico ſubuenirent; cum votum hoc ſit ſummo Pontifici reſeruatum. Reſpondeo, aut illo æuo non fuiſſe reſeruatum, vt iam eſt, aut Patriarcham, id quod fecit, feciſſe, conceſſu ſedis Apoſtolicæ: neque enim rem tanti momenti Patriarcha tentaſſet, ſi poteſtatis ſuæ terminos exceſsiſſet.

Notæ in primum Diploma.

Nutu diuinæ pietatis F.] Iam dixi, Fulcherum ſeu Fulcherium deſignari. De quo hæc Tyrius lib. 14. cap. 11. *Subſtitutus eſt* (in ſedem Archiepiſcopalem Tyrenſem) *D. Fulcherus, bonæ memoriæ. Aquitanicus, vir religioſus, ac timens Deum, modicè literatus, ſed conſtans, & amator diſciplinæ. Hic apud ſuos Abbas extiterat Canonicorum regularium, in monaſterio, cui Cella nomen; ſed poſtmodum tempore prædicti ſchiſmatis, quod inter Dn. Innocentium Papam, & Petrum Petri Leonis filium exortum eſt, fauens prædicto Petro Gerardus Engoliſmenſis Epiſcopus Apoſtolicæ ſedis legatus, alij parti præſtantes aſſenſum, moleſtiis quàm plurimis fatigabat. Quod vir vitæ venerabilis non ferens, ſumpta licentia à fratribus, orationis gratia Hieroſolymam venit: tandemq; in clauſtro Eccleſiæ Dominici ſepulchri regularem vitam, & aſsiduitatem profeſſus, ad Eccleſiam Tyren-*

Tyrenſem vocatus eſt. Rexit autem eandem Eccleſiam ſtrenuè, & feliciter, annis duodecim, quartus ante nos, qui nunc eidem Eccleſiæ non electione meriti, ſed ſola Domini dignatione, & patientia præſidemus. Patriarchatum iniit, vt ſuprà dictum, anno M. C. X LV I. obiit M. C. L I X.

Sanctæ Chriſti Domini noſtri Reſurrectionis Eccleſiæ] De hoc Templo, vide, quæ dicta Tomo 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 65. Eius formam accuratè deſcribit Tyrius lib. 8. cap. 3. Quem lege.

Et A. Eccleſiæ ſancti ſepulchri Prior] Eſt is Amalricus Fulcheri in Patriarchatu ſucceſſor, de quo Tyrius lib. 18. cap. 20. *Per idem tempus cum Hieroſolymitana, mortuo D. Fulchero, bonæ memoriæ, vacaret Eccleſia, contigit Eccleſiarum prælatos Hieroſolymam conuocari. Electus eſt D. Amalricus, Eccleſiæ Dominici ſepulchri Prior, &c.* De quo idem Tyrius lib. 19. cap. 1.

Vocatur Prior, quia Canonici cathedralis Templi Hieroſolymitani *Regularem* & monaſticam vitam profitebantur, ſub vno ſuperiore, quem *Priorem ſancti ſepulchri* nominabant. Chronicum Hieroſolymitanum à Reineccio euulgatum. lib. 6. cap. 40. *Placuit ſummo principi Ieruſalem, Duci Godefrido, nec non & cæteris omnibus, vt in Templo Dominici ſepulcri viginti fratres in Chriſto diuini cultores officij conſtituerentur; qui aſſiduis horis Domino Deo viuenti in laudibus & hymnis pſallerent, hoſtiam corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti deuotè immolarent; deinde quotidianam ſuſtentationem de oblatione fidelium conſtitutam ſuſciperent.*

Vide etiam Tyrium lib. 9. cap. 9. qui de Fulchero lib. 14. cap. 11. *Orationis gratia Hieroſolymam venit, tandemq́; in clauſtro Eccleſiæ Dominici ſepulchri regularem vitam & aſſiduitatem profeſſus, ad Eccleſiam Tyrenſem vocatus eſt.* Fulchero deinceps anno Redemptoris M. C. X LV I. ad Patriarchatum Hieroſolymitanum euecto, *Tyriæ Metropoli ſubſtitutus eſt, &c. Dominus Petrus Dominici ſepulchri Prior,* inquit Tyrius lib. 16. cap. 17. Etſi autem Eccleſia *Anaſtaſeos* & *Dominici ſepulchri* vna eademq́ue erat, abſolutè loquendo, vt patet ex Tyrio lib. 8. cap 3. *Prior* tamen Canonicorum non dicebatur *Prior* Eccleſiæ *Reſurrectionis* ſeu *Anaſtaſeos*, quia appellatio ab hac Eccleſia Patriarchæ propria erat; ſed, *Dominici ſepulchri*; cuius ſacellum pars erat Templi, quod *Anaſtaſis* ſeu *Reſurrectio* vocabatur. Quanquam hoc diſcrimen non fuiſſe obſeruatum ſemper, pro teſtimonio eſt diploma alterum, in quo iſta: *E. Dei gratia ſanctæ Reſurrectionis Patriarcha, & P. eiuſdem Prior, &c.*

Obſeruandum eſt autem, Chronicum Hieroſolymitanum, quod Reinerus Reineccius ſine Auctoris nomine publicauit; ſcriptum eſſe ab *Alberto*, Canonico Aquenſi: peruenit enim ad me Louanio Chronici illius exemplar manu exaratum, ſtudio & opera *P. Heriberti Roſweidi* ex Societate noſtra; cuius inſcriptio ita habet. *Incipit Hiſtoria Ieroſolymi-*

ſolymitanæ expeditionis edita ab Alberto Canonico & Cuſtode Aquenſis Eccleſiæ, ſuper Paßagio Godefridi de Bullione & aliorum principum. Aſſertus igitur ſit ſuo legitimo & genuino patri hic partus, qui ad hunc vſque diem per orbem pupillus diſcurrit.

Ante glorioſ. Domini Sepulchrum Sanct. ſuffragia Orationum] loco ſalutis offerunt preces coram ſepulchro Dominico fundendas; etſi enim preces bonæ ſunt ac ſanctæ, ſanctis tamen locis peractæ, non immerito maius momentum habere cenſentur. Quę autem loca ſanctiora, quàm illa, quæ à Redemptore noſtro tacta & conſecrata ſunt, inter quæ ſepulchrum Domini valde eminet, quod Chriſti amatoribus tanto fuit in pretio & exiſtimatione, vt etiam cum hoſtibus manus conſerturi clamarent; vt eſt apud Rogerum in Annalibus Anglicanis: *Adiuuet nos Chriſtus Dei filius, & ſanctum ſepulchrum eius. Locus quidem quo corpus Chriſti poſitum eſt,* inquit S. Chryſoſtomus lib. Quod Chriſtus ſit Deus: *breuis erat & valde anguſtus; anguſtior tamen & venerabilior mille Regum palatijs. imò etiam Regibus ipſis. Et erit requies eius honor: non in ipſo tantùm, ſed & in diſcipulis ſuis hoc contigit. Nam qui ducebantur & circumducebantur, qui contempti erant, & vincti, qui innumera patiebantur, dum viuebant; vbi defuncti ſunt, regibus ipſis erant magis venerabiles; & Romæ, quæ Vrbium eſt regaliſsima, relictis omnibus, ad ſepulchra piſcatoris, & pellionis currunt & Reges, & præſides, & milites. Et in Conſtantinopoli Reges noſtri magnam gratiam putant, non, ſi propè Apoſtolos, ſed, ſi vel extra eorum veſtibula, corpora ſua ſepeliantur, fiantque piſcatorum oſtiarij Reges. Neque hinc in morte confunduntur, ſed honeſtantur & ipſi, & eorum nepotes; & pronepotes.*

Neque toleranda eſt, quorundam improbitas, qui vel negant, vel in dubium vocant, vtrum hodie primum illud & verum ſepulchrum Domini ſuperſit. Das H. Grab/ inquit Salomon Schweigger Lutheranus Prædicans in ſuo Hodœporico lib. 3. cap. 32. bedunckt mich aber kein erdicht Heilthumb/ ſondern in warheit das Grab Chriſti ſein/ in Anſehung/ das daſſelbig ohne Schrecken / vnnd ohn Entſetzen von niemand / es ſeyen Chriſten/ oder Türcken/ mag geſehen werden. Dann als ichs geſehen/ gieng ich nit der Geſtalt hinein/ als hielt ichs für das Grab Chriſti/ ſondern wie alle andere Heilthumb mir verdechtig waren / als wann es nur erdichte Heilthumb weren / oder Geltnetz / alſo auch diß. Als ich aber hinein kam in das Gewelb / kam mich / vnnd auch die Herren auß der Geſellſchafft ein ſolche Forcht/ vnd Schrecken an/ das vns alle Härlin gen Berg ſtunden/ vnd vns bedunckt/ wir ſchwebten zwiſchen Himmel vnd Erden/ ja als weren wir von der Erden verzuckt/ es erwecket auch ein ſolche hertzliche Andacht/ vnd Eifer in vns/ gegen Chriſto zum Gebett/ vnd Chriſtlicher Danckſagung/ das vber alle maſſen iſt.

Non videtur mihi Dominicum ſepulchrum commentitiis Reliquiis annumerandum: ſed eſſe verum,& genuinum Chriſti ſepulchrum, cum à nullo, ſiue Chriſtiano, ſiue Turca, ſine religioſo horrore, admiratione, & obſtupefactione videri queat: cum enim ingreſſus fuiſſem cum ea perſuaſione; quaſi id verum ſepulchrum Chriſti non eſſet; inſtar cæterarum Reliquiarum ſuſpectum illud habens, quaſi fabula vel nil aliud, quàm naſſa pecunias expiſcandi foret; poſtquam tamen intra ſpeluncam fui, tantus me, vt & ſocios meos, (Lutheranos) *timor & pauor occupauit, vt omnibus comæ ſtarent, ita vt inter cœlum & terram volitare, & à terra abſtracti nobis videremur. Tantum inſuper pietatis ſenſum & ardorem erga Chriſtum & ad preces concipiendas gratiasq; perſoluendas excitauit, vt nullis verbis explicari poſsit.*

Hæc de ſe & ſodalibus ſuis Lutheranis Lutheranus iſte Prædicans: cuius ferreum pectus, ſi conſpectu Dominici ſepulchri adeò emollitum eſt, quid in eorum animis euenire cenſebimus, qui vera fide inſtructi & gratia diuina præditi cum ſalutari malè commiſſorum deteſtatione ſacratiſsimum hoc penetrale ſubeunt: cuius videndi, ſubeundi, & colendi cauſſa tot millia ſingulis ætatibus per mare, per terras, & per innumera pericula properarunt: & tamen ſi Lutherum audimus, ad rem, quæ Deo non magis eſt curæ, quàm *vacca Heluetica*, tantis impenſis ac laboribus properarunt.

Audi quid veſanus Apoſtata in libro *de abroganda Miſſa priuata* latret; neque enim dicere poſſum; ſcribat: *Celebris eſt in terris iſtis, me puero, ſæpe cantata Prophetia: Eſſe redimendum ſepulcrum Dominicum per Fridericum Imperatorem. Et vt mos eſt prophetiarum, quæ pro obſcuritate antè implentur, quàm intelliguntur: tum longè in aliud ſpectant, quàm vulgo ſonant: videtur mihi iſta in hoc Friderico noſtro impleta. Quod enim ſepulcrum Domini rectius intelligas, quam diuinam ſcripturam? In qua veritas Chriſti per Papiſtas occiſa, ſepulta iacuit? cuſtodientibus militibus, id eſt, Mendicantium Ordinibus, & prauitatis hæreticæ inquiſitoribus, ne diſcipulorum quiſquam eam raperet. Nam ſepulcrum illud corporale, quod Saraceni tenent, non magis eſt curæ Deo, quam boues illi eſſe curæ, Paulus dicit. Negari autem non poteſt, apud vos ſub Friderico iſto, ſcripturæ viuam veritatem refloruiſſe. Quid ſi ego glorier, me vel angelum, vel Magdalenam fuiſſe?*

Hic obſerua; Interpretem Latinum ex Germanico ſermone, quo Lutherus in hoc libro vſus, pudore abſterritum, infidè verba Lutheri vertiſſe: quæ ſunt iſta: Dann nach dem Grab/da der HERR in gelegen hat/ welches die Saracenen jnne haben / fragt Gott gleich ſo vil/ als nach allen Küen von Schweitz. *Quia ſepulcrum, in quo Dominus iacuit; & quod Saraceni occupant, tantum curat Deus, quantum vniuerſas vaccas in Heluetia.* Hîc Interpres, fideliſsimus ſcilicet, omiſsis *vaccis Helueticis*, ad boues, de quibus S. Paulus, tranſilit, vt blaſphemiam ſui patris nonnihil hoc quaſi velo operiat.

Sed

Sed ecce, quam anxiè Lutherus quinto ſuo Euangelio prædictiones & vaticinationes conquirit; quas aliquando ab Huſſo, *Anſere*, mutuatur: Hic ex *vulgi* ſermonibus de *ſepulchro Dominico* hoſtibus eripiendo; cui *ſcriptura* eſt ſepulchrum; in hac veritas *per Papiſtas occiſa, ſepulta iacuit*. Scilicet, vt Chriſtus Lazarū ex ſepulchro viuum eduxit, voce illa; *Lazare veni foras*; ita Lutherus ex ſepulchro ſcripturarum viuam eduxit veritatem, carmine illo cum valida vociferatione vſus: *Veritas, veni foras*. Sed quomodo Veritas ſcripturæ occidi potuit, cum *veritas Domini maneat in æternum*, Pſalmiſta teſte? Aut quomodo ſcriptura ſacra manſit ſcriptura ſacra, hoc eſt, *Verbum Dei*, ſine veritate? Magna *Lutheri* potentia, qui intermortuam veritatem Dei reuocare ad vitam potuit; eadem prorſus felicitate, qua olim Arius, Eunomius, Neſtorius, Eutyches, & id genus alij veritatem occiſam & ſepultam excitarunt: Et talis prorſus Lutherus Angelus vel Magdalena ad hoc ſepulchrum fuit; qualis Arius, Eunomius, Neſtorius, Eutyches, & ſimiles. Quis non rideat hunc Iſlebicum Angelum? Quis non hanc fanaticam Magdalenam?

Non tamen prorſus diſplicet hoc Lutheri ſomnium. Nam ſi ipſe veritatem in ſcripturis ſepultam inde, velut ex ſepulchro, euocauit & excitauit, & vita denuo donauit; non eſt ergo veritas amplius in ſcriptura; quia mortuus ad vitam reſuſcitatus non manet in ſepulchro, ſed illud deſerit, prout Chriſtus itidem ſepulchrum, in quo iacuerat, deſeruit. Deſeruit igitur & veritas ſepulchrum ſuum, ſcripturam; in quo occiſa & ſepulta iacuit. Ex quo ſequitur, Lutherum Lutheranis ſuis ſcripturam ſine veritate tradidiſſe, quod non diffiteor, & in hoc ſenſu facilè patior, vt vulgaris ille de ſepulchro Chriſti rumor, ad Lutherum figuratè transferatur. Inane ſepulchrum ſcripturę habent. Veritas abiit & auolauit; non reditura, niſi ij quos Lutherus decepit, in viam veritatis redeant.

Porrò, ſi Dominicum ſepulchrum nō magis eſt curæ Deo, quàm *vacca in Heluetia*, vt Lutherus blaſphemat, quî fit, quòd Deus tot per ſepulchrum Dominicum miracula, omnibus ſæculis, poſt Chriſtum paſſum, edidit; non autem per *vaccas Heluetícas*? Quî fit, vt etiam ipſi Prædicantes, ad omnē pietatis ſenſum aliâs plumbei, ingreſſu in hoc auguſtiſsimum monumentum toti propemodum liqueſiant, & cum Petro in Monte Thabor exclament: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe*. An idem Prædicantibus contingit, quando *vaccas Heluetícas* vident? Si ſepulchrum Dominicum à Deo non magis curatur, nec pluris penditur, quam *vacca Heluetica*, quî fit, quod ab Imperatoribus & Regibus ſemper ſummo in honore habitum, & regiis ornamentis iam ante

mille trecentos, & amplius annos, exornatum fuit? Cuius rei oculatum teſtem habemus S. Cyrillum Hieroſolymitanum in Catecheſi XIV. vbi iſta legimus. *Quamuis nunc regalibus donis ornatus ſit hic locus, hortus tamen antea fuit, &c.*

Et vnde reſurget Saluator? Dicit in Canticis Canticorum: Surge propera amica mea: & in ſequentibus: In foraminibus Petræ. foramen Petræ dicit id, quod tunc ante oſtium Saluatoris monumenti erat foramen, ex eadem petra, ſicut hîc ſolet eſſe ante monumenta exciſum. Nunc enim non apparet: quoniam eraſum eſt veſtibulum propter præſentem ornatum. Nam ante regalem hunc ornatum & apparatum ſepulchri veſtibulum erat ante petram.

Qui nunc ſunt reges, pietatis ergo argento induentes & auro, ſanctam hanc Eccleſiam Reſurrectionis Saluatoris, in qua nunc ſumus, extruxerunt, & argenteis monimentis ſplendidam effecerunt.

Sancta huius Eccleſiæ hæc domus: quæ voluntate Chriſti ſtudioſa à beatæ memoriæ Conſtantino Imperatore ædificata, & vt cernis, ornata eſt.

Cæterum, hîc prætermittere nequeo, quo minus commemorem, quod in animum meum credere non inducerem, niſi Prædicans Lutheranus ipſe de ſe & ſociis ſuis Lutheranis id publicè in literas retuliſſet. Nam cum pro more ad Confeſsionem & communionem à Guardiano, cuius in cura Dominicum ſepulchrum eſt, inuitarentur, varia diuerticula quæſierunt, vt hunc Catholicæ religionis cultum declinarent; ſed cum nihil eorum, quæ commenti fuerant, proceſſurum videretur; quidam ex comitatu illo ſeu ſodalitio Lutherano hoc conſilium dedit: Daß ſie/ erdichter Weiß fürgeben/wie jhnen diſe Reiß gehn Jeruſalem von jhren Beichtvättern / jhrer ſchweren begangnen Mißhandlungen halb/zur Buß wer aufferlegt worden/ möchten auch deß heiligen Abendmals/vnd der Abſolution nicht ehe theilhafftig werden / dañ nach volbrachter jhrer Pilgerſchafft. Demnach wer jhm rhat / wir brechten bey dem Guardian diſen Schein für/wie wir nemblichen eines vnuerſehnen vnnd vnuorſetzlichen Todtſchlags halben/ an einem vnſerer Freund begangen/weren vberwiſen worden/darumb vns von den Vorſtehern vnſerer Kirchen zur Buß aufferlegt/Jeruſalem vnd den Berg Sinai zubeſuchen / biß zu Außtrag der Sachen.

Salamon Schweiggerlib. Hodæpor. cap. 27.

Vt ficta fabula, prætenderent, quòd ipſis hæc Hieroſolymitana peregrinatio à ſuis confeſſariis, ob grauia crimina, pœnitentiæ loco iniuncta fuerit: & quòd nec communionis ſanctæ, nec abſolutionis prius eſſe poßint participes, quàm peractâ hac peregrinatione. Proinde, hoc ſe dare conſilij, vt apud Guardianum hanc cauſam prætenderemus; quo nimirum pacto ob cædem, licet improuiſam & inuoluntariam, in amicum quendam noſtrum admiſſam, eſſemus conuicti: quam obrem ab Eccleſiæ noſtræ præſidibus pœnitentiæ cauſa iniunctum nobis ſit, Hieroſolymam, &

ad montem Sina peregrinandi; dum controuerſia cadis ad exitum deduceretur. Hæc Prædicans.

Quæ ſententia valuit,& omnibus placuit. Vbi quid primum mirer,neſcio. Num ſtultitiam, ſi crediderunt ſibi talia dicentibus abſq; vllo legitimo teſtimonio, fidem habitum iri. An impiam hypocriſin,cum ſimularunt id factum, quod nunquam factum fuerat, nihil veriti,ſacroſanctæ Religionis titulum prætexere. An mendaciloquẽtiam,& quidem non vnam,ſed multiplicem; quæ tam varia, vt propemodum ſingulis verbis ſua reſpondeant mendacia. An Prædicantis effrontem ſtupiditatem, qui non erubuerit hæc ſibi & ſociis ſuis tam probroſa & ignominioſa literis mandare ? An impudentiam, quos non puduerit homicidarum de ſe opinionem,quantum in ipſis erat,concitare. Quot in vno crimine inſunt crimina? Quot fraudes, quot technæ; quantum duplicitatis? Quam nihil ſimplicitatis? Quã nihil candoris? Quam pio cordis affectu iſtos loca ſacra obiiſſe, & ſepulchrum Dominicum intraſſe arbitrabimur, iſtos, inquam, qui per tot nefarias pſeudologias aditum ad ſacratiſsimum Redemptoris noſtri monumentum ſibi aperuerunt.

Quam diſsimiles Nouatores iſti cum aliis qui Hieroſolymitanam peregrinationem ſuſceperunt, tum illis, de quibus Humbertus lib.contra Græcos,de more Hieroſolymitanæ Eccleſiæ diſputans. *Si quid ex ſancta & venerabili Eucharistia in Hieroſolymitanis Eccleſiis ſuperfuerit, nec incendunt,nec in foueam mittunt,ſed in pixidem mundam recondunt, & ſequenti die communicant ex eo populum, quia quotidie communicant ibi, eò quòd conueniunt illuc ex diuerſis prouinciis Christiani, qui propter fidem & maximum amorem filij Dei communicari ibidem deſiderant, quia & locus ipſe venerabilior, & ſanctior eſt omnibus locis in omni terra.& ibi eſt ſepulchrum ſanctum & honorabile Domini noſtri* IESV *Christi,& ſanctus Caluariæ locus.*

Collectis itaq; ſacroſanctorũ locorũ Reliquiis) quanto in honore loca,q̃ in diplomate enumerantur apud Chriſtianos ſemper fuerint, & quanti etiam exiguũ terræ ſanctæ lapillum & puluiſculũ non modò Orthodoxi,ſed & Donatiſtæ,aliique à Catholica Eccleſia alieni fecerint,oſtenſum eſt Tom.1.de S.Cruce lib.1.cap.81.& 77. S. Auguſtinus Epiſt.170. de Donatiſtis,quo cultu particulas terræ ſanctæ coluerint. *Pars Donati in ſolis Afris calumniatur orbi terrarum ; & non conſiderat,ea ſterilitate,qua fructus pacis & charitatis noluit afferre, ab illa radice Eccleſiarum ſe eſſe præciſam, vnde Euangelium in Africam venit* : Vnde terra ſi eis afferatur, adorant ; *fideles autem ſi inde veniat,exſufflant, & rebaptizant etiam.*

Præcipua autem religione à peregrinis dicta loca obeuntur & honorantur. Paula & Euſtochium Epiſt. ad Marcellum & eſt inter Epiſto-

Epiſtolas S. Hieronymi X V I I: *Ergóne erit illa dies, quando nobis liceat ſpeluncam Saluatoris intrare? In ſepulchro Domini flere cum ſorore, flere cum matre? Crucis deinde lambere lignum,* &c. *Samariam pergere, & Ioannis Baptiſtæ, Heliſæi quoq; & Abdiæ pariter cineres adorare?* S. Hieronymus lib. 3. contra Ruffinum cap. 7. *Bethlehem meam reuerſus ſum, vbi adoraui præſepe, & incunabula Saluatoris.*

Quin & abſentes, aliquando mente & cogitatione ſanctiſsima iſthæc loca obibant, luſtrabant, & venerabantur, quando coram negabatur. Illuſtre huius rei exemplum ſuppeditat nobis Theodorus Studita in Epiſt. ad Patriarcham Hieroſolymitanum apud Baronium Tom. 9. Annalium Anno Redemptoris D C C C. X V I I.

Primum quidem, inquit Theodorus, *eius* (Patriarchæ) *pedes, ſecundum Deum ambulantes, amplector; hinc enim mihi benedictio, & ſanctificatio. deinde, tanquam ab eo iuſſus, ad ſancta loca proficiſcor, aduenero ſacrum ſolum, quod diuina veſtigia calcarunt; viuificum monumentum, in quo ſanctiſſimum Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti corpus depoſitum fuit, ſacrum Caluariæ locum, vbi Dominus gloriæ crucifixus. Alio pergo: ſanctam Bethlehem, quaſi Eden conſpicio, diuinum adoro præſepe ſupra vrnam auream, in qua non manna, ſed panis vitæ conditus eſt. Video etiam ſacrum montem, in quo diuiniſſima transfiguratio; Oliuarum montem, vnde ad cælos omnium Dominus euolauit: ſacram Gethſemanem, vbi ſepulchrum omni honore colendæ Deiparæ Dominæ noſtræ. Hoc, atq; illud, ne longam texam orationem. O quanta vel ex ipſa commemoratione manat ſatisfactio?*

Rogat etiam Petrus Abbas Cluniacenſis lib. 4. Epiſt. 47. Patriarcham Hieroſolymitanum, vt cum ſacra *natiuitatis, ſepulturæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis loca viſitat,* Cluniacenſem conuentum, *ſpiritali affectu ſecum ducere,* & pro illis *piiſſimo Saluatori ſupplicare* dignetur; de quo plura dixi in Refutatione Tractatus de peregrinationibus Petri Molinei.

Et quidem olim omnia hæc loca in tutela & cuſtodia Chriſtianorum veræ & Catholicæ fidei addictorum erant. Vnde etiam orthodoxi contra Hæreticos argumentum pro Catholicæ Religionis veritate petebant. Scribit S. Anaſtaſius Sinaita paulò ante ſua tempora Alexandriæ diſputaſſe quendam ſermone quidém imperitum, ſed in Chriſto ſapientem, cum iis, qui ſequebantur hęreticos, Seuerum, Gaianum, & Barſanuphium. rogauit enim hic illos; ſi quis Rex haberet *ταμιεῖα, καὶ οἴκους τιμίους*, vbi myſteria ipſius neceſſaria tractarentur; cui nam crederet, fideli, an infideli? reſpondent illi; fideli. Ille vérò continuò: ergò non eſt alia fides recta, præterquam in Eccleſia Catholica. Idcirco enim credidit nobis Deus omnia loca ſancta; in quibus ipſe, cum in terris eſſet, myſteria ſua peregit; nempe Nazareth, Thabor,

bor,

bor, Bethlehem, Iordanem, Sion, Golgotha, Anaſtaſeos locum, imò Sina montem, cæteraque loca noui & veteris Teſtamenti tenemus, qui ſumus ex noua, atque Catholica Eccleſia. Neque verò dicere poſſunt aduerſarij, vi, & tyrannide à nobis ea loca teneri, cum ſint Barbari Domini eius regionis. Quod ſi dicant, ante paucos annos occupaſſe illa loca Arrianos. At illi profectò διὰ χειρὸς βασιλικῆς, & tyrannicè occuparunt loca ſancta, neque tamen retinere valuerunt. Statim enim nobis fidelibus reſtituit Deus. Iam ſunt ſeptingenti anni. Quibus auditis, continuò hæretici abierunt pudore affecti. Hæc ex Anaſtaſio citat & recitat Turrianus in quibuſdam collectaneis contra Iudæos, quæ manuſcripta habeo.

In Quæſtionibus ad Antiochum inter Opera S. Athanaſij Quæſtio XLIV. eiuſmodi eſt. Ποίῳ δὲ τρόπῳ πείσομεν τὸν ἰδιώτην, καὶ βάρβαρον, ὅτι ὑπὲρ πάσας τὰς αἱρέσεις, ἡ καθολικὴ ἐκκλησία τὴν ὀρθὴν πίστιν ἔχει, καὶ οὐ σφάλλεται; Quo pacto perſuadebimus imperito & barbaro, Catholicam Eccleſiam ſectari veram fidem, & erroris expertem eſſe, non autem alias ſectas?

Reſponſio eſt. Οἱ μὴ δυνάμενοι γραφῶν τι, καὶ δογμάτων ἀκρίβειαν, καὶ βάθος ἀκοῦσαι, ἐκ τοῦδε τὸ μόνον, καὶ οἱ εὐσεβεῖς τῆς καθολικῆς χριστοῦ ἐκκλησίας πιστωθῆναι ὀφείλουσιν. λέγω δὴ, τοὺς πάντας τοὺς σωτηρίους, καὶ τιμίους τῶν χριστοῦ παθημάτων τόπους, τῇ καθολικῇ, καὶ ὀρθοδόξῳ ἡμῶν πίστει, καὶ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ θεοῦ δωρηθῆναι, καὶ πιστευθῆναι. λέγω δὲ τὴν ναζαρὲθ, ἔνθα χριστὸς ἐν ἡμῖν ἐσκήνωσεν, τὴν Βηθλεὲμ, ἔνθα κατὰ σάρκα ἐτέχθη. τὴν σιὼν, ἔνθα τὴν σωτηρίαν τῷ κόσμῳ εἰργάσατο. τὸν Ἰορδάνην, ἔνθα τὸν ἀδὰμ ἀνεκαίνισεν. τὸ θαβὼρ, ἔνθα τὴν τῶν οὐρανῶν Βασιλείαν προετύπωσεν. τὸ τῶν ἐλαιῶν ὄρος, ἔνθα πρὸς τὸν πατέρα ἐν οὐρανοῖς ἀφ᾽ ἡμῶν ἀνελήλυθεν. ὥσπερ ἅπαντας τοὺς αὐτοῦ ἁγίους, καὶ σεβασμίους τόπους, οὐκ εἰκῇ, οὐδὲ μάτην τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἐπεπίστευσεν. ἀλλ᾽ ὡς εὐσεβεστέρᾳ δηλονότι, καὶ τιμιωτέρᾳ, πάντων δὴ τῶν ἁγίων παρὰ χριστιανοῖς ὀνομαζομένων πίστεων, καὶ ἐκκλησιῶν.

Καὶ ὥσπερ Βασιλεὺς τοὺς τιμίους αὐτοῦ τοῦ παλατίου κοιτῶνας, καὶ θησαυροὺς τοῖς πιστοτέροις πάντων τῶν ὑπουργῶν αὐτοῦ ἐγχειρίζεται, καὶ πιστεύει. οὕτω καὶ ὁ χριστὸς ἀπαρχὴν τῆς παρουσίας αὐτοῦ τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ τοὺς σεβασμίους αὐτοῦ τόπους πεπίστευκεν. εἰ δὲ λέγει ὁ δι᾽ ἐναντίας, ὅτι Βασιλικῇ τυραννίδι τούτους κατέχομεν, μανθανέτω ὁ τοιοῦτος, ὅτι περ καὶ βάρβαροι πολλάκις τὴν παλαιστίνην παραλαβόντων, οὐ συνεχώρησε χριστὸς τοὺς ἑαυτοῦ τόπους καὶ αἱρετικοῖς παραδοθῆναι. ἀλλὰ, κἂν πρὸς βραχὺ τοῦτο ἐπεχείρησαν, συντόμως πάλιν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία τούτους ἀπεδίωξεν, ὡς χείρους, τῶν ἁγίων χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν αὐλῶν καὶ τόπων.

Qui ſubtilitatem & profunditatem ſcripturarum aſſequi nequeunt, hinc argumenta capiant oportet de vnitate & pietate Catholicæ Chriſti Eccleſiæ: quia omnia ſalutifera & veneranda paſſionũ Chriſti loca Catholicæ & orthodoxæ noſtræ fidei à Deo donata & commiſſa ſunt: Nazaretbum, inquam, vbi Chriſtus in

nobis habitauit. Bethlehem, vbi Chriſtus ſecundum carnem natus eſt. Sion, vbi ſalutem mundi operatus eſt. Iordanem, vbi Adamum reparauit. Thabor, vbi regnum cælorum præformauit. Montem oliuarum, ex quo à nobis ad patrem cæleſtem aſcendit: vt proinde omnia ſua ſancta & venerabilia loca nequaquam temerè Catholicæ Eccleſiæ crediderit, ſed nimirum vt ſanctiori & venerabiliori præ omnibus quæ fidei vel Eccleſiæ nomen apud Chriſtianos obtinent.

Et quemadmodum Rex eximia palatij ſui cubicula & theſauros illis, qui omnium fideliſſimi ſunt, ex miniſtrorum numero committit; ita & Chriſtus ab exordio aduentus ſui Catholicæ Eccleſiæ veneranda ſua loca concredidit. Si obiiciat aduerſarius, nos loca iſta poteſtate regia tenere; nouerit talis, quod cum Barbari ſæpe Palæſtinam occupaſſent; non tamen permiſiſſe Deum, vt ſua loca Hæreticis traderentur; ſed quamuis ea interdum exiguo tempore occupaſſent, è veſtigio tamen iterum, tanquam porci, à ſanctis Chriſti Dei noſtri ſtationibus & locis per Catholicam Eccleſiam depulſi ſunt. Hæc auctor Quæſtionum ad Antiochum. Quæ, vt olim aduerſus Hæreticos valuerint; hodie tamen tantum virium nō habent; quia, vt ex variorum Hodœporicis conſtat, quædā loca ſacra bodie in eorum tutela ſunt, qui extra Catholicæ Eccleſiæ ouile oberrant; quales Græci, Armeni, Suriani, Coptitæ, Abaſsyni & alij, quibus Hieroſolymis certa quædam ex ſacris locis attributa ſunt, ſingulari tamen Dei nutu ac diſpoſitione contigit, vt *ſepulchrum Saluatoris noſtri*, & *locus Natiuitatis* in Catholicorum cuſtodia permanerent, non modò AEgyptis *Mamalucis* rerum potientibus, ſed & nunc ſub immaniſsimo truculentiſsimorum Turcarum imperio. Chriſtiani tamen orthodoxi hæc loca, in quorumcunque tandem cura & procuratione verſentur, piè & reuerenter adire non deſinunt, ex Europa & aliunde quotannis turmatim aduolantes, contemptis omnibus periculis, quæ terra marique plurima imminent.

Quin & heterodoxi, quos ſchiſma ab vnitate Eccleſiæ ſegregat, ex intima AEthiopia Hieroſolymam aduolant. Dauid AEthiopiæ Imperator in Epiſtola ad Pontificem Romanum: *Ego in magna habeo veneratione ſanctum templum in Hieruſalem; ad quod ſæpiſſimè mitto oblationes debitas, per noſtros peregrinantes. Et multò plures, & pinguiores mitterem, niſi itinera à Mauris, & infidelibus obſiderentur. Nam præter illud, quòd dona noſtra, & theſauros nuncijs eripiunt, etiam eos liberè pertranſire non ſinunt. Quod ſi paterent itinera, in familiaritatem, & commercium Romanæ Eccleſiæ deuenirem, vti fit à cæteris Chriſtianis regibus, quibus in religione Chriſtiana non ſum inferior.*

Apud Damia. Goës. lib. de Aethiop. moribus.

Cap. 117. Franciſcus Aluaretz in Itinerario ſuo AEthiopico. *Ingentia dona & tapetes pretioſos miſit Pretioſus Ioannes Hieroſolymam, vt totos muros Eccleſiæ*
Cap. 118. *ſancti ſepulchri tegerent.* Idem Aluaretz cum ſociis Luſitanis vidit quadam

dam vice CCC. XXXVI. Aethiopas Hieroſolymam euntes; & in his *Monachos, Maniales, Sacerdotes.*

Commemorabilis eſt Hiſtoria, quam M. Paulus Venetus narrat de Aethiope quodã Abaſsino Hieroſolymitanum iter ingreſſo. *Anno à Chriſto nato M.CC. LXXVII. Rex vnus, & qui principalior erat in regnis Abaſiæ, deuotione motus, voluit Hieroſolymam viſitare, atq; ſepulchrum Domini. Et cum id conſiliariis atq; aulicis ſuis indicaſſet, illi omnino diſſuadent propoſitum arripere iter, ſcientes plurima in itinere eſſe diſcrimina, præſertim cum illi per multas Sarracenorum terras ambulandum eſſet; ſed vt Epiſcopum aliquem ſui loco mitteret, conſulunt, qui adeundo terram ſanctam munus perferret in Hieruſalem. Acquieſcit Rex ſano conſilio, mittitq; Epiſcopum cum regia oblatione. Veniens autem Epiſcopus in regionem Aden, quam Sarraceni inhabitabant, & Chriſtianos implacabili perſequebantur odio, comprehenſus à Sarracenis, ad Regem Aden ducitur. Rex verò cum ex eo didiciſſet, quod nuncius eſſet Regis Abaſiæ, miſſus ad terram ſanctam, minis nititur cogere hominem, vt abnegato Chriſti nomine, Mahumeti ſuſcipiat legem. Epiſcopus verò conſtanti animo in Chriſti perſeuerans fide, reſpondet, ſe potius mortem ſubiturum, quàm deſerto Chriſto, Mahumeto nomen dare. Tunc Sultanus ille iubet Epiſcopum in iniuriam Chriſti, & deſpectum regis Abaſiæ circumcidi, & circumciſum iterum mittit ad regem Abaſiæ.*

Quo cognito, Rex Abaſiæ, volens Chriſti vlciſci iniuriam, coacto in vnum magno exercitu cũ peditibus, equitibus & elephantis caſtella geſtantibus, mouet expeditionem contra regem Aden. At Sultanus conuocatis aliis duobus regibus, cum valido exercitu properat in occurſum Regis Abaſiæ; commiſſoq; prælio, plurimi de exercitu Aden interficiuntur, & euadit Rex Abaſiæ victor Et intrans cum exercitu ſuo in interiora regni Aden, cœpit deuaſtare regionem, & occidere Sarracenos, qui conglobati illi reſiſtere conabantur, ſed incaſſum: manſitq; per integrum menſem in regno illo, & illatis plurimis damnis, victor cum magno honore domum rediit, gaudens impij Sultani vltam perfidiam. Hæc ille.

Cæterum quidam ex Monachis Aethiopibus perpetuò Hieroſolymis degunt; quibus etiam id priuilegij tributum eſt, vt penes ipſos ſit electio Patriarchæ, qui toti Aethiopiæ præeſt. Ita enim Legatus Regis Aethiopici apud Damianum Goëſium lib. de moribus Aethiopum. *Sciendum ſolenni ritu Patriarcham noſtrum ab Hieroſolymitanis Monachis noſtris, qui ibi apud ſepulchrum Domini habitant, ſuffragiis creari, idq; hoc modo: Vita defuncto Patriarcha, ſtatim Imperator noſter Precioſus Ioannes nuncium aliquem expeditum mittit Hieroſolymam, ad Monachos ibidem agentes, vt dictum eſt; qui, nuncio accepto, ac muneribus, quæ Imperator Dominus noſter ad ſanctum ſepulchrum dono mittit, continuo alium Patriarcham ſuffragiis plurium eligunt, ſed fas non eſt alium, quàm Alexandrinum eligere, ac moribus incorruptum.*

In Itinerario Aethiopico cap.102. deſcribit Franciſcus Aluaretz colloquium legati Luſitani cum Patriarcha Aethiopiæ: ſumma eſt: *Pretioſo Ioanni nil magis in votis eſſe, quàm vt, iunctis cum alijs Chriſtianis armis, Mauros exterminent, Mecham deſtruant, & Hieroſolymam, totamq; ſanctam terram recuperent; & in eorum libris prædictum fuiſſe, fore tempus, quo Franci* (ſic vocant omnes occidentales) *cum Abaßinis ſocientur, & Mauros expellant.*

Ex his elucet pietas huius populi in loca Chriſti Domini contactu & miraculis nobilitata; quæ certè multò ardentior eſt, quam ſectariorum huius temporis, de quorum grege vnus, iſque non infimus, quippe Prædicans, Salomon Svveiggerus in ſuo Itinerario totum fructum peregrinationis Hieroſolymitanæ in eo poſitum ſcri-

Lib.3.cap.31. bit, *vt quis Biblia eò melius intelligat; & ardentius erga verbum Dei efficiatur. Reliquias monſtrari ſolitas ſe ſuſque deque habere* palam fatetur, excepto Dominico ſepulchro, cui aliquid honoris & reuerentiæ tribuendum cenſet. Jch für mein Perſon / inquit ille Prædicans, hab alle dergleichen Heilthumb anders nicht geſehen/ſein mir auch weniger zu Hertzen gangen/ als das ringſte Ding. Jch kan auch weniger dauon ſagen / als wenn ich nie were daſelbſt geweſen/außgenommen das heilig Grab. *Ego, quoad meam perſonam, non vidi aliter* (quam brutum) *ſimiles reliquias, nec magis curæ cordiq; habui, quam vel tenuiſſimam reculam: Et minus de illis dicere poſſum, quam ſi ea loca nunquam vidiſſem, excepto Dominico ſepulchro.* Quo apertè ſignificat iſte Præco, ſe ſacra illa lipſana non inſpexiſſe, vt animal *rationale*, ſed vt *irrationale.* In qua autem ſpecie hoc animal *irrationale* quærendum ſit, nemo melius quam ipſemet nos docere poterit.

Longè aliter de inſpectione & luſtratione ſacrorum in Palæſtina locorum ſenſerunt & ſcripſerunt cùm alij, tum S. Leo Pontifex Maximus in Epiſtola ad Iuuenalem Epiſcopum Hieroſolymitanum his

S. Leo Epiſt. 72. ad Iuuenalem Epiſc. Hier. ſol. verbis. *Quamuis nulli ſacerdotum liceat neſcire, quod prædicet; quoniam, qui ignorat, ignorabitur. inexcuſabilior tamen eſt omnibus imperitis quilibet Hieroſolymis habitans Chriſtianus, qui ad cognoſcendam virtutem Euan-*

1. Cor. 14. *gelij non ſolùm paginarum eloquiis, ſed ipſorum locorum teſtimoniis eruditur. Et quod alibi non licet credi, ibi non poteſt non videri. Quid laborat intellectus, vbi eſt magiſter aſpectus? Et cur lecta, vel audita ſunt dubia, vbi ſe, & viſui, & tactui tot humana ſalutis ingerunt Sacramenta? Quaſi ad ſingulos quoſque cunctan-*

Luc. 24. *tes Dominus adhuc voce corporea vtatur, & dicat?* Quid turbati eſtis, & quare cogitationes aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas, & pedes meos: quia ipſe ego ſum. Palpate, & videte; quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet ſicut me videtis habere.

Vtere

*Vtere ergo, frater charißime, inuictißimũ Catholicæ fidei documentũ, & Euan-
geliſtarum prædicationem ſanctorum locorum, in quibus degis, teſtificatione de-
fende. Apud te eſt Bethleem, in qua ſalutifer Dauidicæ Virginis partus illuxit; quem* Luc. 2.
*obuolutum pannis inter anguſtias diuerſorij, præſepe ſuſcepit. Apud te eſt declarata
ab Angelis, adorata à Magis, & per multorum infantium mortes ab Herode quæſi-* Matth. 2.
*ta Saluatoris infantia. Apud te eſt, vbi pueritia eius adoleuit; vbi adoleſcentia ma-
turuit, & per omnia incrementa corporea, in virum perfectum veri hominis natu-* Luc. 2. & 3. Matth. 4.
ra profecit; non ſine cibo eſuritionis, non ſine ſomno quietis, non ſine fletu miſeratio- Marc. 4.
nis, nec ſine pauore formidinis. Vnus enim, atque idem eſt, qui & in Dei forma ope- Ioan. 11.
*ratus eſt miracula magnæ virtutis, & in forma ſerui ſubiit ſæuitiam paßionis. Hoc
tibi ipſa crux indeſinenter loquitur; hoc lapis clamat ſepulcri; in quo Dominus hu-* Matth 26.
mana iacuit conditione, & de quo diuina potentia reſurrexit. Et cùm ad montem Idem 28. Ioan. 19.
Oliueti; locum Aſcenſionis veneraturus accedis, nonne illa vox Angelica in tuo re- Act. 1.
ſultat auditu, quæ eleuationem Domini ſtupentibus dicitur; Viri Galilæi, quid Ibid.
ſtatis aſpicientes in cælum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum. Ita S. Leo.

Hic verò nulla ratione diſsimulare poſſum, quod Svveiggerus Prædicans ſcribit lib. 23. cap. 29. Itinerarij, daß die Türcken den Lutheranern nit vngünſtig ſeyen / dann ſie ſprechen / die Lutheraner haben nur drey Götter. Quot Lutherani *Deos* habeant, viderint ipſi, & inprimis iſte Lutherani verbi præco. Nam fauoris huius erga Lutheranos potiſſima cauſſa eſt, quam te *Chriſtianus Lutherus* M. Conradi Andreæ accuratè docebit. Ingrati profectò Turcæ eſſent, ſi in tam bene de ſe meritos Lutherum, eiusq; aſſeclas, nullum memoris animi argumentum ederent. Si Lutherus nihil aliud tota vita ſua in gratiam Turcarum feciſſet, attamen in omnem ſempiternitatem Turcæ Luthero obſtricti eſſent, vel ob illum vnicum articulum: *Prœliari aduerſus Turcas, eſt repugnare Deo, viſitanti iniquitates noſtras per illos.*

Sed reuertor ad Diploma, ex quo diſcimus, eleemoſynas in ſubſidium terræ ſanctæ olim corrogatas fuiſſe; quod & hodie, ſuſtentandis pauculis religioſis patribus, qui ad ſepulchrum Dominicum excubant, fieri cernimus. Quod efficacius fieri propoſitis ſacroſanctis Reliquiis, res loquitur: & notus vetus Stationariorum mos, à quo id, quod in Eccleſiarum encæniis hodie quoque fieri videmus, fluxiſſe exiſtimo. Proponuntur enim, & exoſculandæ exhibentur reliquiæ Chriſtianæ plebi; quæ contrà, ſtipem in peluim proiicit. Prædia Melitenſium militum pleraque ex hoc fonte fluxiſſe exiſtimo, partim recta, partim per Templarios. Templariorum enim hæreditatem Hoſpitalarij, qui nunc Melitenſes, maximam partem in Germania creuerúnt.

Quam munifici autem & liberales Europæi fuerint in eos, qui terræ ſanctæ ab hoſtibus defendendæ operam ſuam addixerant, declarant cùm alia plurima, tum illud, quod de Templariis ſcriptum reliquit Matthæus Paris. *Poſſeſſiones tam citra, quàm vltra mare tam immenſas habere dicuntur, vt iam non ſit in orbe Chriſtiano prouincia, quæ eis bonorum ſuorum portionem non contulerit, & regiis hodie diuitiis præſtantiores exiſtant.*

Addamus & hoc, quod Diplomati illuſtrando non parum conducet. Mos admodum antiquus & Chriſtianis ſemper tritus fuit, ſacras Reliquias, etiam primæ Crucis, quam Redemptor noſter ſanguine ſuo rigauit, crucibus aliis includere. Ioannes Sauaro in libello de ſanctis Eccleſiis & Monaſteriis Claromontij ex antiquis monumentis. Anno Chriſti M. CC. LXIX. *Ludouicus Francorum Rex dedit Epiſcopo Claromontenſi (Guidoni de Turre) Crucem auream, ornatam lapidibus, videlicet de Cruce Domini portionem vnam. de corona Domini portionem vnam, de ſudario, de veſte purpurea. de pannis infantiæ Domini Saluatoris, de linteo, quo præcinctus fuit in cœna, de oſſibus B. Mariæ Magdalenæ, quæ in die paraſceues de geniculis adoratur.* Videntur omnes prædictæ Reliquiæ in Cruce illa fuiſſe incluſæ.

De lecto B. Mariæ matris Domini in monte Sion & de ipſius ſepulchro in valle Ioſaphat] Sepulchri D. Virginis à peregrinis adiri & coli conſueti, meminit quoq; Theodorus Studita in epiſtola ad Patriarcham Hieroſolymitanum, verbis, quæ ſuprà iam exſcripſimus. Nulla eius fit mentio à D. Hieronymo in Epitaphio S. Paulæ, quamuis alioqui accuratè ſingula loca, quæ S. Paula luſtrauit, enumeret. Vnde non immeritò ſuſpicatur Illuſtriſsimus Baronius, tempore S. Hieronymi ſepulchrum D. Virginis, necdum fuiſſe patefactum: neque enim credibile eſt S. Paulam, in tanta vrbis Hieroſolymitanæ vicinitate, illud non fuiſſe adituram, & religioſè veneraturam; cum eorum monumenta cupidiſsimè luſtrarit, qui vt ſanctitate claruerint, longiſsimo tamen interuallo poſt Deiparam Virginem relinquuntur. Vide Baronium Tomo 1. anno Redemptoris XLVIII. qui exiſtimat, Deiparæ ſepulchrum non fuiſſe notum ante tempora Iuuenalis Patriarchæ Hieroſolymitani, qui ſub Leone Magno Pontifice floruit.

De quo ita Brocardus in deſcriptione terræ ſanctæ. *Sepulchrum Virginis glorioſæ oſtenditur in valle Ioſaphat, non ima eius profunditate, ſed in pede Montis oliueti, & in editiore loco, quàm ſit ipſa vallis, quod ante ſubuerſionem ciuitatis extra terram eminebat: nunc verò eſt ſub terra, vnà cum Eccleſia circum ſepulchrum exſtructa.*

Idem ſepulchrum deſcribitur in pleriſque recentiorum Itinerariis. Et hoc eſt *monumentum illud auguſtum & adorandum*, inquit B. Damaſce-

maſce-

maſcenus, orat.1. de Dormit. B.Virg. *quod etiamnum Angeli,non ſine magna quadam reuerentia & metu adſtãtes,complectuntur. Dæmones pertimeſcunt, homines per fidem accurrunt, honorantes, adorantes, oculis & labris atque animi cupiditate exoſculantes,vberrimamq́; bonorum copiam haurientes.*

Fuit autem D.Virgo ſepulta in ſarcophago ſeu loculo, qui à Iuuenali Patriarcha Hieroſolymitano,rogatu Marciani Imp.& Pulcheriæ ſororis eius,Conſtantinopolim tranſmiſſus eſt;vnde ipſum ſepulchrum Deiparæ eò tranſlatum dicitur:quod tamen non niſi de loculo intelligi debet; quia ſepulchrum in petra exciſum erat, nec tranſferri potuit. Et quamuis non deſint, qui ſuſpicentur, etiam corpus Chriſti in ſarcophago ſepultum fuiſſe; id tamẽ meritò reiicitur, quia nullo antiquitatis teſtimonio firmatur.

Porrò de locis ſanctis, quorum partes in hac Cruce fuerunt incluſæ; fruſtula, benedictionis & ſanctificationis ergo, ad longè etiam diſsitos tranſmiſſa eſſe, pro teſtimonio eſt Martinus Abbas Periſienſis in Alſatia; quem Guntherus in Hiſtoria captæ vrbis Conſtantinopolitanæ Conſtantinopoli has Reliquias adeptum ſcribit. *De loco Natiuitatis Domini. De loco Caluariæ. De ſepulchro Domini. De lapide reuoluto. De loco Dominicæ Aſcenſionis. De lapide, vbi Ioannes ſtetit,quando Dominum baptizauit: de loco, vbi Chriſtus Lazarum ſuſcitauit. De lapide ſuper quem Chriſtus in templo eſt præſentatus,&c. De lapide,vbi Chriſtus ieiunauit. De lapide vbi Chriſtus orauit. De tabula, ſuper qua Chriſtus cœnauit. De loco vbi captus eſt. De loco, vbi mater Domini migrauit: De ſepulchro eius* (B.Virginis) *De ſepulchro S.Petri Apoſtoli, &c.*

Super hæc de ſacra Cruce] Moris fuiſſe particulas ſanctæ Crucis, doni pretioſiſsimi loco,ad alios mittere; & crucibus itidem aliis, reuerentiæ cauſſa, includere, quin & ipſas itidem primæ Crucis Reliquias in Crucis ſpeciem efformare, oſtendimus multis exemplis lib. 1. de S.Cruce cap.79. vt & lib.2. cap.60. vbi generatim monſtratum, Cruces Reliquiis Chriſti vel aliorum Cælitum refertas muneris vice amicis & Templis miſsitatas donataſque fuiſſe.

Vitalianus Pont. Rom. ad Oſuuium Regem Saxonum apud Bedam lib.3.Hiſt. Anglicanæ cap.29. *Gerulis harum noſtrarum literarum, veſtris miſſis, & beneficia ſanctorum Martyrum, hoc eſt,Reliquias beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſanctorum Martyrum Laurentij, Ioannis & Pauli, & Gregorij atque Pancratij,eis fecimus dari,veſtra excellentia profectò omnes contradendas.Nam & coniugi,noſtra ſpirituali filiæ, direximus per præfatos gerulos Crucem,clauem auream habentem de ſacratiſſimis vinculis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli.*

Aſſerus de Marino Papa. *Qui multa dona Regi* (Aelfredo) *tranſmiſit inter*

inter quæ dedit etiam non paruam illius ſanctiſſimæ, ac venerabiliſſimæ crucis partem: in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro vniuerſali hominum ſalute pependit. Malmesburienſis enumerans munera Hugonis Regis Francorũ, quę Aetelſtano regi Anglorum miſit, de ſanctæ Crucis portione hæc ſubdit, verſu 36. *Particulam ſanctæ, & adorandæ Crucis cryſtallo incluſam, vbi ſoliditatem lapidis oculus penetrans poteſt diſcernere, qualis ſit ligui color, & quæ quantitas.*

Photius epiſt. 213. Athanaſio Monacho & *Heſychaſtæ* ſeu Quieſcenti. *Quandoquidem imitatione Chriſti, veri Dei noſtri, teipſum mundo, & principi huius mundi crucifixiſti, mitto tibi Crucem, crucifixionis tuæ præſidium ac munimentum.* Qua etiam pœnitentes ſolebant inſigniri. Gregorius II. Pontif. epiſt. ad Leonem Iſaurum apud Baronium anno DCC.XXVI. *Vbi peccauerit quis, & confeſſus fuerit,* (Pontifices) *ſuſpendij vel amputationis capitis loco, Euangelium & crucem eius ceruicibus circumponunt, &c.* Chronicum Auguſtanum nuper à D. Piſtorio editum. *Anno M.CCCC. hæretici hic manifeſtantur multi, & crucibus croceis inſigniti publicam pœnitentiam recipiunt.*

Sanctuariis Sanctificatam] *Sanctuaria* nominat Reliquias, quæ in illa Cruce inerant. Ingulphus in ſua Hiſtoria. *Infinita ſanctuaria oſculati ſumus.* Idem. *Ab ipſo glorioſiſſimo ſepulchro Chriſti ad alia ſanctuaria ciuitatis inuiſenda circumducti.* Legati Sedis Apoſtolicæ ad Hormiſdam Papam, pro Iuſtiniano apud Baronium Tomo 7. Anno DXIX. *Sanctuaria beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſecundum morem ei largiri præcipite, &c. vt de quo per omnem terram ſanctuaria Apoſtolorum ſunt data, inde & ipſe Reliquias ſuſcipere mereatur.* [2]

De voto Hieroſolymitano, qua ratione vel relaxabatur, vel commutabatur, vide, quæ diximus Tom. 3. de ſancta Cruce lib. 2. cap. 3. & de Indulgentiis, quæ peregrinis concedebantur, lege cap. 4. eiſdem libri.

Inſcriptio anticæ Sigilli parti adiuncta; eſt, Ἰησοῦς Χριστὸς νικᾷ. *Ieſus Chriſtus vincit.* Qua inſcriptione nummum inſignitum inuenies Tomo 3. de ſancta Cruce lib. 1. cap. 27. Meritò autem Patriarcha Hieroſolymitanus, & Canonici *cruce* pro ſigillo vſi ſunt. Quos enim magis hoc digma & ſtemma deceat, quàm illos, qui degebant in loco, vbi crux primum fixa Redemptorem noſtrum exceperat & ſuſtentârat? Multa regna & variæ vrbes Crucem pro inſigni vſurpant, vt dixi Tomo 1. de S. Cruce lib. 2. cap. 51. ſed Hieroſolymitanorum propria eſt & quaſi natiua hæc poſſeſsio. Pulchrè Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi cap. 11. quæ Chriſtianos deceant inſignia. *Sint autem nobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel nauis, quæ curſu celeri à vento fertur, vel lyra muſica,*

quæ

qua vſus eſt Polycrates, vel anchora nautica, quam inſculpebat Seleucus: & ſi ſit piſcator aliquis, memineris Apoſtoli, & puerorum, qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum ſunt exprimendæ facies, quibus vel ſolùm attendere, eſt prohibitum: ſed, nec enſis, vel arcus, iis, qui pacem ſectantur: nec pocula iis, qui ſunt moderati, ac temperantes. Multi autem libidinoſi inſculptos eos habent, quos amant, vel amicas, vt, ne ſi velint quidem, poßint affectionis amoris obliuiſci, quòd libido, & intemperantia eis perpetuò in mentem reuocetur.

Notæ in poſterius diploma.

E. Dei gratia) Eſt iſte Patriarcha *Eraclius* ſeu *Heraclius*, qui anno ſalutis M. C. LXXX. Patriarchatum iniit poſt Amalricum, vt ſcribit Tyrius lib. 22. cap. 4. qui Heraclius anno Domini M. C. LXXXV. in occidentem, hoc eſt, in Italiam, Galliam & Angliam venit, vt à Chriſtianis principibus ſubſidium pro defenſione terræ ſanctæ impetraret: de qua legatione hæc Matthæus Paris in Hiſtoria folio 137. anno Domini M. C. LXXXV. *Heraclius Patriarcha ſanctæ Reſurrectionis, & dominus Rogerus Magiſter Hoſpitalis domus Hieruſalem venerunt ad Regem Angliæ Henricum apud Redingum. Qui, cum ſui itineris cauſſas, cum literis Apoſtolicis expoſuiſſent, ſanctæ ciuitatis Hieruſalem, & terræ promißionis deſolationem per ordinem enarraſſent, Regem, & omnem multitudinem, quæ conuenerat, in lacrymas, & ſuſpiria prouocarunt. Deferebant enim ad Regem memoralia ſuæ petitionis ſigna, Natiuitatis Ieſu Chriſti, paßionis, reſurrectionis, turris Dauid, ſanctiq́ ſepulcri claues, & vexillum regni: quæ omnia Rex non mediocriter honorauit.* Eadem Rogerus in Annalibus Anglicanis. *Lege Tom 3. de S. Cruce lib. 2. cap. 21.*

Eaſdem vrbis Hieroſolymitanæ claues Philippo Auguſto Francorum Regi ab Heraclio & ſociis oblatas eſſe, ſcribit Rigordus in Rebus geſtis Philippi Regis: offerebantur autem benedictionis gratia, tanquam res ſacræ ſiue Reliquiæ. Vnde & de Henrico Rege Angliæ ſcribit Matthæus Pariſienſis, eum *non mediocriter* claues ſibi oblatas *honoraſſe*. Conſimili ratione iam olim paria munuſcula oblata fuêre Carolo Magno de quibus hæc in Annalibus Francorum à Pithoeo editis. *Zacharias Presbyter, qui anno ſuperiore miſſus fuerat ad loca ſancta Hieroſolymam cum eleemoſynis, bene perfuncto legationis munere, cum duobus monachis, vno de monte Oliueti, altero, de Saba monaſterio de Oriente reuerſus Romam venit, quos Ioannes Patriarcha ad Regem miſit: qui benedictionis cauſſa claues ſepulcri Dominici, ac loci Caluariæ, claues etiam ciuitatis, & montis Oliueti, cum vexillo detulerunt. Quos Rex benignè ſuſcipiens, aliquot dies ſecum detinuit, & Aprili menſe ſequentis anni remuneratos abſoluit.*

Donauit porro Rex Perſarum Carolo Magno ſanctum Domini ſepulchrum, & locum Reſurrectionis, vt teſtatur Eginhardus in vita

Caroli Magni. *Cum Aaron Rege Perſarum, qui excepta India, totum penè tenebat Orientem, talem habuit Carolus in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium, qui toto orbe terrarum erant, Regum, ac Pontificum amicitiæ præponeret, ſolumquè illum honore, & amicitia ſibi colendum iudicaret: ac proinde cùm legati eius, quos cum donariis ad ſacratiſſimum Domini, ac Saluatoris noſtri ſepulchrum, locumq́; reſurrectionis miſerat, ad eum veniſſent, & ei domini ſui voluntatem indicaſſent, non ſolùm quæ petebant, fieri permiſit, ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem locum, vt illius poteſtati adſcriberetur, conceſſit, & reuertentibus legatis ſuos adiungens, inter veſtes, & aromata, & ceteras Orientalium terrarum opes, ingentia illi dona tranſmiſit, cum ei paucos ante annos, eum, quem tunc ſolum habebat, mitteret elephantem.*

Ex hac donatione arbitratur illuſtriſs. Baronius natam plebeiam illam perſuaſionem, Carolum Magnum terram ſanctam armis reeuperaſſe, cum quidquid obtinuit, id non niſi liberalitate Regis Perſarum obtinuerit. Mortuus eſt autem Heraclius Patriarcha in obſidione Acconis ſeu Ptolemaidis, ſi Rogero credimus, cum plurimis aliis principibus ac proceribus, quorum indicem texit Rogerus in Annalibus anno M. C. X C.

P. Prior ſancti ſepulchri] Quis Prior per litteram P denotetur, equidem neſcio. Rogerus inter alios, qui dum Accon obſideretur, mortem obiêre, ponit quoque *Priorem ſancti ſepulchri:* ſed nomen proprium non exprimit. Obſerua autem, errare Rogerum, quando ſcribit; *capta à Chriſtianis, Duce Godefrido Bullonio, Hieroſolyma, Patriarcham fuiſſe Heraclium: aliumq́; Heraclium, cum poſtea in Saladini poteſtatem venit:* licet enim hoc poſterius verum ſit, prius tamen non eſt verum; nam nomen Patriarchæ, ſub quo vrbs à Chriſtianis expugnata eſt, erat Simeon, vt planum ſit ex primo libro VVilhelmi Tyrij.

Conrado Dei gratia de Dachauu] Eſt hic vltimus ſuæ familiæ; de quo ſuprà.

Cum in præſentia noſtra eſſetis] Hieroſolymam ergo Conradus iſte iuerat. Nam aliter Heraelium Patriarcham conuenire non potuit, cum Heraclius in Occidentem anno demùm M. C. L X X X V. venerit, Conradus verò ante exitum anni M. C. L X X X I I I. obierit, vt ſuprà viſum.

Preces fudiſſe pro quadam Cruce] nempe pro illa, de qua primum diploma. Quæ *temporibus patris veſtri*, id eſt, Conradi Ducis Croatiæ & Dalmatiæ, qui obiit anno M. C. L V I I. Canonico Hieroſolymitano ablata fuerat, & quidem vi, petierat ergo poſtremus iſte Conradus ab Heraclio, vt quod iniuſtè geſtum fuerat; id ſuo ſuffragio & auctoritate iuſtum eſſe iuberet; crucemq́ue violenter raptam; liberaliter

raliter donaret; vt iuſtè poſsideretur, cuius acquiſitio iniuſta fuerar.

Quidam de notitia veſtra] An ſenſus eſt? Quidam, quem nouiſtis. An; *de notitia veſtra*, idem eſt, quod, vobis ſcientibus? An, quidam de veſtra ditione & regione? Non deſunt exempla ſimilia rapinæ & furti ex pietate profecti; neque enim credebant ſe Deum offendere ſi quas res ſacras, cuiuſmodi ſunt Chriſti & Diuorum Reliquiæ vel apertè raperent, vel clanculum abducerent. Teſtimonio ſit S. Marci ex Alexandrina vrbe Venetias occulta auectio, & S. Dionyſij Areopagitæ Pariſiis Ratisbonam, vt quidem Ratisbonenſes ferunt: & manus Præcurſoris Antiochenis clam à Iobo Diacono ſublata, & Conſtantinopolim delata, de quo lege Metaphraſten apud Surium Tom. 4. 29. Iunij, & cum ciuitas quæpiam Reliquiis Sanctorum abundans ab occidentalibus in orientali Imperio expugnata eſſet; ſacerdotes, qui in exercitu erant, in id potiſsimum incumbebant, vt Reliquias ex Templis acquirerent: cuius rei ſuppeditat nobis illuſtre exemplum Guntherus in Hiſtoria captæ vrbis Conſtantinopolitanæ à Venetis & Flandris de Martino Abbate Perienſi. Illuſtre furti facti exemplum commemorat Matthæus Pariſienſis in ſua Hiſtoria in Henrico III. fol. 307. Vide, quæ Tomo 3. lib. 4. de S. Cruce diximus, illuſtrandæ Cruci Traiectenſi.

Non diſsimile ſpolium fuit Crux illa, de qua Leo in Chronico Caſsinenſi lib. 3. c. 54. *His quoq; temporibus Malfitanus quidam nobilis mundo abrenuntians huc venit: & à Deſiderio gratè ſuſceptus, partem haud exiguam ligni ſalutiferæ ac viuificæ crucis, auro & lapidibus precioſis ornatam, & in aurea icona locatam (quam ipſe de palatio Conſtantinopolitano Imperatoris, in ea coniuratione, quæ aduerſus illum facta eſt, tulerat) B. Benedicto deuotiſsimus obtulit.* Videtur Leo loqui de coniuratione, quæ, duce Nicephoro Botoniata, conflata eſt contra Michaëlem Ducam Imperatorem, & Mariam coniugem Imperatricem, & filium Conſtantinum Porphyrogenitum, quos Nicephorus in Blachernis cepit, & in Monaſterium detruſit. Anno Chriſti M. LXXVIII. Sexto autem Pontificatus Gregorij VII. Poſtea circa annum M. LXXXI. prædictus Nobilis in Caſsinenſi Monaſterio Monaſticam vitam profiteri, ſeq; & Crucem illam, quam in conſpiratione contra Imperatorem de palatio Conſtantinopolitano abſtulerat; B. Benedicto conſecrauit Baronius tamen hoc refert ad conſpirationem, quam anno M. LXXX. Nicephorus Botoniates paſſus eſt ab Alexio Comneno, idque probabilius eſt, quam illud prius.

Erat autem hæc portio viuificæ Crucis incluſa in aurea imagine; hanc enim per *auream iconam* Leo intelligit. Vt porrò poſteriores ſcri-

ptores ex vocabulo *Lampas, lampadis*; cuderunt *lampada, lampada, Lampadarum*; ſic ex *Icon, iconis*; *Icona, Icona.*

De alia S. Crucis portione Hieroſolymis in Montem Caſsinum allata idem Leo lib.2. cap.11. *Eiſdem diebus* (circa annum DCCCC. LXXX.III.) *frater huius Abbatis, Leo nomine, profeßione Monachus, portionem ligni Crucis Dominicæ non paruam auro & gemmis pretioſis ac margaritis ornatam ſecum ab Hieroſolymis detulit, & huic ſancto cœnobio deuotiſſimus obtulit die nono Nouembris.*

Ad recuperandam iam dictam Crucem] Quia Schirenſibus tradita fuerat à Conrado Duce Dalmatiæ, huius vltimi Conradi patre.

Eccleſiam in honore eiuſdem] ſolenne fuit Eccleſias in honorem S. Crucis condere, præſertim ſi quis aliquam particulam de ſancta Cruce nactus fuiſſet. Vide Tom.1. de ſancta Cruce lib.1. cap.80. & 81. Leo IX. Pontif. Max. ædificauit Monaſterium S. Crucis, vt legimus in Regeſto Gregorij VII. lib.2. epiſt.14.

Hector Boëthius lib.12. Hiſt. Scoticæ. *Qui id temporis venere ex Anglia complura ad Edgarum* (Regem) *vaſa cælata magno artificio partim argentea, partim attulerunt aurea. Sanctorum quoque Reliquias quaſdam, inter quas pretioſiſſima illa Crux nigra, quam poſtea Rex Dauid cœnobio ſuis impenſis in Laudonia ædificato donauit. Vnde & nomen S. Crucis obtinet.*

Idem Hector Boëthius lib.13. Hiſtoriæ Scoticæ. *Referunt Monachum quendam à Melros ea tempeſtate* (ſub Alexandro Rege Scotiæ) *in ſomno ab Angelo edoctum crucem reperiſſe, haud longè ab oppidulo Laudoniæ nomine Pepilis, capſæ, cui titulus inſcriptus erat, S. Nicolai Epiſcopi, incluſam. Nec multo diuerſo loco Vrnam repertam lapideam ſummo artificio factam, atque in ea inuenta oſſa byſſo inuoluta, ſed cuius ea fuerint, incertum fuiſſe. Verùm protinus aperta Cruce multa facta miracula. Alexander rei nouitate ac religione motus, templum, in quo loco Crux ipſa reperta erat, magnificum extruxit; idquó nunc monachi ſanctiſſimæ Trinitatis inhabitant.*

Vnde eſtis aduocatus] Patriarcha ergo & Canonici Hieroſolymitani Conrado Duci Dachouiano, fundos & prædia ſua cuſtodienda, & ab incurſorum rapacitate defendenda commiſerant. Hoc enim *Aduocati* officium eſt.

H ΑΝΑΣΤΑΣΙΣ] *ἡ ἀνάστασις. Reſurrectio.* Chriſti videlicet, cuius reſurgentis imago in illo ſigillo apparet.

✠ Eraclius] ſcriptionibus, inſcriptionibus & ſubſcriptionibus Crucis figuram addere priſcis in vſu fuit. Exempla inuenies Tomo 1. de ſancta Cruce lib.2. cap.16. & 19.

Addamus aliquid de Heraclij ſucceſſore, Alberto, Patriarcha Hieroſolymitano qui tenuit ſedem Hieroſolymitanam; non Hieroſolymis,

ſolymis,ſed Accone, Annos XXIII.ab Anno ſcilicet M.CCIV. vſq; ad M.CCXXVII.quo & mortuus eſt. Ad eius imaginẽ adiungitur numiſma,cuius inſcriptio prior eſt. ✠ *Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus.* Poſterior ✠ *Hieroſolyma à Sarracenis capta Sedes Acconem tranſlata*; quia Patriarcha Hieroſolymitanus Accone ſeu Ptolemaide cum clero ſuo reſidebat. Interior Epigraphe. *Ramus peregrinorum*; qui eſt palma: nam peregrinis, abſolutâ feliciter peregrinatione, palma in ſignum reportatæ victoriæ tradebatur, vt diximus Tom.3.de S.Cruce lib.2. cap. 10. Albertus Canonicus & Cuſtos Aquiſgranenſis lib. 6. Expedit. Hieroſolymit. cap. 54. de redeuntibus in patriam poſt occupatam Hieroſolymam, duce & auſpice Godefrido Bullionio. *Et ecce tot præliis, tot laboribus, omnibus ſæculis inauditis, in victoria & bono fine completis,* &c *in terram natiuitatis ſuæ reditum parant à diutino exilio, & palmas victoriæ in manu ſua referunt, præ nimia pietate lachrymis affluentes ſuper fratribus in exilio relictis,* &c. *Pauca quidem arma habentes, ſed palmas in ſignum victoriæ manibus portantes,* &c.

Aliquando Romanus Pontifex redeuntibus peregrinis palmas dabat, cruceſq; de collo ſuſpendebat. Rogerus in Annalibus Anglicanis de Cœleſtino III.Pontif.& Philippo Rege Francorum. *Et licet votum non ſoluiſſent,* (quia triennium in Palæſtina non manſerant) *tamen palmas iis & diſtribuit, & cruces collis eorum ſuſpendit, ſtatuens q́ eſſent peregrini.*

Tres crucigeræ turres in Numiſmate Alberti vrbem Acconenſem denotant; nam quaſcunq; ciuitates Chriſtiani occupabant; ſtatim vexillo Chriſtianæ religionis in ſublimibus locis collocato, ad cuius ditionem pertinerent, publicè teſtabantur, cuius rei illuſtre exemplum attulimus Tom.3.de S.Cruce lib.2. cap 21.

Fuit autem iſte Albertus, Petri Eremitæ, qui Vrbano II. belli ſacri Auctor exſtitit, Pronepos, Epiſcopus, vt dicit Onuphrius in Chronico, Vercellenſis, dein in oriente Bethleemiticus & Aſcalonitanus; poſtea Patriarcha Hieroſolymitanus; vnus ex quindecim viris, ſeu duodecim viris, qui Anno Domini M.CCIII. Balduinum Flandriæ Comitem, capta Conſtantinopoli, crearunt Imperatorem, de quo ipſe Balduinus in Epiſt. ad Archiepiſcopum Colonienſem apud Godefridum in Annalibus. *Ad electionem Imperatoris vnanimiter ac deuotè procedimus: Et omni ambitione ſecluſa, cum ſex Baronibus Venetorum, venerabiles viros, Epiſcopos noſtros, Sueßionis, Haluerſtadenſem ac Trecenſem, & Dominũ Bethlehemitanũ, qui à partibus tranſmarinis Apoſtolica auctoritate, nobis fuerat delegatus, Acconæ electum, Abbatemq; Lucedij. Imperatoris ſub dominio noſtro conſtituimus electores.*

Succeſsit iſte Albertus, ſecundum Onuphrium, in Chronico Heraclio

raclio Patriarchæ. Sed ſedem diu vacaſſe oportuit, ſi vt Rogerus ſcribit, Heraclius obiit in obſidione Acconis Anno M. CXC. Et Albertus demum ſucceſſerit Anno M. CCIV. vt vult Onuphrius, qui Heraclij Patriarchatui tribuit XXIV. annos. Quæ ſententia ſi vera ſit; ſedes Hieroſolymitana nunquam vacauit.

In Turcogræcia Cruſij libro 4. Exſtat Epiſtola Græca Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani, non illius antiqui, ſed recentioris cuiuſdam, quia vulgari & barbara Græcorum lingua vtitur; cuius Epiſtolæ Sigillum, vel potius formam & imaginem Sigilli Cruſius pulcherrimè ſcilicet ad hunc modum explicat. *In Sigillo ἀμυδρότερον conſpiciebatur ad dextram aliquis, ſe inclinans, & tanquam manum ſiniſtrorſum porrigens alicui, velut è ſepulchro ſupplices ad eum manus tendenti; à tergo cuius, tanquam petra eminens, habens in ſummo arbuſta. A tergo verò tendentis manum; duæ aliæ perſonæ.*

Videtur Cruſius nunquam vidiſſe effigiem Chriſti ad inferos deſcendentis, & ſanctos Patres ex limbo liberantis; aliâs tam ruditer & inſcitè de huius Sigilli typo non ſcripſiſſet. Nam qui ſe *inclinat*, manumque porrigit; Redemptor noſter eſt; ſeu Redemptoris imago. Qui ſupplicem manum tendit, vnus eſt ex ſanctorum Patrum numero, & carcere illo eripi deſiderans. Ad eandē claſſem pertinent, qui à tergo huius ſupplices manus tendentis viſuntur. Petra eminens; quæ poſt tergū Chriſti apparet, ectypon Dominici ſepulchri eſt. Quæ omnia perſpicua fiunt ex Sigillo ſecundi Diplomatis Schirenſis. *In circuitu huius imaginis totius,* inquit Cruſius, *erant verba hæc. ἡ ἀνάστασις τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ χριστοῦ τῆς ἁγίας πόλεως ἱεροσολύμων. Reſurrectio Domini noſtri IESV Chriſti ſancta Ciuitatis Hieroſolymorum.*

In Eadem Epiſtola, precatur Sophronius Manueli, ad quem ſcribit, gratiam *παρὰ τοῦ ἁγίου καὶ ζωοδόχου τάφου, à ſancto & viuifico ſepulchro.* Addit. *ἐγράψαμεν καὶ τὸ ὄνομα τῆς αὐθεντίας σου εἰς τὸν ἅγιον καὶ ζωοδόχον τάφον τοῦ κυρίου καὶ θεοῦ. Scripſimus nomen Dominationis tuæ in ſanctum & viuificum ſepulchrum Domini Dei noſtri.* Num, quod nomina bene meritorum de ſepulchro Dominico, in tabulis quibuſdam in ſepulchro Dominico aſſeruari conſuetis conſcribi conſueuerint?

Nota in Auentini dicta de Cruce Schirenſi.

Ab Heraclito Patriarcha Hieroſolymitano] Nec ab Heraclito, nec ab Heraclio Conradus Dux Dalmatiæ partem Dominicæ Crucis impe-

impetrauit; quia Heraclius multis demum pòſt mortuū Conradum Ducem Dalmatiæ annis; creatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus; ſed ſub Folcherio Patriarcha, & Conrado Duce Dalmatiæ, crux, de qua prius Diploma, vi Canonico Hieroſolymitano adempta fuit; quā poſtea Conrado de Dachavv, prioris Conradi filio, Heraclius Patriarcha donauit; ſed iis conditionibus, quas ipſum Diploma requirit.

Conuenit huc certatim] Magna ſemper orthodoxorum fuit erga crucē Domini eiuſque ſacroſancta Lipſana religio & pietas iam inde ab Exordio naſcentis Eccleſiæ, vt in Opere de S. Cruce paſsim oſtenſum. Quocirca friuolū prorſus eſt, qꝫ Pouelus Caluiniſta Anglus lib. 1. de Antichriſto cap. 24. §. 26. garrit, *Papiſtas, cultū & venerationē Crucis ab Armeniis accepiſſe*: nam crux culta & honorata eſt à Catholicis, antequā quidquam de Armeniis iſtis recentioribus in Eccleſia audiretur; neque orthodoxi eum in cruce colenda ritum ſequuntur aut probant, qui apud Armenios viget; vt intelliges ex illis, quæ Tom. 1. de S. Cruce cap. 58. ſcripſimus.

Idem Caluiniſta lib. 2. de Antichriſto cap. 34. & alij paſsim Nouatores contexunt traditionum Pontificiarum, vt vocant, Catalogum magis ex ſuo cerebro, quam ex noſtro ſenſu, & in eo ponunt *Crucem Indulgentiarum*, (videntur innuere *Cruciatas*, ſeu literas, quibus Indulgentiæ conceduntur, vel crucem, cui Indulgentiæ conceſſæ ſunt) *Crucem reponendam in ſepulcbrum Domini*; nam multis locis crux ſeu crucifixi imago in ſepulchrum infertur, quæ poſtea, Chriſto reſurgente, inde educitur; ſacerdote extra Templi fores eam efferente; eaſque cum ipſa crucifixi imagine pulſante; hæc Pſalmi ſimul accinendo; *Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales*, &c. Et hic Latinorum quorundam mos, etiam ad ipſos Græcos peruenit, qui proinde Latinis eum vitio vertunt, pro ſua quæuis Latinorum inſtituta temerè carpendi prurigine.

Adiungunt Sectarij in eodem traditionum Indice; *Crucis adorationem. Figuram Crucis. Crucis palmarum*, quia ex palmis conſecratis, multi, pietatis cauſſa, cruciculas conficere ſolent, ipſo Palmarum die. *Ordines Crucis multiplices. Oſculum Crucis. Sepulchrum Crucis*; quia ſcilicet Crux ſepulchro imponitur. Sed iſti nihil ſine calumniis referre poſſunt: neque enim quælibet cuiuſuis loci particularis conſuetudo à nobis inter Apoſtolicas traditiones numeratur.

Apud Lutherum in libello, quem Anno M. D. XXX. ſcripſit ad Comitia Auguſtana, & apud Cœleſtinum Hiſt. Confeſs. Auguſtanæ fol. 272. inter traditiones *hypocriticæ Eccleſiæ* numeratur quoq; poculū S. Joannis. Et tamē ipſimet hæretici paſsim clamitant; nembt S. Hans

Segen,

Segen. Trinckt S. Hans Segen. Nur S. Hans Segen. Et, ſi vlla eſt traditio, quam diligenter obſeruant, hanc ſanè religioſiſsimè obſeruant, nec facile abeunt, niſi prius benedictionem S. Ioannis S. Hans Segen/ſecum acceperint. Nec puto ipſos Prædicantes Auguſtanos tam tenerè religioſos eſſe, vt ſi *pro charitate S. Vdalrici* bibere vrgerentur, (qui mos olim valdè frequens erat, vt apparet ex libello de miraculis S. Vdalrici cap. 11. 12. 13.) bibere abnuerent. Vtique religio & cõſcientia ſiti ſiue amori dulcis Iacchi poſtponerentur.

Fama Conſtantiſsima manat] Simile quiddam in vita S. Bennonis Tom. 7. Surij proditum legimus cap. 25. *Cui* (Bennoni Roma) *abeunti*, Papa (Gregorius VII.) *in ſignum veræ dilectionis non vulgares donauit ſanctorum Reliquias; quas ille toto tempore vitæ ſuæ religiosè coluit, & tanquam cæleſtem quendam theſaurum veneratus eſt. Exſtat ex iiſdem Reliquiis, circa tumbam ipſius in hodiernũ vſq; diem mirabile quoddã dictu; vt ſcilicet incluſe argento ſeu pacificali, vt vocant, peciunculæ, aliis quidem oſculantibus appareant, aliis verò minimè. Quin his etiã, quibus videre eas contingit, nõ ſemper ſe oſtentant, ſed modò præſentes adſunt, modò, veluti præſtigio quodam, cernentium oculos eludunt.*

Anno Chriſti M. CXXXV.] Ratio temporis his aduerſatur. Certum eſt enim crucem, de qua primum Diploma loquitur, à Fulchero Patriarcha in Europam fuiſſe miſſam: Fulcherus autem Patriarchatum Anno demum M. CXLVI. iniit, vt ſupra oſtenſum. Fieri igitur non potuit, vt Crux iſta ante dictum annum in Europam venerit. Neque illa cohærent; *Vlricum Abbatem Schirenſem ſeptimum, Anno M. CXXXV. impetraſſe ab Alexandro IV. mitram & ſandalia.* Nam Alexander IV. Põtifex factus eſt Anno M. CCLIV. Nec intelligi poteſt de Alexandro III. Anno enim M. CXXXV. ſedebat Innocentius hoc nomine ſecundus. Hunc nodum cum ad Dominum *Marcum Velſerum*, diſſoluendum retuliſſem, reſcripſit in hæc verba.

Quod Auentinus Vlricum Abbatem Schirenſem ſeptimum, mitram & Sandalia ab Alexandro IV. impetraſſe ſcribit, quod Hundius in metropoli ſequutus eſt, ſanè conſiſtere non poteſt, & vel nomen Pontificis mutandum, vel numerus. Cum enim Auentinus Vlricum anno M. CXXXV. electum, XXV. annos Abbatem fuiſſe ſcribat, conſequitur eum anno demum M. CLX. ceſsiſſe, in quæ tempora Anaſtaſij IV. Hadriani IV. & Alexandri III. Pontificatus incidére. Sed facilior in numero quam in nomine lapſus eſt, itaq; fortaſſe Alexander III. pro IV. reſtituendus.

TERTIA

TERTIA PARS
HORTI
S. CRVCIS.

CRVX DONAVV-VVERDENSIS.

Notationibus illuſtrata.

LECTORI.

Recte à Poëta dictum eſt:

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Ea de cauſſa optabam Crucis VVerdeanæ imaginem hîc tibi depictam, & coloribus effictam repræſentare; Eius enim accuratum ectypon penes me habeo, munere & humanitate Admodum Reuerendi Patris ac Domini Georgii Beckii, ad S. Crucem Donavvverdæ Prioris, qui in hoc ſacroſancto monumento illuſtrando, multum ſtudij ac operæ poſuit. Sed quod in votis erat, id ad rem conferre, hoc quidem tempore, non licuit. Itaque, vt in Cruce Schirenſi ſtylus vicem penicilli aut cæli ſubiit; ſic iam quoque idem defectus eadem ratione ſarciendus eſt. Prius autem, quàm de Cruce verba faciamus, breuiter aliquid de eius Epithemate ſeu operculo dicendum erit.

EXPLI-

EXPLICATIO EPITHEMATIS SEV OPERCVLI, QVO SANCTA CRVX TEGI SOLET.

SEPTENAS continet imagines, ex opere teſſellato, Moſaico ſeu Muſiuo, quo imaginum genere olim Græci valde delectabantur; & hoc etiam æuo delectantur. Supernè ad dexteram, viſitur icon *Ioannis Baptiſtæ*, orbi incluſa; additis his characteribus Græcanicis; ὁ ἅγιος πρόδρομος, *ſanctus Præcurſor*. Ad lęuam conſpicitur effigies *S. Ioannis Euangeliſtæ* cum hac deſignatione. ὁ ἅγιος ἰωάννης θεολόγος, *S. Ioannes Theologus*. Infernè ad dexteram, apparet ὁ ἅγιος πέτρος. *S. Petrus*. Ad ſiniſtram, ὁ ἅγιος παῦλος, *Sanctus Paulus*. In medio cernitur imago Deiparæ ſolio inſidentis, & in gremio puerulum IESVM geſtantis, addita hac inſcriptione; μήτηρ θεοῦ, *Mater Dei*. Ad dextram virginis, intra eundem ambitum, eſt imago *Michaëlis Archangeli*; ad ſiniſtram, *Gabrielis*. Illi adſcriptum eſt, μιχαήλ; huic, γαβριήλ. Sub Angelicis icunculis apparent characteres nonnulli, quorum expoſitionem ſagacioribus relinquo; nam mihi quidem hîc ſunt denſæ tenebræ. Non ambigo tamen referendos ad Deiparam Virginem, & puellum Chriſtum, quem in ſinu geſtat. Opus & formâ ſeu ſchemate & imaginibus planè eſt Græcanicum, vt agnoſcent, quibus vel modica Græcarum rerum notitia ſuppetit. Etiam in Cruce Traiectenſi, quam vide Tom. 3. de ſancta Cruce lib. 4. supernè ad dexteram eſt imago Saluatoris, ad ſiniſtram: Deiparæ; in medio ad dextram, Michaëlis; ad ſiniſtram, Gabrielis. In Baſi crucis, S. Demetrij Martyris.

De imagine D. Virginis puerulum IESVM in vlnis geſtantis memorabilem refert Hiſtoriam Ioannes Curopalata, vbi de hoc ipſo Romano Argyropulo agit, qui Magnoldo Comiti Kyburchenſi & Diligenſi, &c. hanc crucem, de qua nobis diſſertatio, donauit. Accipe verba Curopalatæ. *Romanus Imperator emptam domum Triacontaphylli in Monaſterium redegit Dominæ noſtræ* DEI *Genitrici dicatum, nulli ſumptui parcens, hac tamen ſpecie non mediocriter ſubiectum ſibi populum exhauriens & vexans, in comportandis lapidibus, & aliis rebus, exornanda etiam columnarum*

ſapita magni templi, & ſanctiſſimæ DEI *Genitricis Blacbernarum auro & argento curat. cumq́; eſſet conditurus altare Blacbernarum, reperit ſuſpenſam antiquam imaginem, quam reuocari præcepit, conſpicatusq́; combuſtum muri linimentum deſtrui, & nouum fieri iuſsit, deſtructoq́; limimento, inuenta eſt imago ſub eo picta tabella* DEI *Genitricis in ſinu continentis Dominum, & Deum noſtrum, quæ immaculata permanſerat à diebus Copronymi vſq; ad præſentem diem elapſis annis trecentis.*

Græcos imaginibus nomina eorum, quos repræſentant, adſcribere conſueuiſſe, neque vlli imagini vllam venerationem tribuere, niſi nomine expreſſo, non ſemel alibi monuimus. In eadem perſuaſione hæſiſſe videtur Auctor librorum Pſeudocarolinorum, nam lib. 4. cap. 21. ita ſcribit. *Eſto, imago ſanctæ Dei genitricis adoranda eſt: vnde ſcire poſſumus, quæ ſit eius imago aut quibus indiciis à cæteris imaginibus dirimatur? quippe, cum nulla in omnibus differentia, præter artificum experientiam, & eorum, quibus operentur opificia, materiarumq́; qualitatem inueniatur. Cùm ergò depictam pulchram quandam feminam puerum in vlnis tenere cernimus, ſi ſuperſcriptio necdum facta ſit, aut quondam facta, caſu quodam demolita; qua induſtria diſcernere valemus, vtrum Sara ſit Iſaac tenens, aut Rebecca Iacob ferens, aut Betſabee Salomonem iactans, aut Eliſabeth Ioannem baiulans, aut qualibet mulier paruulum ſuum tenens? & vt ad gentiles fabulas veniamus, quæ plerumq; depictæ inueniuntur; vnde ſcire valemus, vtrum Venus ſit Æneam tenens, an Alcmena Herculem portans, an Andromacha Aſtyanacta gerens? Nam ſi pro alia, alia adoratur, dementia eſt: ſi tamen ea, quæ adoranda penitus non eſt, adoratur, veſania eſt: quod vtrumq; cauendum eſt.*

Sed hæc calumniam non modicam olent; quia ex cõmuni Chriſtianorum vſu iam omnibus orthodoxis, etiam infimæ plebis opificibus, conſtat, tali imagine, licet nulla accedente Epigraphe, aliam non repræſentari, quam Deiparam Virginem, vlnis infantulum dulciſsimum geſtantem; neque quiſquam quidquam de Venere, Alcmena, aut Andromacha ſomniat.

Non diſsimilis criminatio eſt, quæ mox ſubiungitur. *Pingitur etiam eadem Beata Virgo qualiter aſelli geſtamine vecta, puerum in vlnis ferens, Ioſeph præuio, in Ægyptum deſcenderit; qualiterúe ex Ægypto ad terram Iſraël redierit: (in pluribus namq́; materiis hæc hiſtoria inditur, & non ſemper in Baſilicis, ſed interdum in vaſis eſcariis, ſiue potatoriis, interdum in ſericis indumentis, plerumq; tamen in ſtragulis) numquidnam hæc omnia adoranda ſunt?* (Nequaquam: ſed ſolius Chriſti, & virginis imago.) *Cum ergò in quolibet horum imago ſanctæ Virginis puerum tenens pecualis animantis tergo ſuſcepta adoratur:* (Minimè verò. Sed inſtas.) *Nullo enim pacto in adorando, vtriusq; imaginis, Virginis videlicet, ſiue animãtis, quædã poteſt fieri diremptio.* (Cur fieri nequit?)

præfer-

præſertim cum vnius ſint materiæ: (quid tum? At nō ſunt vnius rei ſignum) *vnoq́ artificis ingenio compaginatæ.* Etiam crux & imago Chriſti ab vno artifice fieri poſſunt;& in vna eademque charta pingi;tu tamen,ô Semi-iconoclaſta,hæc duo ſeparas, Crucemque colis & adoras; Chriſtique imaginem nec colis nec adoras. Et planè friuolum eſt, quod Auctor iſte vrget, *imaginem Deiparæ & aſelli eſſe rem animæ expertem;ac proinde, ſi illa adoretur; etiam hanc adorari debere:* nam & crux & Chriſti imago eſt res exanimis; & tamen Iconomachus Crucem adorat; & Chriſti imaginem non adorat.

Fortè cauillatio hæc aliquid efficeret, ſi ratio adorationis foret, *eſſe inanimatum,* ſeu *priuatio vitæ*; at quia hoc nemo ſanus affirmat, cum ratio adorandi imaginem in prototypo ſita ſit, nam à re ſignificata habet imago,vt colatur vel non colatur;ideo & futilis hęc obiectio in fumum abit, & nebulæ inſtar, ſole exorto, euaneſcit. In medio tegumenti ſeu operculi ad dextram & ſiniſtram virginis, extra tamen circulum, *amethyſti* ſunt. Lapilli acuminati tabellę paſsim interſperſi cryſtallum partim, partim Iaſpidem ærizuſam & Achaten repræſentant: & hæc de ſanctæ Crucis operculo: nunc ipſam Crucem contemplemur.

DESCRIPTIO CRVCIS WERDEANAE.

TABELLA ipſa lamina conſtat aurea, lichadis vnius longitudine; latitudine minor, vnciâ. In huius medio, Crux eſt, vt vulgò vocant, Hieroſolymitana; longitudine digitali: capitello conſtans & baſi ex eadem ligni materia. Duo alia tranſuerſa ligna, quę partim è medio, partim nonnihil poſt faſtigium promicant; non pari omninò conſtant magnitudine. Quod enim medium occupat, duorum propè pollicum eſt: Alterum, nōnihil eſt breuius. Baſis & faſtigium, æquabili proportione breuitate præſtant. Latitudo omnium ferè par eſt: niſi quod partes illæ quæ faſtigio propiores ſunt, minores, tenuioreſque appareant. Trium autem eſt granorum. Porrò ne crux ipſi tabulæ inſita inſertaque labet; argenteis vncinis ſupra, infraque geminis innectitur. In quatuor angulis quaterna ſunt oſtiola, quæ reliquiaria totidem occludunt, celantque. Reliqua in hoc tabellæ aureæ ſpatio, parerga, vt ſtellæ, roſæ, ſcutaque bina obtinent.

Quæ quidem tabella S. Crucis aurea, margine itidem aureo cingitur, inſigniturque cum vnionibus prægrandibus ſexdecim: quibus

ſcutulis ſuis vel orbiculis intermicant gemmæ vndeuiginti magnitudine, ac precio variæ atq; diſpares: vt ſunt adamantes, pyropi, ſmaragdi, amethyſti, ſapphiri. Quod quidem emblema ſertumque gemmeum, quod S. Crucis huius iconiſmum ambit, munificentia donatum, & oblatum eſt Maximiliani I. Imperatoris religioſiſsimi, & liberaliſsimi; Pars enim poſtica tabulæ huius, quæ grandiuſculis literis epigraphen præfert, eam Imperatoris huius pietatem & beneficentiam diſertè prædicat: in qua tamen orthographiæ leges nequaquam ſuperſtitioſè obſeruatas videbis; vtinam non violatas dicere liceret. Sed cum Critici tales deerrationes, in antiquis inſcriptionibus exoſculentur, tantumque non adorent, cauſſæ nihil habent dicere, cur bono vultu hanc recentiorem dignari nolint? ſic autem habet.

MAXIMILIANVS. RO. AC. VNGARIÆ. REX. ARCHIDVX. AVSTRIÆ. DVX. BVRGVNDIÆ, &C. ME. 12. KLAS. MAY. VISITAVIT. ANNO. DNI. 1496. QVI. HVIC. ECCLESIE. SCE. CRVCIS. VVERDEE. PER. MANGOLDVM. EX. NOBILIORI. GENERE. ELPHECIORVM. DE. SANGVINE. DVCVM. SVEVIE. TVNC. ECIA. COMITEM. IN. DILLIGEN. CVM. FVNDATIONE. ME. DONATA. AMPLIVS. DECORAVIT. NAM. ET. IPSO. NVLLVS. VIVENCIVM. LONGE. AVT. PROPE. PLVS. TRAXIT. ORIGINEM. DE. HASPVRGENSIBVS. VEL. KIBVRGENSIBVS. PARTICEPS. ET. IPSE. SIT. DEVOCIONIS. IN. AEVVM. AMEN. CONSVMATVM. EST. HOC. OPVS. ANNO. DOMINI. MILLESIMO. QVINGENTESIMO. TERTIO. DECIMO.

Hactenus inſcriptio. Fuit autē *Maximilianus* Imp. S. Crucis ſtudioſiſsimus cultor. Quare cum Albam Regalem in Hungaria vi expugnaſſet, templum ingreſſus, inquit Dubrauius lib. 31. Hiſt. Boëmicæ, *donis & monumentis gemmeis, aureis, argenteis refertiſsimum. quibus Reges Hungariæ locupletiſsimi eum locum, in quo auſpicia Regni, auſpice Deo, auſpicabantur, exornatum illuſtratumq; voluerunt, nihil ex tantis copiis extulit, cum iure victoriæ omnia auferre poſſet, niſi vnicam Crucem auream, illamq; perparuam, quæ maiorum ſuorum, principum Auſtriæ fuiſſe dicebatur, cui rei teſtimonium inſigne gentilitium præbebat.*

Verum tam circa hanc Crucem VVerdenſem, quàm circa alias complures non immeritò quæras, cur duplici ligno tranſuerſario conſtent, cum vera & prima Crux Chriſti vnicum ſolummodo huiuſmodi lignum habuerit. Et fortè vſurpare quis hîc poſſet illud Iuriſconſultorum: *Non omnium, quæ à maioribus conſtituta ſunt* (vel facta) *ratio reddi poteſt.* At non opus huc confugere. Nam Cruces ſiue ex prima

Cruce

Cruce, ſiue ex alia materia confectas eo Schemate & figura ad alios muneris loco tranſmittebant, qua conformata erat Crux, quæ Patriarchis præferebatur. Hæc autem Crux ligno tranſuerſario gemino conſtabat. Et ita quidem vt lignum tranſuerſum ſuperius; breuius ſit; Inferius; longius. Pontifici autem Maximo & Archiepiſcopis præfertur Crux vno duntaxat tranſuerſario ligno conſtans: cuius cauſſam partim quærit, partim reddit Auguſtinus Fiuizanius lib. 2. de Cruce cap. 14. Etſi non deſunt, qui cenſeant Romano Pontifici non tantum gemino, ſed & tergemino ligno tranſuerſario Crucem præportatam fuiſſe, in argumentum ſupremi ſupra omnes Patriarchas poteſtatis. Quod Fiuizanio non ſit credibile. Vtcunque ſit, de Patriarchis liquet, quod diximus: imò in inſignibus Alberti Patriarchæ Conſtantinopolitani, de quo ſuprà ad alterum Schirenſe Diploma nonnihil diximus: apparet Crux triplici ligno tranſuerſario, quorum ſupremum breuius eſt ſecundo; & ſecundum tertio: Similem Crucem manu tenet Alberti effigies: quamuis in eius ſtemmate etiam Crux ſimplici tranſuerſo ligno efformata viſatur. Sed iam S. Leonis Bullam audiamus, quæ toti huic argumento clariſsimam lucem accendit.

BVLLA

BVLLA LEONIS IX. PONTIFICIS MAXIMI DE ADVOCATIA MONASTERII SANCTÆ CRVCIS IN WERDEA,

✠LEO EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI, GVNDERADAE DILECTAE IN CHRISTO FILIAE A NOBIS ORDINATAE, ET CONSECRATAE nouiter, facto à Patre tuo Manegoldo S. Crucis monaſterio, tibique ſucceſſuris perenniter Abbatiſsis perpetuam in Domino ſalutem.

SACRAE deuotionis labor, quia ſemper diuino fauore iuuatur, ſemper optato fine terminatur. Ideo, Filia, tui Patris ampla in Deùm deuotio laudabilem fructum produxit: cùm pro portione ſanctæ, & viuificæ Crucis, in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſalus noſtra, pependit, decenter auro, & gemmis ornata, tunc ab Autocratore Conſtantinopoleos nomine Romano *dono data, cùm ad eum miſſum eſſet ab Imperatore Chuonrado, vt filiam ſuam nuptum traderet eius filio; fundauit Eccleſiam in petra: quia non ædificauit ſuper arenam; vt incumbẽtibus ventis, venientibus fluuiis, deſcendentibus pluuiis, quod ædificaſſet, rueret; ſed firmiter fundatum, perenniter permaneret.*

Vt

Vt verò votum ſuæ conſtructionis Deo ſolueret, ſecundum illum, qui dixit; Vouete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius affertis munera; *nos à Moguntina Synodo Romam verſus redeuntes, ad ipſum Dei templum venire inuitauit, quod à nobis III. Non. Decemb. merito honore dedicatum, ſic tandem iuri S. R. E. & beatiſſimo Petro Apoſtolo prompto donauit, & obtulit animo, téque filiam ſuam, quam iam Deo in monaſtica conuerſatione, & habitu ſacrauerat; eiuſdem, rogauit à nobis fieri Abbatiſſam, loci. Id, auſpice Deo, fecimus, attendentes, in te, quantum homini eſt poſſibile, timorem Dei, cordis compunctionem, mentis humilitatem, morum grauitatem, in adoleſcentibus membris prætendentem iam ſenectutem: & conſtituentes eundem locum eſſe in perpetuum Ancillarum Dei Monaſterium; vbi tu de te, & ſororibus tuis primas Deo primitias offeras Religionis, merita caſtitatis, omniſq́; bonitatis.*

Hoc tamen nomine noſtræ Apoſtolicæ ſedi, parens tuus, eandem fecit oblationem, vt, dum ipſe vivit, ipſius loci Aduocatiam *habeat; ſimiliter & poſt mortem ipſius, quem nunc habet, filius. Qui filius, ſi hæredem habuerit, ipſe quoque* Aduocatus *ſit. Si verò vel ipſi Manegoldo, vel eius filiolo, nemo filius ſuperſtes extiterit, tunc liceat Abbatiſſæ, ipſiq́; Congre-*

 gationi,

gationi, Aduocatum ſibi, ſecundum Deum, eligere, petendum tamen ab Apoſtolica ſede.

Lex verò omnium Aduocatorum poſt Manegoldum talis erit: vt, quiſquis eorum dignè non adminiſtrauerit, Aduocationis officium, liceat Abbâtiſſæ, ipſiqúe Congregationi de eo apud Papam conqueri. Qui, ſi vocatus ab eo fuerit, & Monaſterio ſatisfecerit, Aduocationem *ſuam retineat. Quod ſi venire diſtulerit, aut, ſi venerit, & non ſatisfecerit, tunc liceat Abbatiſſæ, ipſiq́; Congregationi ex conſenſu Papæ talem ſibi Aduocatum eligere, qui ſecundum Deum ſit. Poſt obitum verò tuum, de ipſa congregatione, quæ melior ſit, eligatur, ſi idonea inuenta fuerit, eáque donum & conſecrationem Abbatiæ à Papa recipiat: aliòqui de alia Congregatione idonea eligatur, à Papa ſimiliter donanda, & conſecranda.*

Decernimus præterea, vt in altari maiori, quod nos ipſi conſecrauimus, nullus audeat Miſſam celebrare, niſi ſit Epiſcopus, vel Abbas, tresq́; ſacerdotes hebdomadarij ad hoc officium deputati, eorumqúe ſucceſſores. Epiſcopus quoque, in cuius parochia locus eſt, nihil ſibi in eo vendicare audeat, præter ordinationem facere Clericorum, & Monialium, ſi tamen gratis fecerit. Sin autem; ordinationes expetent ab alio, quocunque velint, Epiſcopo.

Vt

Vt verò locus ipſe in Quadrageſimali tempore ſoluat Papæ annuam penſionem, ſtatuit idem Manegoldus, penſionem ipſam eſſe anabolagium, id eſt Fanonem, ſtolam cum auro, manipulum, & cingulum. Nos verò, quia locus ipſe conditus eſt propter eam, quæ ſupra dicta eſt, ſanctæ, & viuificæ Crucis portionem; eandem inibi ſemper manere volumus, cupimus, & optamus, & à nemine auferri, ſtatuentes Apoſtolica cenſura ſub diuini iudicij obteſtatione, vt nullus Imperator, nullus Rex, nullus Epiſcopus, nulla poteſtas, nulla præterea magna paruáque perſona, eandem viuifici ligni portionem ab ipſo Monaſterio audeat auferre quolibet modo, vel aliquid facere contra omnia, quæ ſuperius ſcripta ſunt; ſed nec etiam aliquid diminuere de bonis eiuſdem monaſterij, quæ modò habet, & vſque in æternum habebit, quolibet furto, quolibet raptu, quolibet alienationis modo. Id, qui præſumpſerit, donec dignè ſatisfecerit, anathema ſit. Qui verò pio intuitu cuſtos, & obſeruator huius noſtri priuilegij extiterit, à Domino Deo benedictionem conſequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. ✠

Datæ III. Non. Decemb. per manus Petri Diaconi Bibliothecarij, & Cancellarij ſanctæ Apoſtolicæ ſedis. Anno Domini Leonis IX. Papæ I. Indictione III.

NOTAE IN BVLLAM SANCTI LEONIS.

✠ Leo Epiſcopus] De more præfigendi Crucem vide Tom.1.de S.Cruce lib.2.cap.19. Iniit Leo Pontificatum anno Chriſti M.XLIX. exiit anno M.LIV. antea Bruno vocatus, Epiſcopus Tullenſis, ex familia Comitum Dagſpurgenſium. De quo lege Baronium ab anno M.XLIX. vſque ad annum M.LIV.

Gunderadę dilectę in Chriſto filię] Fuit hæc Gunderada Magnoldi, qui primus Monaſterium S.Crucis fundauit, & ſanctæ Crucis pretioſiſsimo theſauro locupletauit; filia, & prima erecti cœnobij Abbatiſſa, (nam Virginum is cœtus erat; non, vt hodie, virorũ) ab ipſo Leone IX. inſtituta & conſecrata, vt primis huius diplomatis verbis manifeſtè aſſeritur.

Facto à patre tuo Manegoldo S.Crucis Monaſterio) Fuit hic Manegoldus ſiue Mangoldus Comes Kyburgenſis, Diligenſis, VVerdenſis, VVitteſlingenſis. Obiit anno M.LIII. vt ex antiquis VVerdenſis Monaſterij monumentis annotauit R.P. *Georgius Beck*, Conuentus VVerdenſis Prior.

Cum pro portione ſanctæ & viuificæ Crucis] Diximus iam ad ſecundum Schirenſe diploma moris fuiſſe Eccleſias condere in honorem S.Crucis, pręſertim ſi quis particulam ſeu portionem quampiam de S.Cruce nactus eſſet; Vide Tom.1.de S.Cruce lib.1.cap.80.& 81. At Magnoldus templo non contentus, integrum Monaſterium in ſanctę Crucis venerationem exſtruxit; cuiuſmodi Monaſteria plura in Germania occurrunt, vt Auguſtæ Vindelicorum, in Auſtria, & alibi.

Tunc ab Autocratore Conſtantinopoleos] Ab Imperatore Conſtantinopolitano, cui *Romano Argyro* ſeu *Argyropulo* nomen erat; qui creatus eſt Imperator anno M.XXVIII. tenuitque Imperium vſque ad annum M.XXXIV. quo in fata conceſsit. De hoc Romano lege Ioannem Curopalatam, Cedrenum, & Zonaram. Vocat Leo Romanum *αὐτοκράτορα*; ita enim nominari volebant, quemadmodum & *βασιλεῖς*, quam appellationem Græci quidam occidentis Imperatoribus nullo pacto vt tribuerent, adduci iam olim potuêre, vt oſtendi in Defenſione lib.1. de Tranſlatione Imperij cap.11. & nuper quoque in Apologia Baroniana. Et exſtat contra hanc Græcorum ſeu iniuriam ſeu impudentiam epiſtola Apologetica Ludouici Iunioris Imperatoris

toris ad Baſilium Imperatorem Conſtantinopolitanum ſcripta Anno D C C C. L X X I. De qua in dicta Apologia pro Card. Baronio.

Cum ad eum miſſum eſſet Imperatore Chuonrado] fuit is Conradus hoc nomine primus, (alij ſecundum appellant) Salicus dictus in Romanorum Regem Anno Chriſti M. X X I V. electus; poſtea Anno M. X X V I I. à Ioanne X X. Pontif. Max. Imperator inauguratus; imperauitque vſque ad Annum M. X X X I X. quo ex vita exceſsit. Hic ergo Magnoldum Comitem Conſtantinopolim ad Romanum Imp. miſit. De anno legationis non liquet. Nam cum temporis ratione non cohæret, quod in narratione Hiſtorica de S. Cruce Donavverdam delata his verſibus canitur.

Sol medium cæli repetens adiecerat vni,
Mille, quater ſenos à partu Virginis, orbes.
Conrado cum res ſtaret Romana ſecundo
Imperium flectente ſacrum, qui regia quærens,
Auguſtos Nato thalamos, connubia Graia
Virginis ambibat.

Videtur poëta velle hanc legationem ſuſceptam fuiſſe Anno ſalutis M. X X I V. Quod ſubſiſtere nequit. cum Romanus Imperium Conſtantinopolitanum Anno Chriſti M. X X V I I I. demum obtinuerit. Probabilius eſt decretam hanc legationem Anno M. X X V I I. cuius Princeps exſtitit VVernherus Epiſcopus Argentoratenſis hoc nomine primus; & inter Epiſcopos Argentoratenſes Ordine trigeſimus octauus. De quo prædictus Poëta.

Conſilio res acta graui, lectiq; virûm par
Nobile, Pontificum VVernherus fama potentum
Accola quos vidit Rheni.

Porro in Annum M. X X V I I. hanc legationem incidiſſe, oſtendi poteſt ex VVipone in Vita Conradi Salici Imp. Poſtquam enim expoſuiſſet, quomodo Conradus Salicus Rex Anno M. X X V I I. 7. Kalend. Aprilis à Ioanne Pontifice coronatus fuiſſet, ſubiicit VVipo. *Eodem tempore,* nempe Anno M. X X V I I. *VVerinharius Argentinæ ciuitatis Epiſcopus, ab Imperatore legatus Conſtantinopolim mittitur. Qui, dum cauſa orationis Hieroſolymam pergere ſe fingeret; vt putauimus, iudicio Domini, quem fallere nemo valebit, mirabiliter prohibitus eſt. Nam dum magnum comitatum hominum, maiorem quoq; mutorum animalium, equorum, boum, ouium, porcorum, multasq; delicias ſeculares vltra modum ſecum educeret, perueniens in Vngariam, à rege Stephano contradicta eſt ſibi via, quod eo tempore nulli oratorum accidit.*

Inde reuerſus per Baioariam, cum omni comitatu ſuo pergens Italiam intrauit: & multum circa fines Veronæ moratus, tandem cum maximo labore per Venetiam, mare Adriaticum ingreſſus, nauigio calamitoſo Conſtantinopolim peruenit. Cumq; ab Imperatore Græcorum honorificè ſuſceptus eſſet, ſecumq; ſatis familiariter conuerſaretur, deſiderare cœpit, vt Imperatoris auxilio Hieroſolymam adiret: quo deſiderio, ſemper aliqua re intercedente, nunquam potiri valuit. Sequenti verò tempore obiit, & ſepultus eſt in eâdem Vrbe, & Epiſcopatum eius VVilbelmus Argentinenſis Canonicus ſuſcepit. Legationis tamen cauſam poſtea Imperator Græcorum, aureis literis Imperatori Chuonrado reſcripſit. Hæc VVipo.

Attigit eandem legationem Hermannus Contractus, & quem diximus annum diſertè exprimit. *Anno M. XXVII. VVerinharius Argentinæ Præſul Conſtantinopolim ab Imperatore legatus dirigitur, ibiq; inſequenti anno defunctus, VVilbelmum ſucceſſorem accepit.*

Nec obſtat, quod Leo Pontif. in ſua Bulla dicit; *miſſum ad Romanum ab Imperatore Conrado, vt filiam ſuam nuptum traderet eius filio*; quia dum, vt ex VVipone audiuimus, legati in via hærent, intercluſis itineribus, Conſtantinus Imp. moritur; ad quem ſine dubitatione initiò legatio deſtinata fuerat; & Romanus ſuccedit. Nec eſt inauditum, legatos Conſtantinopolim & alio miſſos, non inueniſſe illum, ad quem miſsi fuerant; ſed ſucceſſorem. Sæpe enim hoc accidit; vt & illud; Imperatorem vel Principem, ad quem legatio mittebatur, in præſentia legatorum prius vel mori, vel de Imperio deiici, quam Legati ſua negotia, quorum gratia venerant; conficerent. Nonne accidit hoc Legatis Caroli Magni ad Irenam Imperatricem, quæ, priuſquam Legati in Franciam reuerterentur, à Nicephoro imperiali honore exuta fuit? Quo factum eſt, vt negotia legationis miſſæ ad Irenam, oportuerit cum Nicephoro eius ſucceſſore tractare. Anno autem M. XXVIII. quo Romanus imperare cœpit, VVernerus adhuc Conſtantinopoli degebat, vtique cum collega ſuo Magnoldo: Nec tantum Conſtantinopoli degebat; ſed & illic viuere deſiit, vt VVipo & Contractus teſtantur.

Cur autem VVernherus ſimulauerit peregrinationem Hieroſolymitanam; cauſſa forſan erat, quod Imperator Conradus nollet ſciri, legationem abs ſe Conſtantinopolim miſſam eſſe; multoque minus cauſſam eius; ne, ſi fortè repulſam pateretur, aliis riſum & ludibrium deberet. Erat autem Henricus filius Conradi Anno Chriſti M. XXVII. decennis; nam anno Redemptoris M. XXVIII. quo Aquiſgrani Rex coronatus eſt; vndecimum agebat annum, teſte VVipone.

Vt filiam ſuam nuptum traderet eius filio) Quam filiam Romanus habuerit, non proditur ab Hiſtoricis. Itaque credibile eſt vnam ex filiabus Conſtantini à Conrado pro Henrico filio expetitam fuiſſe. Tres enim habuerat; *Eudociam, Theodoram, & Zoen*, quarum hæc vna cum Imperio *Romano* Argyropolo à Conſtantino eſt tradita: Deus certè Henricum, Conradi filium, clementer cuſtodiit, ne cum Zoë, teterrima & flagitioſiſsima femina, connubio copularetur. Quod igitur, mortuo Conſtantino, hæc matrimonialis tractatio, cum *Romano* Imp. marito Zoës acta eſſet; creditum eſt, filiam *Romani* à Conrado fuiſſe poſtulatam; quia *Eudocia & Theodora* pro filiis *Romani* reputari poterant; cum eas, mortuo patre, ſuam in tutelam recepiſſet: niſi quis contendat, Romano fuiſſe filiam, licet id ſileatur ab Hiſtoricis, ex quibus Zonaras dicit, eum ſexagenarium ad Imperij culmen prouectum eſſe; & multa, ſed incaſſum, tentaſſe, vt hæredem progeneraret. Fortè *filiæ* nomine ſignificatur *Romani* ex fratre neptis, quam Romanus magna cum dote Armeniæ Magnæ Regulo nuptum dedit.

Mirum eſt autem VViponem nec cauſſam huius legationis, neque quid *Romanus* reſponderit, pateſeciſſe; his paucis verbis omnia comprehendens, vel potius inuoluens. *Legationis* (Meurſius in Gloſſario Græcobarbaro legit; *negationis*) *tamen cauſſam poſtea Imperator Græcorum aureis literis Impìratori Chuonrado reſcripſit*; id eſt, per χρυσόβυλλον ſeu χρυσόβυλλον, per litteras, quibus aurea bulla affixa erat, reſcripſit. Itaque Conradus Imperator de ſpe Græcanici matrimonij deiectus, alio conſilia ſua, & felicius, vertit. Nam vt idem VVipo ſcribit, *Anno Domini M.XXXVI. Henricus Rex, filius Imperatoris, Cnittonis Regis Anglorum filiam, nomine Chunelindem pro Regina conſecratam, regalibus nuptiis in coniugium duxit*: quæ Anno M.XXXVIII. 15. Kal. Auguſti obiit, relictâ vnicâ filiola, vt idem VVipo ſcribit.

Fundauit Eccleſiam in Petra) Quia monaſterium S. Crucis primitus à Magnoldo fundatum, in monte ſitum erat, iuxta arcem Mangolſtein: poſtea in planitiem tranſlatum eſt vna cum ſancta Cruce; & tandem tertiò eum in locum, in quo hodie viſitur. Arx Mangolſtein Anno M.CCCVIII. 7. die Maij à VVerdenſibus funditus diruta eſt, ne quid libertati ciuium nocere poſſet. Excepto quodam ſacello quod Leo IX. conſecrauerat. Teſtantur Annales VVerdam ex hoc Monaſterio ſanctæ Crucis natam; vt & alias non paucas, nominatim S. Claudium, & S. Hippolytum in Burgundiæ comitatu. S. Gallum, & Campidonum ex Monaſteriis exſtitiſſe nemo inficiari poteſt: quibus tamen originis ſuæ exiguas grates hodie refe-

referunt, tranſitione ab auita fide ad Lutherum vel Caluinum facta.

Nos à Moguntina Synodo Romam verſus redeuntes) celebrata eſt hæc Synodus Anno M. XLIX. qui erat primus Pontificatus Leonis. De qua Hermannus. *Autumnali tempore Dominus Papa Synodum magnam Rhemis cum Galliarum Epiſcopis habuit; indeq́; Moguntiacum veniens, aliam Synodum, quadraginta propè Epiſcoporum coram Imperatore, & regni noſtri principibus celebrauit: & poſtea Alemanniam adiens, Augiæ feſtum S. Clementis, & Dominicam ante Aduentum Domini 6. Kalend Decemb. egit. Et per Auguſtam, Baioariamq́; tranſiens, Natalem Domini Veronæ coluit. Imperator verò ad idem feſtum in Saxonia manſit.*

Adam Bremenſis lib. 3. Hiſt. cap. 31. *Potentiſſimus Papa Leo pro corrigendis Eccleſiæ neceſſitatibus venit in Germaniam. Tunc habita eſt Synodus generalis apud Maguntiam, præſidente Domno Apoſtolico. Hæc Synodus facta eſt anno Domini milleſimo, quadrageſimo nono.*

Trithemius tamen & cum illo Serarius lib. 5. Rerum Moguntiacarum in Bardone Archiepiſcopo, referunt Leonis IX. in Galliam & Germaniam aduentum ad Annum Redemptoris M L.

Quod à nobis III. Nonas Decemb. merito honore dedicatum) Audiuimus antea ex Hermanno Leonem IX. per Auguſtam Bauariamque iter habuiſſe, cum in Italiam rediret, feſtumque ſancti Clementis, quod incidit in 23. diem Nouembris, & Dominicam ante Aduentum egiſſe in Augia, *maiore* ſcilicet ſeu *diuite*; quæ Dominica Aduentus tunc erat 6. Kalend. Decembres, inde vſque ad 3. Nonas Decembris, qui eſt tertius dies Decembris, Leo IX. commodiſsimè ad arcem Mangoldſtein ſitam, prope locum, vbi nunc Donavverda eſt, venire potuit.

Ancillarum Dei Monaſterium.) Initio Virginum Domicilium erat; in quorum locum poſtea, collapsâ diſciplinâ, & Monaſticæ profeſsionis rigore laxato, ſubſtituti ſunt Monachi ex ſancto Blaſio in ſylua Hercynia exciti, & quidem, vt Annales notant, Anno M. CI.

Quem nunc habet filius.) Eſt hic Magnoldus ſecundus, Comes Kyburgenſis, VVerdenſis, Dilingenſis, &c. Manſit eadem *Aduocatia* apud tertium & quartum Magnoldum primi illius nepotem & pronepotem.

Anagolagium.) Videtur legendum: *Anabolagium*, vel *Anaboladium* à Græco ἀναϐάλλεσθαι, quod eſt *ſuperinicio*, ſic appellabant amictum album lineum, qui quòd humeris imponeretur, *ſuperhumerale* etiàm voca-

vocabatur. Ita Onuphrius libell. de vocab. Eccleſiaſt. Sed cum in *Bulla* Leonis Anabologium expreſsè explicetur per *fanonem*, videtur hoc vocabulo potius ſignificari vexillum, eius generis, quod Germani vocant, ein Fahnen.

Quia locus ipſe conditus eſt propter eam, quæ ſupra dicta eſt, ſanctæ & viuificæ Crucis portionem.) Mandat Leo, vt hæc ſacroſanctæ Crucis portio perpetim in Monaſterio VVerdenſi maneat; dicto & lato in illos, qui quid contra tentauerint, anathemate. Nec deſunt diuinæ ſeueritatis & vindictæ exempla in eos; qui Crucem hanc furtiuis manibus harpagare conati ſunt; vt Annales VVerdenſes memorant.

AEternæ vitæ particeps efficiatur ✠.) Vides hic ſignum crucis terminare contextum Bullæ; prout antea eundem inchoarat. Solennis iſte priſcis mos erat, à cruce exordiri, & in crucem deſinere, & cum nomina ſubſcriberent, Crucis ſignum iiſdem vel præponebant, vel poſtponebant; vt diximus Tom. 1. de S. Cruce lib. 2. cap. 16. Et Teſtamentis Crucis ſignum vim roburque addebat, vt eod. lib. cap. 18. oſtendimus; Etiam apud Anglos, de quibus Ingulphus in ſua Hiſtoria. *Chirographorum confectionem Anglicanam, quæ antea vſq; ad Edvvardi Regis tempora fidelium præſentium ſubſcriptionibus cum crucibus aureis aliiſq; ſacris ſignaculis firma fuerant, Nortmanni condemnantes, chirographa chartas vocabant. & chartarum firmitatem cum cerea impreſſione per vniuſcuiuſq; ſpeciale ſigillum ſub inſtillatione trium vel quatuor teſtium adſtantium conficere conſtituebant.*

Leonis IX. Papæ I. Indictione III.) In numerum anni Pontificatus error irrepſit. Quod ex Indictione liquet: Nam tertia Indictio incidit in Annum Domini M. L. Qui eſt Annus ſecundus Leonis IX. non primus. Niſi quis dicere velit; Diploma hoc Leonis datum & exaratum non Romæ, ſed in arce Mangolſtein; eo ipſo die, quo Leo IX. Eccleſiam ſanctæ Crucis dedicauerat. Sed tunc erit quidem primus Leonis Annus, ſed vitioſa Indictio, quæ Anno primo Leonis erat II. non III.

Petri Diaconi Bibliothecarij) Eius mentio eſt in compluribus vetuſtis diplomatis à Leone IX. datis, teſte Alphonſo Ciaccono in Hiſtor. Pontif. in Leone IX. Signum Leonis IX. huic Bullæ ſubiectum eſt Crux incluſa gemino circulo; cuius peripheriæ inſcriptum legitur: *Miſericordia Domini plena eſt terra.* In ipſo circulo: Leo P. Ciacconus dicit Leoni aliâs pro *inſigni* fuiſſe Leonem nigrum in ſcuto octo liliis exornato. Notat autem idem Ciacconus Cle-

mentem II. & Damaſum ſecundum primos fuiſſe qui huiuſmodi Gentilitia ſtemmata & inſignia vſurpare cœperint; Et hos Leonem IX. imitatum eſſe; priſcis Pontificibus vix in vſu fuiſſe.

Sed quia Cruci VVerdenſi & illis, quæ hucuſque dicta ſunt, non parum lucis adfert Diploma Innocentij ſecundi Pontificis, illud quoque adſcribere placet.

INNOCENTIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI DILECTO IN CHRISTO FILIO DIETRICO ABBATI MONASTERII S. CRVCIS de VVerd, eiuſque ſucceſſoribus regulariter ſubſtituendis.

QVEMADMODVM ex geſtis prædeceſſoris noſtri S. memoriæ Leonis IX. Papæ didicimus, nobilis quondã vir Mangoldus de VVerde, deuotionis intuitu, Monaſterium in caſtro ſuo conſtruxit, quod B. PETRO Apoſtolorum Principi offerens, fecit in honore ſanctæ & viuificæ Crucis, per manus eiuſdem Romani Pontificis conſecrari, ſanctimoniales fœminas ibidem DEO ſeruituras inſtituit.

Factum eſt autem, vt eodem cœnobio per operam prauorum hominum diruto, atque deuaſtato, alter Mangoldus, iam dicti nobilis viri filius, ab Apoſtolica

ſtolica ſede obtinuit, vt ſibi licentia præberetur, idem Monaſterium ad alia loca transferre, ac per hoc, iuxta ipſum Caſtrum, in planitie terræ fundauit Eccleſiam, & ſanctimoniales ibi ad DEI ſeruitium deputauit. Quibus vtique tam religione, quàm numero decreſcentibus, tertius Mangoldus prædeceſſorem noſtrum egregiæ recordationis Paſchalem Papam humiliter adiit, & vt amotis ſanctimonialibus, in eodem loco monachi ponerentur, expetiit. Cuius petitioni Romanus Pontifex benignè conſenſit, & Gebhardo, quondam Conſtantienſi Epiſcopo tunc Apoſtolicæ ſedis legato per ſua ſcripta mandauit, vt videlicet de Cella ſancti Blaſij monachi aſſumerentur, & in eodem Monaſterio ponerentur. Quod, cum præfatus Epiſcopus impleuiſſet, idem locus tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, DEO gratiæ ſint, plurimum augmentatus eſt.

Quod igitur, dilecte fili Dietrice Abbas, à nobis humiliter poſtulaſti, vt idem Cœnobium, cui, DEO auctore, præſides, Apoſtolicæ ſedis priuilegio muniremus, nos, quorum præcipuè intereſt, loca, quæ ad ius S. Rom. Eccleſiæ pertinent, diligere, ac fouere, interuentu dilecti filij noſtri quarti Mangoldi illuſtris viri, tuis deſideriis benignitate debita duximus annuendum.

Per præſentis itaque priuilegij paginam Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, vt idem Cœnobium ab ipſis fundatoribus B. PETRO oblatum perpetuis temporibus ſub ſancta Romana Eccleſia tutela conſiſtat; & Ordo monaſticus, qui ſecundum B. BENEDICTI regulam, per iam dilectum prædeceſſorem noſtrum ibidem noſcitur inſtitutus, abſque ſexus varietate, ſeu mutatione in eôdem loco irrefragabiliter obſeruetur. Prohibemus etiam, vt diœceſanus Epiſcopus in eodem loco nihil audeat ſibi vendicare, exceptis conſecrationibus Altarium, vel Eccleſiarum, Ordinationibus Monachorum, ſeu etiam Clericorum, ſi tamen hæc ipſa vobis gratis, & ſine exactione, vel prauitate exhibere voluerit. Alioquin, quemcunque malueritis, Catholicum adeatis Antiſtitem, ab eôdem, quæ ad ſpiritualia pertinent, ſuſcepturi. Sepulturam quoque ipſius loci liberam fore decernimus, vt videlicet eorum, qui ſe illic ſepeliri deliberauerint, deuotioni, ac ſupremæ voluntati, niſi fortè excommunicati ſint, nullus obſiſtat, ſalua nimirum iuſtitia matris Eccleſiæ.

Decernimus igitur, vt nulli omninò hominũ liceat portionem ligni viuificæ Crucis, quæ in eôdem loco recondita eſſe creditur, pro cuius honore veſtrũ cœno-

cœnobium factum eſt, exinde amouère, vel quidquam ex his, quæ iam dictus prædeceſſor noſter Leo Nonus eidem firmauit Eccleſiæ, quæúe in præſentiarum canonicè poſſidetis, aut in futurum conceſſione, largitione Imperatorum, vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis iuſtis modis, præſtante Domino, poteritis adipiſci, firma vobis in perpetuum, & illibata ſeruentur. Ad indicium autem, quod Monaſterium veſtrum iuris ſit B. Petri, vnum aureum ſingulis annis nobis, noſtrisq́ ſucceſſoribus perſoluetis.

Si qua igitur in poſterum Eccleſiaſtica, ſecularisúe perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam, ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundo, tertiòue commonita, ſi non reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honorisq́ ſui dignitate careat, reamq́ ſe diuino iudicio exiſtere, de perpetua iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen, Amen.

Ego INNOCENTIVS Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

✠ *Ego WILHELMVS Præneſtinus Epiſcopus.*

✠ *Ego GERHARDVS Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hieruſalem.*

Datæ Piſis per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarij XIII. Kal. Iulij, Indictione XIII. Incarnationis Dominicæ, Anno M. C. XXXVI. Pontificatus Domini Innocentij Papæ II. Anno VI.

Circa hanc Innocentij Bullam nihil aliud notandum occurrit, quam annum Chriſti M. C. X X X V I. ſtatui à Baronio annum ſeptimum Pontificatus Innocentij II. Aimericus ſeu Haimericus per cuius manus Bulla hæc data dicitur, fuit Diaconus Cardinalis S Mariæ Nouæ, & Cancellariatus munere functus eſt ab anno primo Pontificatus Innocentij II. vſq; ad annum XII. vt ſcribit Alfonſus Ciacconus in Innocentio II.

Multa alia priuilegia tam per Bullas Pontificum; quam per conſtitutiones Imperatorum VVerdenſi Monaſterio conceſſa ſunt, idq; ob honorem & reuerentiam ſanctæ Crucis; quas hic percenſere, nil attinet.

Iſtud non eſt omittendum; ingentem olim, cum priſca pietas in Germania adhuc floreret, ad hanc Crucem factum eſſe omnium hominum concurſum. Præſertim feſtis *Inuentæ* & *Exaltatæ* Crucis, & die, quo Templi S. Crucis dedicatio peragebatur. Multis miraculis claruit. Commemorabile eſt illud, quod contigit anno Redemptoris M. CCC. XVII. IV. Kalend. Febr. cum oppoſitu S. Crucis ſæuiſſimum incendium reſtinctum eſt, ad eum fermè modum, quo S. Paulinus olim ſimilis portionis de ſancta Cruce obiectu, populabundis flammis terminum fixit, ne vltra progrederentur: de quo lege cap. 85. lib. 1. de S. Cruce de Tomo 1. certè ob crebritatem miraculorum, quæ virtute huius Crucis edebantur, fecit quidam patrum memoria hos verſiculos leoninos.

Crux pia VVerdenſis, non præterit horula menſis,
Quin radiet dignis per ſex nunc ſecula ſignis.

Hæc breuiter de S.Cruce, quæ VVerdeæ aſſeruatur & colitur; quam ex Græcia allatam eſſe, res ipſa loquitur, cuiuſmodi plura monumenta in Germaniam noſtram venerunt vel donatione Græcorum, vel occaſione bellorum cum Græcis geſtorum, maximè quando Conſtantinopolis à Flandris & Venetis occupata eſt. Ex quibus etiam vnum eſſe videtur illud, quod Apianus in Germaniæ Inſcriptionibus extare teſtatur in Monaſterio Laureacenſi, vulgò *Lorch*, iuxta ciuitatem *Ens*, quod eſt *Theca* Reliquiis Sanctorum referta. Inter quas nominatim fragmentum de S.Cruce ineſſe fertur. In cuius tergo leguntur iſti Iambi Græcanici.

* φίλης τὸ λαμπρὸν καὶ σοφὸν τὸ τῆς τέχνης *Leg ὕλης.
Κάλλους τὸ τερπνὸν, σχήματος τὸ ποικίλον,
Τῶν ἔνδον ἡ βλύζουσα θαυματουργία,
Τοῦ δημιουργήσαντος * ὀξέων πάθος *ὀξὺ ὄν.
Ὑπερφέρουσι τῆς κιβωτοῦ * τὸ πάλαι *τῆς.
Ὅσῃ γὰρ αὐτὴ τῶν πάλιν * ἐξῃρημένα *αὐτὰ. *ἐξῃρημένων.
Μείζων, τοσούτῳ πίστις ἡ * θεοφάνου *θεοφανοῦς.
Προσευχητικὸν σκήνωμα τῶν αἰτημάτων
Τεύξασα * καλλωύασα τοῦτ' ἐπὶ πόθῳ *καλλύνασα.
Εἰς ψυχικὴν κάθαρσιν εἰς βίου σκέπην.

Materia ſplendor, & elegantia artis,
Pulchritudinis iucunditas, & figura varietas,
Et eorum, quæ intus aſſeruantur, patratio miraculorum,
Creatoris acerba paſſio,
(Hanc capſellam) *efferunt ſupra veterem arcam;*
Quanto enim iſta iis quæ antiquitus electa,
Maiora ſunt, tanto (maior eſt) *fides Theophanonis*
Quæ hoc orationi aptum tabernaculum ad preces
Conſtruxit & exornauit cum deſiderio
Ad animæ expurgationem, & vitæ protectionem.

Sed quæ hæc Theophano? Num vxor Leonis VI. Imperatoris, quæ à ſanctitate celebratur? Num coniunx Ottonis II. Imper. mater Ottonis III. quæ ipſa quoque eximiæ ſanctimoniæ laudem tulit. & hanc, ſtirpe etiam & domo Græcam, huius Thecæ lipſanophoræ conditricem eſſe, longè procliuius eſt credere, quàm illam alteram.

In eodem Volumine non procul à fine profert Apianus Crucem; ſub cuius ligno tranſuerſario hæc verba leguntur *σταυρὸς τοῦ κυρίου τριῶν ξύλων κυπαρίσσου, καὶ πίτυος καὶ κέδρου. Crux Domini tribus lignis conſtat;cypariſſo. pinu,cedro.* Supra locum, vbi crux fixa. *πέτρα ἣν ὁρᾷς ἐστὶ βάσις τῶν πιστῶν τοῦ κόσμου. Petra,quam vides,eſt baſis fidelium mundi.* Supra locum,vbi Christus
* πρὸ αἰῶνος. crucifixus. *ὁ θεὸς βασιλεὺς ἡμῶν * πρὸς αἰῶνας εἰργάσατο (σωτηρίαν) ἐν μέσῳ τῆς γῆς. Deus Rex noſter operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Hæc,inquit Apianus, *Melanchthon reperit in Bibliotheca Tubingenſi,&c. quo ſit fides, eſſe eò collatam ab aliquo ex his, qui cum Eberhardo Probo VVirtenbergenſi Duce Hieroſolymis fuerunt.*

Non eſt hoc loco prætereunda inſignis illa Crux de ligno Crucis Dominicæ confecta, quæ in cathedrali Eccleſia Ratisbonenſi aſſeruatur; quia Schirenſem & Donavverdenſem magnitudine, hoc eſt, longitudine & latitudine ſuperat,gemino itidem tranſuerſario ligno conſtans, pro more Crucium, quæ ad Crucem Patriarchalem Hieroſolymitanam efformatæ ſunt: quæ vt maximæ,ita & pretioſiſsimæ variiſque gemmis, vnionibus,imaginibus & emblematis eleganter exornatæ Cruci incluſa eſt; ita vt altera pars huius Crucis imaginem Chriſti crucifixi; altera ipſam Crucem ſacratiſsimo primæ Crucis ligno fabrefactam repræſentet. Supra caput Crucifixi hæc epigraphe exſtat. REX OTAKARVS ME FECIT. Eſt iſte Ottacarus quintus ex Bohemiæ Regibus, de quo multa Aeneas Sylvius in Hiſtoria Bohemica cap.27. & alij ſcriptores paſsim. Sed qua occaſione hæc pars de ſancta Cruce, cui aſſeruandæ Crucem iſtam, ſummi & pretij & artificij Ottacarus faciendam curauit, ad Ottacarum peruenerit, & quomodo ab hoc ad Ratisbonenſes;indagare non potui. Ipſam quidem Crucem, ea, qua eſt magnitudine, cum omnibus ornamentis & additamentis ſuis depictam, ad me miſit Reuerendiſsimus in Chriſto Pater & Dominus,Doctor *Quirinus Leoninus*, Eccleſiæ Cathedralis Ratisbonenſis Præpoſitus, &c. Et certè digniſsima eſt,cuius ectypon oculis lectorum exhiberetur,adiunctis notationibus.Sed id in præſenti præſtare opis noſtræ non fuit, quandoquidem iis, quæ ad hoc neceſſaria ſunt, deſtituti fuimus.

Ex ligno quoq; Crucis Dominicæ confecta fuit illa Crux, quam in Sacello S.Heliæ reperit Rex Angliæ Richardus, de qua Rogerus in Annalibus Anglicanis. *Perrexit* (Richardus Rex Angliæ) *ad Capellam S.Eliæ. quæ diſtat Hieroſolymis per tres leucas; & inuenit ibi Crucem quandam de ligno Domini ſigillatam infra murum Capellæ, quæ vocabatur Crux Syriorum; & aſportauit eam.*

Reperta

Reperta eſt in celebris Fürſtenfeldenſis Monaſterij Bibliotheca Crux, ibidem ante ducentos annos à quodam religioſo, doctoque monacho, miro artificio conſcripta: eam Auguſtæ Vindelicorum Philippus Vlhardus typis expreſsit. Illa hoc conſtat iconiſmo: Tres Angeli, à latere duo, tertius ſupra eam paſsis palmulis tenent. Baſis Chriſto coronato velut pondere Crucis preſſo incumbit. Hoc autem conſtat diſticho:

CRVX SACRA TE RECOLO, CRVX TE BONA SEMPER ADORO.
CRVX RELEVES INOPEM, CRVX PIA CONFER OPEM.

Quod quidem diſtichon vncialibus eiuſcemodi literis nigris rubriſue inſcripta cernitur, legiturque quinquies. Initium lectionis fieri debet è corde Crucis, grandiore litera C. expreſſa: & legi debet, hexameter quidem ſurſum primo, deinde deorſum: pentameter verò, ad vtrumque latus. Dubio procul pius hic, vereque doctus religioſus Anonymus Ordinis S. Bernardi, ad imitationem huius ſui parentis, ſingularem erga quinque Chriſti vulnera, in Cruce pro nobis ſuſcepta, & in reſurrectione retenta, deuotionem habuit; huncque pium ingenij luſum hoc nomine confecit.

Ex his verſibus, Crux iſta conſtat.

Crux ſacra te recolo, Crux te bona ſemper adoro:
Crux releues inopem, Crux pia confer opem.

OLOCECOLO
OCERECO
ERERE
RETER
ETATE
TARAT
ARCRA
RCACR
M CASAC M
EP ASXSA PE
POREFNOCAISXVXSELEVESINOP
OREFNOCAIPXVRVXRELEVESINO
REFNOCAIPXVRCRVXRELEVESIN
OREFNOCAIPXVRVXRELEVESINO
POREFNOCAITXVXTELEVESINOP
EP ETXTE PE
M BETEB M
OBEBO
NOBON
ANONA
SANAS
ESASE
MESEM
PMEMP
EPMPE
REPER
ARERA
ODARADO
ORODADORO

Reperta in veteri Fürſtenfeldenſium Bibliotheca, & ibidem ante ducentos annos, à quodam religioſo Monacho, miro artificio conſcripta.

CORONA

CORONA FERREA MODOETIENSIS.

ANNO Chriſti M.DC.IX. edidit *Bartholomæus Zucchius* Modoëtienſis, vir perquam eruditus, inſignem Commentarium, Italica lingua, de *Theodelinda*, Regina Longobardorum, quæ origine ac ſanguine Boia, ſeu, vt hodie loquimur, Bauara fuit. & alterum, quem inſcripſit: Breuem Hiſtoriam de *Corona Ferrea*, cum catalogo Regum ac Imperatorum, qui Modoëtiæ & alibi hac corona coronati ſunt.

In priore libro cap.10. ſcribit, S.Gregorium Magnum, vt Theodelindæ in Eccleſiam ſummis meritis aliquam gratiam referret, miſiſſe ad illam muneri Crucem auream, (quam *Regnum* indigitent) *omni ex parte vno palmo longiorem, gemmis inſigniter diſtinctam; & ligno itidem de ſancta Cruce nobilitatam*: Quæ adhuc Modoëtiæ in theſauro Eccleſiaſtico aſſeruatur, vt cap.40. exponitur: Præterea, CORONAM FERREAM, olim Conſtantini Magni; in qua vnus ex clauis, quibus Redemptor noſter Cruci ſuffixus fuit; qua primus omnium redimitus eſt Agilulfus, Longobardorum Rex, Theodelindæ maritus. Scriptores Mediolanenſes, inquit Sigonius lib.1. de Regno Italiæ, *patrios ſecuti Annales aſſerunt, coronam Agilulpho primò impoſitam fuiſſe, auream illam quidem, verum circulo ferreo interiore intextam, vnde poſt* Ferreæ Corronę *Italico Longobardorum in Regno enituit*. Et hunc circulum ferreum interiorem, quem Sigonius *coronæ* intextum ſcribit, aiunt eſſe clauum ex illis vnum, quibus Saluator in Cruce affixus eſt; idque tam manifeſtum eſſe Zucchius dicit, vt eos, qui contrarium ſentiunt, aut *inopia iudicij, aut inuidiæ tabo laborare pronunciet*: nec aliam hanc coronam arbitratur, quàm illam Conſtantini Magni, cui S. Helena clauum Dominicum intexuerat, vt teſtatur ſanctus Ambroſius orat. in funus Theodoſij Imperatoris.

Et quidem hanc Coronam à S.Gregorio ad Theodelindam Reginam perueniſſe, Sigonius his iterum verbis affirmat. *Loco* (Modoëtiæ) *acceſſit dignitas, poſtquam Corona ferrea ibi cuſtodiri, atque ea ibi coronari Reges ſunt cœpti. Sic enim Mediolanenſes produnt Annales, Mediolanenſem Archiepiſcopum eo iure à Pontifice Gregorio decoratum, vt vacante Italiæ regno, ipſe poſt quatuordecim dies, ſuffraganeorum ſuorum concilium aduocaret, atque ex eorum ſententia regem conſtitueret, eumquè corona ferrea à Theodelinda inſtituta Modoëtiæ redimiret. Quod ius à Rege vllo Longobardorum vſurpatum, Paulus*

nuſquam oſtendit. imò morem eis fuiſſe ait, vt haſtam regi declarato porrigerent. Verùm ne auctoritatem prorſus Mediolanenſibus abrogem, illud facit, quòd coronam hanc ferream poſt Carolum Magnum omnibus Italiæ regibus video deinceps fuiſſe ſolennem. Et, quod hoc muneris Gregorium Theodelindæ petenti tribuiſſe non ſit abſonum, vel vt gratiam reginæ referret, cui plurimum ſe debere ipſe in epiſtolis confitetur, vel vt Archiepiſcopo acceſſionem dignitatis adiungeret.

QVARTA

QVARTA PARS

HORTI S. CRVCIS.

In qua continetur Epiſtola

IACOBI DE VITRIACO, EPI-SCOPI ACCONENSIS DE CAPTA à Chriſtianis Damiata, vrbe munitiſſi-ma, Ægypti claue.

Nunc primùm

In lucem ex veteri codice M S. edita.

LECTORI.

TERTIÆ editioni primi Tomi de S. Cruce adiunximus librum tertium IACOBI de VITRIACO de capta à Chriſtianis Damiata in Ægypto; antea ineditum & incognitum. Interea Antuerpia ad me miſit *R. P. HERIBERTVS ROS-VVEIDVS* Societatis noſtræ Codicem quendam calamo exaratum; in quo erat liber ille, quem Reinerus Reineccius titulo *Chronici Hieroſolymitani* euulgauit, ſine Auctoris nomine. Ex cuius inſpectione hoc operæpretium retuli; quod verum operis illius parentem reperi, & quidē ex inſcriptione; quæ talis eſt. *Incipit Hiſtoria Hieroſolymitana expeditionis, edita ab Alberto Canonico ac Cuſtode Aquenſis Eccleſiæ, ſuper Paſſagio Godefridi de Bullione, & aliorum Principum.*

Ad calcem eiuſdem Codicis erat hæc, quam hîc tibi repræſento, epiſtola; Et quia arbitror eam in publicum nunquam veniſſe; nolui, vt diutius in tenebris deliteſceret, nam luce & lectione digna eſt cum propter Auctorem, tum propter argumentum. Menda, quæ nos emendare nequiuimus, corrigenda reliquimus illis, qui in exemplar purius ac integrius inciderint.

Nunc Epiſtolam audiamus; quæ preſſius & conciſius memorat, quod tertius Hiſtoriæ Orientalis liber, copioſius exſequitur; quem fermè integrum tranſtulit in ſuam Hiſtoriam Matthæus Paris in Henrico Tertio fol. 289. vſque ad fol. 297. Ex quo nōnulla editionis noſtræ mendā emaculare licebit; nominatim illud fol. 297. de Friſone quodam: *ſiniſtra manu circumferente ancilla ſpeculum ferreum; & vibrante illud*: Legendum; *Ancile, ſpiculum ferreum.* Ita etiam Matthæus fol 289.

Et manu ſiniſtra circumducens ancile, dextra lanceam vibrat & ferrum.

Fol.309.v.23. Editio ita habet. *Vnde factum eſt, vt conuincti ſunt, culpis exigentibus*, &c. Videbatur legendum: *Conuicti ſint.* Sed videntur nonnulla deeſſe; nam hunc locum ita repræſentat Paris: *Sed illis tandem praualentibus, qui decreuerant immutabiliter cum Soldano certamen inire, in die decollationis ſancti Ioannis Baptiſtæ, ad caſtra Babyloniorum ita, licet diſcordes, confluebant, vt vix inuenirentur viri, qui in obſidione vrbis remanerent. Tandem inter mare & flumen, vbi dulcis aqua reperiri non poterat ad bibendum, proficiſcentes*, &c. Sed omnia conſtabunt, ſi legas; *Vnde factum eſt, vt conuicti, culpis exigentibus*, &c. Conuicti nimirum importunitate eorum, qui cum Soldano totis caſtris pugnandum cenſebant. Ibid.v.29. *Diuerſa fronte nolle confugere.* Matth.Paris: *quod appareret aduerſarios nolle directa fronte confligere.* Quod verum & rectum eſt.

Fol.300.v.36. *diuulſus eſt ad pedem turris aquis profundis & vndique circumfluentibus anguſtum, ſed malleis ferreis ianuam turris aggreſſi ſunt fideles, &c.*

INCI-

INCIPIT EPISTOLA MAGNI IACOBI ACCONENSIS EPISCOPI, MISSA AD RELIGIOSOS, FAMILIARES, ET NOTOS SVOS IN Lotharingia exiſtentes, de captione Damiatæ.

DILECTISSIMIS IN CHRISTO FIDELIBVS FRATRIBVS MAGISTRO IOANNI DE NIVELLA, ET CAETERIS; IACOBVS diuina permiſſione Acconenſis Eccleſiæ miniſter humilis,

Iugum Chriſti ſuaue cum gaudio, & vnanimitate portare.

CONFITEANTVR *Domino miſericordia eius, & mirabilia eius* *Pſal.106.* *filiis hominum; qui portas æreas contriuit, & vectes ferreos confregit: ſubiecitq́; populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris,* ciuitatem paganorum gloriæ, & ciuitatem fiduciæ incredulorum, ciuitatem munitiſsimam, & inexpugnabilem, & à multis regibus, & populis pluries obſeſſam, ſed nunquam ſuperatam: in diebus noſtris ſanctæ Eccleſiæ, & exercitui Chriſtianorum ſubiecit, *& cornua peccatorum confregit,* aperiens nobis oſtium magnum, ad ſubiugandos infideles, & ad ampliandum Chriſti imperium; &, vt captis & eiectis vulpeculis Vinea Domini Sabaoth, quaſi nouella plantatio, propagetur, & faciat vuas, q̃ faciebat labruſcas: &, vbi toties inuocatũ eſt nomen maledictũ perfidi Machometi nomen abominabile, ꝙ os dæmonis nominauit; à modo inuocetur nomen benedictum IESV Chriſti glorioſum, quod os Domini nominauit: vt cognoſcant AEgyptij Dominum, & conuertantur ad ipſum; vt ab Occidente ad Orientem lumen veritatis reconuertatur. *Non enim eſt Deus noſter, vt dij eorum, & inimici noſtri ſunt iudices,* videntes virtutem Domini,

Lege Tom.2 de S. Cruce lib.2. cap.29.

Pſal.46.

Pſal.74.

Deut.32.

& mirabilia eius in captione Damiatæ. quod, qualiter factum ſit, & quam miraculosè, prædicabo.

Igitur cum ex parte liciarum noſtrarum, & foſſati noſtri pluries impugnaſſent nos Saraceni, & nihil profeciſſent; ſed multis ſuorum interemptis, confuſi receſsiſſent, ad ſolita ſua peruerſitatis arma recurrentes, verbis pacificis, & doloſis noſtros decipere, & circumuenire tentauerunt; & multa nobis promittentes, ſi recedere, & obſidionem Damiatæ relinquere vellemus: quæ magna, in ſuperficie iis, qui minus cauti erant, videbantur.

Nam primò promiſerunt; quòd S. Crucem, & terram planam cum ciuitate Hieruſalem, & Sepulchro Dominico, & omnes, quos in poteſtate habebant, Chriſtianos, redderent; & pecuniam, pro muris Hieruſalem reparandis nobis darent.

Secundò, caſtrum quoddam, quod iuxta ciuitatem Tyri ſitum eſt, quod *Turo* dicitur, cum quibuſdam munitionibus aliis, ſcilicet Sephet, & Beafort cum Belinis, cuius muros deſtruxerunt, nobis reddere promiſerunt. Caſtrum autem munitiſsimum, ſcilicet Craccum, & Montem regalem volebant retinere: ſed pro illis annuum nobis cenſum dare promittebant: quod multis ex peregrinis noſtris magnum & ſufficiens videbatur.

Hi autem, qui experimento fraudes verſipellium cognoſcebant, & maximè Templarij, & Hoſpitalarij, & ſanctæ MARIAE Alemanorum, Dominus etiam legatus, cum Patriarcha, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cum vniuerſitate cleri; & quædam pars peregrinorum verbis eorum ſeductoriis nullum præbebant aſſenſum: eò quòd intenderent Saraceni ſub occaſione ſimulatæ pacis, exercitum Chriſti diſsipare: vt recedentibus peregrinis, qui nobiſcum erant, & aliqui, qui hoc audierunt,* non venturum, terram planam recuperauerunt, & Hieruſalem cum Monte Thabor, & aliis caſtris, collecta contra nos multitudine, cum fortitudine ſua recuperarent. Crucem verò ſanctã eos nõ habere credebamus, cũ Saladinus, & alij Saraceni, recuperata à noſtris Acconenſi ciuitate, eam diligentiſsimè quæſiſſent, vt captiuos ſuos à morte liberarent, & inuenire non poſſent: ſed facta contra nos diſcordia, & diuiſio [eſt,] quod & ipſi Saraceni intendebant, & modis omnibus procurabant.

* Locus corruptus ſort. *Non venirent; ſed terram planã recuperarent, &c.*

Conſiderauit autem Dominus Legatus, vir cautus & prouidus, & in negotiis Domini peragendis vigil, quod hæc diſſenſio & morã maximam pariebat, & periculum maximum, & quod gratia DEI abutebantur, cum Dominus nobis ciuitatem offerret. Sed his, qui in ciuitate erant, partim mortuis, partim ægrotantibus, fame & inedia tabeſcen-

beſcentibus,adeò,vt in ea pauci remanſiſſent, qui ciuitatem poſſent defendere;Soldanus die,noctúque tam per terram,quàm per aquam nouos in ciuitatem mittebat pugnatores.

Vnde Dominus Legatus non ſuſtinuit amplius exſpectare, paucis tantum de ſuis,quod conceperat,reuelauit; ne quidam ex noſtris malitiosè inſultantes impedirent; & ne hoſtium exploratores hoc ſecretum eis intimarent; ante autem mediam noctem conſurgens cum militibus, & conuenientibus ſuis, ad foſſatum ciuitatis deuenit: Saraceni autem quendam pontem deſtruxerant, quo mediante, ad primum vrbis murum; & eiuſdem muri portam erat acceſſurus. Legatus verò cum ſuis ſcalis, & aſſeribus pontem iuſsit reparari. Moxque tranſeuntes, ipſam portam combuſſerunt. Deinde feſtinanter per medios ignes tranſeuntes, inter duos muros ſeſe receperunt: Et primi murum,portâ ſuccenſâ, ſcalas applicantes, aſcenderant,alij verò per medios ignes per portam tranſierunt. Ciues autem in ſtuporem, & puſillanimitatem conuerſi, & confracti viribus, & de defenſione deſperantes,modico conamine reſtiterunt. Vnde factum eſt, vt nullus ex noſtris interemptus,paucis tantum leuiter vulneratis,de Saracenis verò pluribus interfectis, Devs in manus noſtras miraculosè tradiderit ciuitatem.

Igitur Nonis Nouembris, Saluatore mundi regnante, Domino Petro Albanenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis legato, ſolenniter vigilante, Anno gratiæ, M. CCXIX. capta eſt Damiata abſque deditione ſine defenſione, ſeu violentia, ſine deprędatione, vel tumultu, vt ſoli Filio Dei euidens adſcribatur victoria, qui populo ſuo ingreſſum in AEgyptum aſpirauit, & ibidem vires inſtaurauit: gloriam ſuam alteri non dedit: Triumphum verò ſanctæ Romanæ Eccleſiæ contulit.

Quidam verò ex noſtris, qui propriam gloriam quærebant, & iam contentiosè de ſpoliis, & partitione ciuitatis inter ſe agebant, ſuo more, gloria Dominus eos priuauit. Illuceſcente namque die, videns Soldanus, & exercitus eius vexilla noſtra ſuper turres & mœnia ciuitatis erecta, ingenti terrore concuſſus, cum mœrore fugiens, caſtrum cum ponte, quem ſuper fluuium fecerat, combuſsit; certiſsimè ſciens, quod Deus reprobatis, & confuſis Saracenis, pro nobis miraculosè pugnaſſet. Cum enim menſe Februario in die S. Agathæ Virginis fluuium Nili (qui alio nomine dicitur Gion) fugientibus Saracenis tranſiremus, & vndique ante Damiatam, tam per terram, quàm per vtramque inſulam cingeremus,

mus, pluſquam ſexaginta Saracenorum millia intra muros ciuitatis remanſerunt incluſi. Poſt nouem verò menſes, ipſis Nonis videlicet menſis Nouembris, capta ciuitate, vix tria ex eis millia inuenimus. Inter quos vix centum remanſerant ſani, qui poſſent defendere ciuitatem. Dominus enim peſtilentia percutiens aduerſarios, gladium euaginauit poſt eos, adeò, quod cum ingrederemur ciuitatem, tot inuenerimus mortuorum cadauera ſuper terram, quòd pauci, qui remanſerant, viui, ob intolerabilem fœtorem, tot mortuos ſepelire non poterant.

Purgata autem ciuitate, Dominus Legatus cum Patriarcha, & vniuerſo clero Acconenſi, cum candelis & luminaribus, cum hymnis & canticis, cum laudibus & gratiarum actione, in die Purificationis Beatæ MARIAE proceſsionaliter ingreſſus eſt ciuitatem. Fecerat autem Dominus Legatus parari magnam Baſilicam; in qua, ad honorem B. VIRGINIS cum magna populi deuotione celebrauit. In qua etiam Sedem Archiepiſcopalem inſtituit, multis etiam aliis intra ciuitatis ambitum conſtitutis Eccleſiis, eiecto perfido Machometo, diuinum officium diebus, ac noctibus, ad honorem DEI, & ſanctorum eius iugiter adimpleuit.

Inuenimus autem in ciuitate pauca valde victualia. Aurum verò, & argentum, pannos ſericos, cum veſtibus precioſis, & aliam multam ſupellectilem repetimus. Sed quoniam multi fures, & latrones, & ſolo nomine peregrini in captione verſati, in exercitu noſtro tunc temporis erant; Saraceni autem maximam pecuniæ partem in terra abſconderant, & in aquam proiecerant; vix ad vtilitatem communitatis quadringentorum millium Bizantinorum precium colligere, & inter noſtros diuidere potuimus. Idcircò nimirum & ſcandalum, rixæ, & contentiones exortæ ſunt in populo inſipienti & indiſciplinato: de captis verò Saracenis, quos in ciuitate reperimus, quadringentis melioribus, & ditioribus retentis, vt captiuos noſtros, facta commutatione, pro ipſis recuperare poſſemus: omnes, eo quòd ſumptuoſum eſſet nimis, tot homines paſcere, vendidimus Chriſtianis, vt ſeruirent eis in perpetuum, exceptis paruulis; quos ego cum labore magno, & expenſis feci reſeruari; quibus baptizatis pluſquam quingenti poſt baptiſmum ad Dominum primiciæ DEO, & Agno tranſierant. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Virgines enim ſunt: & ſequuntur agnum quocunque ierit.* Alios autem præter illos, quos retinuimus, quibuſdam amicis meis, vt eos iuuarent, & ſacris literis ad cultum Dei imbuerent, commiſi.

Apoc. 14.

De

De conſenſu verò peregrinorum, Dominus legatus Dominium ciuitatis cum pertinentiis ad amplificationem Hieroſolymitani Regni Regi Hieroſolymitano in poſſeſsionem perpetuam contulit: domos verò ciuitatis cum quibuſdam tractibus, ſecundum varias nationes, quæ ad Elam fuerant, diuiſerunt peregrinis; Erant autem in ambitu primi muri viginti & octo turres maiores, exceptis minoribus, quorum munimine inexpugnabilis erat ciuitas: niſi eam Dominus miraculosè populo ſuo tradidiſſet Chriſtiano; nec ſolùm iſtam, ſed ciuitatem Thaneos cum caſtro adiacente octo turres inexpugnabiles habente, quòd ex nulla parte poſſet obſideri, non minori, vt dicitur, miraculo nobis Deus ſubiecit. Ciuitas autem Thaneos cum ſua diœceſi ſub Damiata Metropoli continetur.

Sed ne triumphum viribus noſtris, vel noſtræ multitudini poſſemus adſcribere, vt humiliaremur, & cũ Propheta confiteremur, *non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me; Dominus eſt, qui humiliat, & ſubleuat*: multis tribulationibus ad purgationem peccatorum, & maiorem coronam electorum: antequam traderet ciuitatem, populum ſuum permiſit affligi. Dum enim multitudine magna tam equitum, quàm peditum die quodam noſtri contra Soldanum exirent ad pugnam, tanquam nil timentes, ſed in ſua fortitudine confidentes, non proponentes *Deum ante conſpectum ſuum*: non cum humilitate, ſed cum ſuperbia & elatione, multi propter lucrum temporale contra hoſtes perrexerunt: Soldanus, qui primus per experientiam didicerat, quòd pauci de noſtris, dum ponunt Deum adiutorem ſuum, multos ex ſuis abſque magna difficultate ſuperaſſent, non eſt auſus exercitum noſtrum expectare: ſed paulatim noſtris ſubſequentibus, cum omni ſupellectili ſua fugiendo cedebat. Cùm autem intra foſſatum, quo Soldanus caſtra ſua cinxerat, exercitus noſter perueniſſet, pauliſper tanquam feſsi ex tunc noſtri ſubſiſtentes pauſauerunt; tuncque- - - - - - - - inimicis verò tum inſequentibus, noſtrorum quidam terga vertentes nõ fugati fugerunt: quod videntes quidam ex noſtris militibus, corde conſtantes, & de fuga ſuorum admirantes, & nimium dolentes, vt à poſteriori exercitum cuſtodirent, ordinati, conſertis aciebus, ſecundum ordinem & militarem diſciplinam paulatim ſubſequebantur: vt ſcilicet abſque magno damno reuerti poſſet exercitus; Vbi quidam ex noſtris impetum ſubſequentium Saracenorum, qui noſtrorum equos ſagittis vulnerabant, ſuſtinere non valentes, relictis ſociis, euaſerunt Saracenos.

Pſal. 43. 1. Reg. 2. Pſal. 43. * locus corruptus.

Ex quo factum eſt, vt primo die, priuſquam ad caſtra noſtra perueniremus, plus quàm mille è noſtris amitteremus: quibuſdam gla-

dio interfectis,quibuſdam captis,equis eorum vulneratis,vel pre calore deficientibus; multis etiam ex peditibus propter æſtum ſolis exſtinctis: quidam ex ſolo timore, iuſto, ſed occulto Dei iudicio,in inſaniam conuerſi,exſpirauerunt. In primo bello plus quàm ducentos milites amiſimus, quibuſdam interfectis, aliis verò in captiuitatem ductis. Capti ſunt autem viri nobiles, Electus Beluacenſis, & frater eius Andreas de Nanſolio; Ioannes de Arciato, miles ſtrenuus; Andreas de Eſpeiſſe, Gualterus regis Franciæ Camerarius, & filius eius Vicecomes Belli montis, frater Andegauenſis Epiſcopi, & Odo de Caſtellione, & multi alij, quos longum eſſet enarrare. Multi autem die illo coronati feliciter ad Dominum migrauerunt. Ego verò die illo abſque armis, cum cappa, & ſuperpellicio, cum Domino legato, & Patriarcha, qui ſanctam ferebat Crucem, exieram, & non placuit Deo cum ſuis martyribus me miſerum, & indignum vocare; ſed adhuc ad laborem & dolorem voluit reſeruare.

Multis aliis tribulationibus Dominus noſtram repreſsit ſuperbiam. Naues enim noſtras cum ſcalis ex parte fluminis, medio ciuitatis, frequenter applicantes, repulſi ſumus, Saracenis * ignem Græcum proiicientibus, & bellicis machinis, quæ *pertariæ* vel *petrariæ* dicuntur, lapides iaculando, quoſdam ex noſtris interficientibus: ex parte verò terræ, cum labore, & expenſis magnis fodientes, aquis foſſati impedientibus, nil profecimus.

qui nullo præterquam aceti liquore exſtinguitur, inquit Luitprandus Ticinenſis lib. 3. Hiſt. cap. 6.

Cùm autem bellica quædam inſtrumenta, quæ *cattos* nuncupant, verſus noſtros traheremus, ignem Græcum copioſè proiicientes Saraceni, multis ex noſtris vulneratis, illa combuſſerunt. Nobis etiam inuitis, & ignorantibus, quandoque ſub parte terræ, quandoque ſub aquis per fluuium ciuitatem ingrediebantur, non modicum his, qui erant in ciuitate, ferebant ſolatium. Noſtri verò magnũ rete ex tranſuerſo fluminis protendentes, facti piſcatores hominum, Saracenos prendebant.

Iam verò omnibus attentatis, quid amplius faceremus, vix excogitare valebamus. Longè enim fortior erat ciuitas paulò antequam caperetur, quàm in obſidionis principio. Dominus autem ſibi ſoli victoriam reſeruabat: præmium autem noſtrorum laboribus non negabat. Confidimus enim in Chriſto, qui nobis portas Aegypti miraculosè aperuit, quòd Chriſtianorum imperio reſiduum ſubiiciet Aegypti, tenebras illuminando & in fines terræ Eccleſiam ſuam dilatando.

Vos autem ſine intermiſsione orate pro exercitu Ieſu Chriſti, vt in terra promiſsionis vinea propagetur, Eccleſiæ reparentur, infideles

les eliciantur, fides reſtauretur, vt ædificentur muri Hieruſalem, quos inimici noſtri ſubuerterunt.

Salutant vos ſocij noſtri, & amici; Ioannes de Dionanto; Ioannes de Cameraco Cantor noſter, Henricus Seneſcallus Eccleſiæ noſtræ, Dominus Reinerus Prior S. Michaëlis, tradidit ſe religioni Minorum Fratrum; quæ religio valdè multiplicatur per vniuerſum mundum, eo quòd expreſsè imitatur formam primitiuæ Eccleſiæ, & per omnia vitam Apoſtolorum. Magiſter verò illorum Fratrum, Frater *Franciſcus* nominatur; qui adeò amabilis eſt, vt ab omnibus hominibus veneretur: cum veniſſet ad exercitum noſtrum, zelo fidei accenſus, ad exercitum hoſtium noſtrorum ire non timuit. Et, cùm multis diebus Saracenis Verbum Domini prædicaſſet, & cum parum profeciſſet; tunc Soldanus Rex Aegypti ab eo in ſecreto petiit, vt pro ſe Domino ſupplicaſſet, quatenus religioni, quæ magis Deo placeret, diuinitus inſpiratus adhæreret.

Lege S. Bonauenturam in Vita S. Frãciſci cap. 9. & commentarium ad idē caput Henrici Sedulij. Et ipſum Vitriacum in Hiſtor. occidentali capit. 32.

Eidem religioni tradidit ſe Colinus Anglicus Clericus noſter, & alij duo de ſociis, ſcilicet Michaël, & Dominus Matthæus, cui curam Eccleſiæ ſanctæ commiſeram. Cantorem & Heinricum, & alios, vix retineo. Ego autem debilis & contractus corde, in pace & tranquillitate vitam meam deſidero finire. Miſimus vobis duos paruulos de incendio Babylonis extractos, cum quibuſdam pannis ſericis, & literis aliis. Oſtendite literas Abbati de Villari, & aliis amicis noſtris. Valete.

PARALIPOMENA AD III. TOMVM DE SANCTA CRVCE.

ANNO M. DC. V. editus eſt hic Tomus. Interea occurrerunt nonnulla, quæ hoc loco annotare viſum, vt aliquando ſuis locis inſerantur. Iſtud nimirum in hoc ſtudiorum genere fieri ſolet, vt quò plura legas, eò plura obſerues, quibus priores diſputationes locupletiores effici queant.

Pro lib. 1. cap. 27. p. 107. v. 12. habentia.

Idem conſtat ex Apologia tertia Ioannis Cantacuzeni ſub finem, vbi iſta leguntur. *Hoc exemplo tu, & quilibet alius, qui inquirere volet, deprehendere poteſt, quod: quæ in vrbibus vſurpantur nomiſmata, Chriſti imaginem inſculptam, & formatam gerunt: quin & ſanctæ matris illius, & aliorum Sancto-*

rum:

rum: non tamen propterea à nobis adorantur, nec propterea honor aliquis illis habetur: abiiciuntur enim nonnunquam & conculcantur, conflantur item, & ex forma vna mutantur in aliam, prout magiſtratus voluntas decreuerit. Sed imaginibus, quæ nominatim Sanctorum memoriæ dedicatæ ſunt, non idem contingit: verùm, cum honore, deuotione, & religione illas accedimus.

Vides numiſmatis imaginem Chriſti, Deiparæ, & aliorum Sanctorum adiunctam fuiſſe: quod licet honoris cauſſa factum fuerit, non tamen piaculum cenſebatur, ſi minus honorificè propter ipſam pecuniam haberentur; cum non eo potiſsimum conſilio numiſmatis adiungantur, vt ibi honorentur; qui tamen primarius eſt finis imaginum alibi erectarum.

Fol.44. lib.1. v.15. *præterit.*

Ad hunc Victoriolæ, aliarumque Iconum, honoris & præclarè factorum teſtium, ſtatuis Imperatoriis, etiam in numiſmatibus, addi conſuetarum morem & conſuetudinem alludit D. Gregorius Nazianzenus his in Iulianum verbis orat.1. *Parum habent ipſi* (Imperatores) *adorari, niſi idem quoque ſibi in imaginibus, picturiſq́; præſtetur, quò cumulatior ſit ipſis, perfectiorq́; veneratio. His porrò imaginibus alij Imperatores aliud quiddam præterea appingi gaudent; quidam clariſsimas vrbes dona offerentes; alij victorias caput corona cingentes, nonnulli magiſtratus adornantes, & præfecturarum teſſeris exornatos ſunt, qui ferarum iugulationes, & eiaculationes; alij barbarorum domitorum, atque ad pedes prouolutorum, vel trucidatorum varias, multipliceſq́; figuras. Neque enim rerum, quibus magnopere gloriantur, veritates ſolùm amant, ſed eorum quoque ſimulacra.* Et hæc omnia, quę Nazianzenus commemorat, videre licet partim in numiſmatis, quæ hoc libro explicatum & illuſtratum imus, partim in illis, qui apud varios Nummographos viſuntur.

Pro lib.2. cap.2. fol.9. v.23. *Interpretes.*

Dicuntur inſuper huiuſmodi expeditiones *paſſagia; quo vocabulo nihil aliud deſignamus*, (inquit Auctor Orationis ad Nicolaum V. Pontif. Max. vt Fridericum Imp. in Turcos *Paſſagium* parantem, modis omnibus adiuuare velit: Et exſtat Tom. II. ſcriptorum Germaniæ à Frehero editorum) *quàm expeditionem militarem numeroſiſsimam aduerſus infideles per Chriſtianos indictam; appellaturq́;* Paſſagium *ſermone Italico, quaſi tranſitus. Nam ſicut aues quædam gregatim certis anni temporibus de regione in regionem tranſeunt, dicunturqúe* Paſſagium facere; *ſic & Chriſtiani nonnunquam ſumptis armis turmatim incedentes, atque in hoſtes fidei ex Apoſtolicæ Sedis iuſſu proſilientes & viſi & dicti ſunt* Paſſagium *habuiſſe: neq; verum Paſſagium videri poteſt, niſi multorum fuerit populorum.*

Lib.2.

Lib. 2. cap. 6. fol. 25. v. 9 *ſecuti ſunt.*

Tametſi non immeritò fortaſſe hæc laus Gregorio VII. Pontifici tribui debeat: ſi non integra; at certè aliqua ex parte. Nam anno M. LXXIV. datis ad omnes Chriſtianos litteris, nominatim ad Vltramontanos, claſsicum cecinit, & ſacri belli aduerſus Saracenos ſignum ſuſtulit. Quo ſucceſſu, docet ipſemet in epiſtola ad Henricum Regem. *Quam admonitionem,* inquit, *Italici & Vltramontani, Deo inſpirante, vt reor; imò etiam omnino affirmo, libenter acceperunt, & iam vltra quinquaginta millia ad hoc ſe præparãt; vt ſi me poſſunt in expeditione pro duce ac Pontifice habere, armata manu contra inimicos Dei volunt inſurgere. & vſque ad ſepulchrum Domini ipſo ducente peruenire.* Verum hęc tam fauſta cœpta diſturbauit mobile & variabile ingenium Henrici Regis, à quo Romanæ Eccleſiæ certiſsimum oppreſsionis periculum impendebat, ſi Gregorius cum exercitu in Orientem conceſsiſſet. Quod igitur Gregorius efficere nequiit, hoc poſtea Vrbanus feliciter tranſactum dedit.

Lib. 1. Regiſtri Gregorij VII. epiſt. 49. lib. 2. epiſt. 37. & 31.

Lib. 2. cap. 11. fol. 49. v. 3 *Animis.*

Idem miraculum perdurauit, etiam, poſtquam eiectis Chriſtianis vrbs Hieroſolymitana in poteſtatem Mahometanorum rediit. Id liquet ex Ioanne Cantacuzeno Apologia tertia contra Mahometanos, vbi infideles hoc anniuerſario diuinitus accenſi luminis miraculo vrget, & ad fidem Chriſtianam complectendam inducere conatur hunc in modum: *Miraculo, quod annuatim Hieroſolymis iuxta Chriſti ſepulcrum tempore reſurrectionis illius contingit, vt ipſe nouiſti, nunquid contradicere potes? Non ignoras enim, quod Dei ſic permittente iudicio, loco illi ſancto Muſulmani dominantur, & circa tempus reſurrectionis Chriſti multam, magnamque curam adhibent, & diligentiam, ne vllum aliquod lumen ardens conſpiciatur. Fit igitur hoc ſine omni controuerſia diligentiſsimè. Eo autem temporis articulo, quo Chriſtiani, qui illic agunt, hymnum de Chriſti reſurrectione compoſitum decantant, lumen cælo delabitur, vidente hoc Muſulmanorum Principe, qui interea temporis ibi commoratur, incendens tres illas, quæ Chriſti ſepulcro adſtant, lampades. Quid igitur tibi videtur? Num falsò dixit Chriſtus, ſe Deum eſſe. & Dei filium? Falsò ne hoc Chriſtiani credunt? Quomodo igitur eadem hora, qua illi Chriſtum, vt diximus, Deum, & Dei filium decantant, & creatorem omnis creaturæ, in copioſiorem nimirum miraculi aſſertionem, expoſitionemque, teſtante ſimul Deo, hoc verum eſſe, lumen cœlitus delapſum, lampades, vt dictum eſt, circa Chriſti ſepulcrum adſtantes, incendit? Quemadmodum enim in Iordane, cum Chriſtus baptizaretur, vox cœlitus deſcendit dicens; Hic eſt filius meus dilectus, Chriſtum denotans; ſic tempore ſupra memorato lumen cœlitus delabitur, aſſerens, & teſtificans omnibus tam fidelibus, quàm infidelibus, quod ipſe ſit Chriſtus, filius, & Verbum Dei, verus Deus, & homo.*

Lib. 2. cap. 19. fol. 74. v. vlt. *amiſit.*

Peruenit cum Imper. Conrado Hieroſolymam Guelpho, de quo hæc Vitus Arenbeckius. *Guelpho verò infirmitate captus, ac in deſperatione poſitus, ad reuerſionem ſe parat. Tranſito ergo mari conualeſcens Siciliam attigit: Vbi Rogerius eum cum magno domus ſuæ tripudio ſuſcipiens, ac honorificè dimittens iterum ad rebellandum Regi maximis muneribus illectum incitat.* Fuit hic Guelpho frater Henrici ſuperbi, filius Henrici, & nepos eius Guelphonis, qui in Cypro obiit. Neq; vero ſemel Hieroſolymam luſtraſſe contentus fuit hic princeps Guelpho. Secundo, eandem religioſè adiit. Teſtis Vitus Arenbeckius. Anno Domini M. C. LXVII. *Guelpho ſenior circa Epiphaniam Domini iam ſecundò iter Hieroſolymitanum ingreditur, & in Italia Imperatorem reperiens filium ſuum cum omnibus ad ſe ſpectantibus gratiæ eius commendans paſcha ſanctum apud ſepulchrum Domini peregit.*

Vit. li. 4. Chron. Bauar. cap. 54.

Vit. li. 4. Chron. Bauar. cap. 63.

Pro lib. 2. cap. 26. fol. 115. v. 20. *annihilari viderent.*

Matthæus Paris in ſua Hiſtoria acriter defendit Richardum, totamq; culpam in Ducem Burgundiæ & Francos confert: quin & prædictione ac admonitione Eremitæ cuiuſdam ab incœpto reuocatum ſcribit his verbis: *Venit nocte ſequenti religioſus quidam ad Regem, & mandatum cuiuſdam ſancti eremitæ ad eum detulit, qui Regi ſignificauit, vt ad eum viſendum properaret. Rex autem de nocte conſurgens, aſſumptis ſecum ſociis quingentis, ad virum Dei peruenit. Hic verò per longum tempus apud S. Samuelem in monte manſerat, qui & ſpiritu prophetiæ pollebat. Hic à die illa, qua crux Dominica capta eſt, & terra amiſſa, nihil niſi herbas comederat & radices, nec vllo vtebatur tegumento, capillis tantummodò operiebatur, barbáque prolixa: quam Rex diutius admirando intuens, ſciſcitabatur, quid vellet. Ille verò de Regis aduentu gauiſus ipſum in oratorium ſuum adduxit, eruensq; de muro lapidem quendam, crucem ligneam & cubitalem extraxit de muro, & Regi deuotè porrexit; affirmans proculdubio hanc Crucem de ligno Domini fuiſſe. Regi etiam inter alia dixit; quod nequaquam hac vice terram illam obtineret, quamuis ſtreuiſſimè vbique egiſſet. Et vt Rex certius dictis eius fidem accommodaret, aſſerebat, ſe ipſum ab hoc ſeculo die ſeptima migraturum. Quem Rex ſecum ad caſtra perduxit, vt dictorum eius comprobaret euentum: qui, ſicut prædixerat, die ſeptima ab hac luce migrauit.*

Lib. 2. fol. 142. v. vlt. *ſublati.*

Eodem anno, nempe M. CC. XXVII. *in fine menſis Iunij facta eſt motio magna in opus Crucis per orbem vniuerſum Cruce ſignatorum; quæ adeò fuit numeroſa, vt ex ſolo Anglorum regno plus quam ſexaginta millia proborum hominum, præter ſenes & mulieres, profecti referantur. Hoc enim profeſſus eſt magiſter Hubertus, vnus ex prædicatoribus in Anglia, aſſerens veraciter, tot in ſuo rotulo conſcripſiſſe.*

pſiſſe. Qui omnes, & præcipuè pauperes, in quibus voluntas diuina quieſcere ſolet, & negotium Crucis magis proſperari, cum tanta deuotione opus Crucis aſſumpſerunt, vt ſibi inde proculdubio Tonantis fauorem acquirerent, quod ſignis conſtat euidentibus declaratum. Siquidem in nocte natiuitatis B. Ioannis Baptiſtæ, oſtendit ſe Dominus in firmamento crucifixum, quod perſpicuè in Cruce lucidiſsima corpus Dominicum, clauis & lancea perforatum, nec non cruore reſperſum, vt fidelibus ſuis patenter oſtenderet Saluator mundi, ex hac populorũ deuotione ſe ſuiſſe propitiatũ.

Lib. 2. cap. 31. fol. 145. v. 17. *conſequerentur.*

Nondeerant tamen etiam ex familiariſsimis, qui Regẽ Ludouicũ à propoſito reuocare contenderent, *inter quos mater eius Blanchia,* inquit Matthæus Pariſiẽnſis, *& Epiſcopus Pariſienſis, ſcientes eiuſdẽ Regis imbecillitatẽ, inſtabant proteruius, & ſermocinabantur diligentius, dicente Epiſcopo; Domine mi Rex, recordare quoniam Crucem accepiſti, tam arduum votum faciendo inconſultè & ſubitò, infirmus fuiſti, & vt verum fateamur, mentis alienæ; rapta quoque ad cerebrum materia, compos tui non fuiſti; vnde verba tunc prolata pondere caruerunt veritatis, & cuiuſlibet auctoritatis. Benignè diſpenſabit nobiſcum Dominus Papa, ſciens regni neceſsitatem, & corporis tui debilitatem, &c. Quibus Rex non mediocriter commotus, reſpondit: protenditis ſenſus mei immutationem, cauſſam fuiſſe aſſumptionis Crucis meæ, ecce prout deſideratis & perſuadetis, Crucem depono, Crucem vobis reſigno. & mittens manum ſuam ad humerum, diſcerpendo eam auulſit, dicens: Domine Epiſcope, ecce Crux, qua ſignabar, vobis eam vltrò reſigno. Quo facto, ineffabili gaudio cuncti circumſedentes congratulabantur. Et ecce Dominus Rex, mutato vultu & ſententiâ, ait: Amici mei, profectò nunc non ſum expers rationis aut ſenſus, non mei impos, aut infirmus. Repoſco nunc mihi reddi Crucem meam. Nouit autem, qui nihil ignorat, non intrabit in os meum quicquam mandile, donec ea re conſigner. Quod cum viderent circumſtantes, affirmarunt digitum Dei hoc fuiſſe, & diuinam virtutem hac cælitus procuraſſe. Nec audebat quiſpiam ſuper prædictis amplius mouere quæſtionem. Hæc idcircò plenè ac expreſsè diximus, vt pateat cuilibet in Chriſtianiſsimo Francorum Rege, de famulatu Chriſti continuando, conſtantia.*

Eodem tempore Cruce ſignatus eſt Haco Rex Norvvegiæ, ad quem S. Ludouicus legatum miſit, vt copias ſuas cum Francis iungeret; ſed noluit; ne diſſenſiones inter Francos & Norvvegos orirentur, vt ſcribit Matthæus Paris. Dedit tamen Ludouicus Rex ad partium Maritimarum Regni ſui gubernatores literas, vt quocunq; Rex Haco cum claſſe ſua appelleret, amicè & humaniter haberetur. Forma litterarũ eſt iſta. *Ludouicus Dei gratia Francorum Rex, vniuerſis amicis & fidelibus ſuis, Balliuis, Maioribus & Præpoſitis, ad quos præſentes literæ peruenerint, ſalutem. Cùm chariſſimus noſter illuſtris Hacon Rex Norvvegiæ, in ſubſidium terræ ſanctæ transfretare proponat, ſicut nobis per ſuas litteras intimauit, vobis*

mandamus, quatenus ſi eundem Regem, vel ipſius nauigium per mare contiguum littoribus terræ noſtræ tranſire contingat, vel in terram noſtram, vel in feuda noſtra alicubi applicare, ipſum & ſuos benignè & honorificè recipiatis, permittentes eoſdem in terra noſtra victualia emere, & ſibi per forum legitimum de ſibi neceſſariis prouidere. Actum apud S. Germanum in Laia, anno Domini M.CCXLVIII.

Quàm autem S. Ludouicus cupidus fuerit, vt plures peregrinationis ſocios ſibi iungeret, ſatis declarat hæc lepida ſimul & feſtiua hiſtoria in Matthæo Pariſienſi litteris mandata. *Appropinquante præclaræ Dominicæ Natiuitatis feſtiuitate* (anno M. CC. XLV.) *qua mutatoria recentia, quæ vulgariter Nouas robas appellamus, Magnates ſuis domeſticis diſtribuere conſueuerunt, Dominus Rex Francorum Crucis ſignifer officium prædicatoris, procuratorisq́ negocij Crucifixi nouo modo ſibi aſſumens, cappas cum ſuis pertinentiis de precioſiſſimo panno multò plures, quàm moris habuit, cum pellibus variis imponendis, iuſſit comparari; & de ſubtili auriphrigio factas in locis capparum humeralibus cruces inſui opere furtiuo ac nocturno prudenter curauit & imperauit. Et manè, cùm adhuc ſol nondum oriretur, milites cappatos cappis regiis iuſſit cum ipſo Rege Miſſam audituros in Eccleſia comparere. Quod cum feciſſent, & manè ne ſomnolentiæ aut pigritiæ redarguerentur, in Eccleſia Miſſis celebrandis intereſſent,* Rebusq́ue iam color redit, Vultu nitentis ſideris. *Et ſecundum illud Perſij prouerbium;* melius ſpectatur mantica tergo; *quilibet in alterius humeris Crucis inſutum ſignaculum intuetur: fit iocũda admiratio, ac tandem comperiunt, quòd piè ſophiſticatos ſic decepit eos Dominus Rex, nouum & nunquam auditum iniens prædicatoris officium: factus potius realis prædicator, quàm verbalis. Cumq́ eis indecens ac turpe, imò indignum videretur, ipſas Cruces deponere, riſum, nec tamen deriſum, cum iocunda lacrymarum effuſione facientes, dominum ipſum Regem Francorum, propter hoc factum, peregrinandorum venatorem, & hominum nouum vocauerunt piſcatorem.*

Exemplo S. Ludouici & aliorum incitatus Henricus III. Rex Angliæ Crucem ipſe itidem ſuſcepit, anno M. CC. L. & poſtea anno M. CC. LII. Crucem Londini publicè prædicari curauit; & cum ſuſpectus eſſet, quaſi non alio fine Crucem ſuſcepiſſet & prædicaret, quàm vt à ſubditis pecunias emungeret, *paſſagium ſuum iurauit*, inquit Matthæus Paris, *à die S. Ioannis Baptiſtæ in ſequens triennium, niſi morte, vel graui infirmitate, vel alia rationabili cauſſa impediretur. Et iurans hoc, appoſuit manum ſuã dexteram ad pectus ſuum more Sacerdotis, & poſtea ſupra Euangelia appoſita, & oſculatus eſt ea, more laici.* At hæc omnia in nihilum reciderunt; Nec de nihilo fuit multorum ſuſpicio, Regem in his non gloriam Dei; ſed queſtum ſpectaſſe.

Lib. 2. cap. 31. pag. 146. v. 26. *numero.*

Hac clade Chriſtianorum excitatus Alphonſus Rex Caſtellæ

crucis

crucis ſignaculum ſuſcepit, vt ſcribit Matthæus Paris, Anno M. CCL. qui poſtea in huius glorioſæ expeditionis ſocietatem Henricum III. Regem Angliæ inuitauit; vt ſcribit idem Matthæus, ſed interuenit mors, & hæc omnia, quæ tam ſalubriter fortiſsimus & feliciſsimus Rex conſtituerat, intercidit.

Lib. 2. cap. 33. fol. 157. v. 17. *Haythonus.*

Tomo ſecundo ſcriptorum Germaniæ, quos Freherus publicauit, exſtat oratio nomine Friderici III. Imp. ad Nicolaum V. Pontif. Max. habita, qua *generale Paſſagium* ſeu expeditio in Turcas ſuadetur, neq; aliquid ꝙ fieri nequeat, ſuaderi, aliquot argumentis oſtenditur; non enim defuturos milites, & quidem exercitatos, nec belli neruū, nummos: neq; alia ad proſperum euentum neceſſaria: Hinc ad Chriſtianos ingentia commoda redundatura; etiam hoc, ꝙ in ceſſatione bellorum ciuilium conſiſtit; non enim fore vllum tam impium, qui non malit ferrum in Turcas ſtringere, quam in fratres ſuos Chriſtianos. Quæ, fateor, verè quidē ab oratore illo diſputata fuiſſe; ſed nullo ſucceſſu; & hoc tempore longe minus felix exitus ſperari poſſet, poſtq̄ multi doctrina Lutheri delibuti & inſtincti, à prœliis contra Turcas abſtinendū exiſtimant, q̄diu *Papæ & Papiſtarū* nomen ſub cœlo auditur.

Pro Apologia Cruciatarum expeditionum fol. 195. v. vlt. *demonſtratum.*

Scripſit Benedictus de Acoltis Aretinus libros quatuor *de bello contra Barbaros pro Chriſti ſepulchro & Iudæa recuperandis.* In hoc opus Baſileæ Anno ſalutis M. DXLIV. excuſum præfatur *Ioannes* Gaſtius Briſacenſis, quem hæreticum fuiſſe vel hæc eius verba (rectius vocarem, *mendacia*) apertè oſtendunt. *Quoties principes Chriſtiani poteſtati illius* (Turcę) *reſiſtere, ac ſummis viribus per Chriſtianum orbem collectis copiis potentiā creſcentem frangere conati ſunt, maius damnum acceperunt, quam intulerunt.* At impudentiam huius commenti ſatis ſuperq; redarguunt innumerabiles victoriæ tam priſcæ q̄ nouæ, à Turcis, Chriſtianorum fortitudine reportatę; quarū plurima exempla in hoc volumine de Cruciatis expeditionibus protuli. Plura paſsim ſuppeditabit Hiſtoricorū lectio.

Sed hunc tam beneuolum in Turcas, & tam maleuolum in Chriſtianos affectum ſuxit iſte ex vberibus Lutheri, qui Anno Domini M. DXVIII. conſultus num bellū aduerſus Turcas ſuſcipiendū eſſet, hæc reſcripſit ad ſuum Spalatinum, Tom. 1. Epiſt. Lat. Epiſt. 82. *Si rectè intelligo te, mi Spalatine, quæris an expeditionem aduerſus Turcas ex ſacris literis poſſim tueri & ſuadere. Eſto, quod non pecuniæ, ſed vero pietatis ſtudio ſuſcipiatur: ego tibi fateor, non poſſe me id polliceri: contrarium autem copioſiſsimè.* (En negat

Lutherus,ſe ex ſacris literis iuſtitiam & æquitatē belli aduerſus Turcas tueri poſſe; quin potius demonſtratu ſibi pronum ac procliue affirmat,huiuſmodi bellū ſcripturis aduerſari,hoc eſt, iniquum ac iniuſtum eſſe.) *Edidi nudius tertius in eam rem, amici rogatu ſermonē, quem ſcio perueniſſe in manus (propter quos ſuſpicabar tum à me petitum) Heroum Brandeburgenſium: vbi id egi,ne ſuſciperetur vllo modo bellum huiuſmodi. In qua ſententia adhuc ſum; niſi melioribus fuero mutatus elenchis. In eâdem eſt Eraſmus in multis locis,ſicut melius noſti,quàm ego. Mihi viſum eſt,ſi aduerſus Turcas omninò pugnandum eſt,à nobis primum incipiendum eſſe. Fruſtra foris bellamus carnalia bella,quando domi ſuperamur ſpiritualibus bellis.* Quomodo autem Lutherus bellum à nobis inchoari velit,& quæ ſint illa bella ſpiritalia prius depugnanda,euidentius docuit Anno Domini M.D.XX. in aſſertione articulorū ſuorum,quando ſcripſit; à Turcico bello abſtinendū, *quandiu Papa ſupereſt*; & paulò pôſt ſatis apertè oſtendet,quo collineet.

Addit Lutherus: *Deinde, quod nec in veteri, nec nouo Teſtamento vllum geſtum eſt bellum humanis viribus,niſi ſemper infelici,& fœdo euentu. Si quid autem rectè ceſſit; de cælo fuit bellatum,vt poſſem copioſiſſimè docere.* (Quis aliunde,quam è cælo victoriam aduerſus Turcas exſpectat?) *Quando autem Romana curia* (nunc tandem vlcere aperto virus effluit) *hodie omnium Turcarum ſuperans Tyrannidem,tantis monſtris contra Chriſtum, & eius Eccleſiam pugnat: & Clerus in auaritiæ,ambitionis,& luxuriæ profundo ſubmerſus eſt: & miſerrima ſit vbiq; facies Eccleſiæ: non eſt ſpes boni belli, aut felicis victoriæ. Deus,(quantum video,) contra nos pugnat: hic primum eſſet expugnandus lachrymis,puris Orationibus,ſancta vita,& fide pura. Sed de hoc aliâs. VVitebergæ ſine dubio manebo exſpectans Romanæ infelicitatis argumentum: quanquam ſpero, vel conſcientiæ metu non præcipitabunt furorem.* O vafram vulpem. De puris orationibus,ſancta vita, & fide pura nobis concionatur, perque hæc omnia nihil aliud aut intelligit,aut innuit, quam vt prius *Papam* & *Papiſtas* exterminemus, & poſtea de Turca propulſando conſilia agitemus; quem ſuum ſenſum euidenter quoque prodidit,quando Anno Domini XIX.ad Petrum Lupinum & Carlſtadium hæc ſcripſit. Tom.1.Lat.Epiſt.84.*Nullo modo Romanæ Eccleſiæ reſiſtere licet: At Romanæ Curiæ longè maiore pietate reſiſterēt Reges,principes,& quicunq; poſſent,quā ipſis Turcis*, quia facit, ſi non mentitur impius Lutherus, *quæ à Turca vix fierent*. Quàm ſubtilis diſtinctio inter *Eccleſiam Romanam*, & *Curiam Romanam*. Quàm acuta. Quàm ardenter ſaluam cupit *Eccleſiam Romanā*; perditam verò,*Curiā Romanam*. Quid ſibi vult hęc eiuſdē Lutheri vox? *Papam peiorem Turcis eſſe puto me demonſtrare poſſe.Tom.1.Lat.Epiſt.79.ad Lincum.* Quale claſsicum,non in Turcas,ſed in *Papam* & *Papiſtas*?

Quorſum tendunt illa,quę cum alibi,tum in Colloquiis Sympoſiacis,maximè,titulo *de Turcis*, ſcribit, Es ſey kein Glück nicht da wider

den Türcken. Si nihil proſperè cedit, quis tam ſtolidus ſit, qui Turcis depellendis vires & impenſas fruſtra impendere velit? Quoties vociferatur? König Ferdinand hab kein Glück / *eſſe infelicem militem.* Quoties in opuſculo aduerſus Turcas palam clamitat: *Nil de proſpero euentu belli ſperandum, quandiu Sacerdotes, imagines, etiam Crucifixi, & id genus alia Catholicæ fidei ſtemmata & ſymbola in exercitu compareant.* An non expreſſè docet, *Chriſtianum, qua Chriſtianus eſt, nec poſſe nec debere aduerſus Turcas pugnare; ſed tantum qua ciuis eſt, & membrum Reipublicæ, & pars huius externæ politiæ?* Neceſſe eſt igitur, vt Lutherani, quoties ad pugnam cum Turcis ineundam procedunt, Chriſtianiſmum domi relinquant, eundemque regreſsi iterum induant; arbitrioque ſuo ponant & reſumant, inſtar togæ vel interulæ.

Non eſſet mihi ingratũ, ſi Turca Romam peteret, inquit Lutherus in Colloquiis Sympoſiacis, titulo *de Turcis. Chriſtus Turcam percutiet; Cæſar, Ferdinandus & Principes nihil efficient.* Prætereo infinita huius generis, quibus opera Lutheri vbiq; ſcatent; quę ex parte enotauit & exſcripſit in *Chriſtiano*, hoc eſt, Turcico ſuo Luthero M. Conradus Andreæ: Ex quibus manifeſtè apparet, eum, quem Lutheri ſpiritus obſidet: in Cruciatas, & alias contra Mahometanos expeditiones non poſſe bene animatum eſſe; Exſtat liber Baſileæ Anno M. D. XXIII. excuſus hac inſcriptione. *Confutatio determinationis Doctorum Pariſienſium contra Martinum Lutherum, ex Eccleſiaſticis Doctoribus.* Cuius Auctor nomen ſuum ſubticuit. Sed forſan à vero non aberrares, ſi Melanchthoni hunc partum, tanquam parenti, adſcriberes. Hunc, poſt multa pro aſſertione Lutheri de bello contra Turcas non ſuſcipiendo improbè effuſa, tandem non puduit in hanc confeſsionem palam erumpere. *Vt liberè animum meum aperiam, hoc apertè de me prædico, quòd tam inuitus Turcam gladio impeterem, quam Chriſtianum fratrem; Nondum enim audiui ſacra eloquia, quibus hæc Lutheri ſententia non ſit conformis.* Et miraris, ſi iſti Cruciatas expeditiones limis toruiſque oculis intueantur, & omnes conatus contra Mahometanos improſperè ceſsiſſe mentiantur?

Fol. 216. v. vlt. *dignatus eſt.*

Toti huic diſputationi illuſtrandæ admodum ſeruit ac conducit, quod ſcriptum eſt lib. 4. Eſdræ, (tametſi non Canonico) cap. 3. & 4. Mirabatur enim Eſdras, cur Deus terram promiſsionis Babyloniis tradidiſſet, expulſis Iudæis, cum illi à veri Dei cognitione & legitimo eius cultu penitus auerſi eſſent. *Tradidiſti ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum,* inquit Eſdras. *Nunquid meliora faciunt, qui habitant Babylon? Et propter hoc dominabitur Sion? Factum eſt, cum veniſſem huc, & vidiſſem impietates, quorum non eſt numerus, & delinquentes multos vidit anima mea hoc*

trice-

triceſimo anno, & exceßit cor meum, quoniam vidi, quomodo ſuſtines eos peccantes, & pepercißi impiè agentibus, & perdidiſti populum tuum, & conſeruaſti inimicos tuos, &c. Hæc eadem non abs re vſurpet, quiſquis terram ſanctam ſiue præſens oculis, ſiue abſens, mente contemplatur. Nec mirum, ſi cum Eſdra recinat: *Nunquid meliora facit Babylon, quam Sion?* (Mahometanus, quam Chriſtianus?) *aut alia gens cognouit te præter Iſraël? Aut quæ tribus crediderunt teſtamentis tuis, ſicut Iacob? quarum merces non comparauit, neq; labor fructificauit: pertranſiens enim pertranſiui in gentibus, & vidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum. Nunc ergo pondera in ſtatera noſtras iniquitates, & eorum, qui habitant in ſeculo, & non inuenietur nomen tuum, niſi in Iſraël,* &c.

Quid ad hæc Angelus? *Excedens exceßit cor tuum in ſeculo hoc, & comprehendere cogitas viam Altißimi.* Et cum Eſdræ quæſtiones nonnullas de rebus terrenis propoſuiſſet, iſque ſolutionem dare nequiiſſet, ſubiunxit Angelus. *Tu quæ tua ſunt, tecum coadoleſcentia, non potes cognoſcere. & quomodo poterit vas tuum capere Altißimi viam?* Poſt multa in hanc ſententiam allata & diſputata, ſubiecit Eſdras. *Deprecor te Domine, vt mihi detur ſenſus intelligendi: non enim volui interrogare de ſuperioribus tuis, ſed de his, quæ pertranſeunt per nos quotidie. Propter quid Iſraël datus in opprobrium gentibus, quem dilexiſti populum, datus eſt tribubus impiis, & lex Patrum noſtrorum in interitum deducta eſt, & diſpoſitiones ſcriptæ nuſquam ſunt, & pertranſiuimus de ſeculo, vt locuſta, & vita noſtra ſtupor & pauor, & nec digni ſumus miſericordiam conſequi.*

Quid ad hæc Angelus? *Si fueris plurimum ſcrutatus, frequenter miraberis, quoniam feſtinans feſtinat ſeculum pertranſire, & non capit portare, quæ in futuris temporibus iuſtis repromiſſa ſunt, quoniam plenum iniuſtitia eſt ſeculum hoc & infirmitatibus.* Summa reſponſionis eſt, à fidelibus habendam rationem futurorum non præſentium; recolendam mercedem in cælis repoſitam, quidquid circa res caducas & perituras accidat. Etiam inter fideles peccata reperiri, quæ Deus ſeuerius hic caſtiget, ne ea in altero ſæculo neceſſe ſit perpetim caſtigare. Et tandem omnibus cõſideratis; huc recurrendum eſt; *Iudicia Dei eſſe incomprehenſibilia, & abyſſum multam*, hoc eſt, profundiſſimam.

QVIN-

QVINTA PARS

HORTI
S. CRVCIS.

In qua

I. *Homilia Leontij Presbyteri Conſtantinop. in Paraſceuen.*

II. *Homilia Joannis Caleca Patriarchæ Conſtantinop. in Exaltationem S. Crucis.*

III. *Variæ lectiones in Homiliam Philothei Patriarchæ Conſtantinop. quæ exſtat Tom. 2. de S. Cruce. fol. 360.*

IV. *Variæ lectiones in Homiliam Macarij Chryſocephali, excuſam Tom 2. de S. Cruce. fol. 210.*

V. *Relatio de Inuentione S. Crucis.*

VI. *Florilegium Stauricum.*

VII. *Deſcriptio Floris Indici, quem Granadillam vocant, & in eundem varia Epigrammatia.*

ADMONITIO IN SEQVENTEM LEONTII HOMILIAM.

QVIS fuerit iſte Leontius, Presbyter Conſtantinopolitanus, quoue tempore vixerit, haud inuitus ignorare me fateor. Multi olim huius nominis, etiam in Vrbe Conſtantinopolitana. Sequioris æui fuiſſe, perſuadet inconditus ſtylus, & exiguæ eruditionis declamatio: quam attexui, quòd ſacratiſſimo paraſceues die dicta fuit; licet ferè nihil de Cruce diſſerat. Eam Vienna ad nos miſit, & ſua manu ex vetere Codice exſcripſit, vir Doctiſſimus, variarumq; linguarum peritiſſimus D. SEBASTIANVS TENGNAGEL, *Bibliothecarius Cæſareus & Regius.*

Codex ab imperito librario exaratus eſt, vt non ſemel notauit ipſe D. SEBASTIANVS; *vt* προσεύχεσθαι, λέγεται, παρακαλεῖται, περιμένεται, *pro* προσεύχεσθε, λέγετε, παρακαλεῖτε, περιμένετε. ἄρνασι *pro* ἄρνες. ἀνεξάληπτα *pro* ἀνεξάλειπτα, ἐξαλίψαι *pro* ἐξαλείψαι, ὥσπερ *pro* ὅσπερ, πίνων *pro* πεινῶν, σοὶ *pro* σὺ,

καινὸν, pro κενὸν, δύσηται pro δύσεται ἐπξειδόμενοι, pro ἐπξειδόμενοι, τοῦ pro τῷ, γέγονε pro γέγονας, ἀπέλαβα pro ἀπέλαβες, vt alia librarij errata, quæ vel cæco manifeſta ſunt, prætercam.

Locus ille non procul à principio, ſignatus aſteriſco, obſcuriuſculus eſt. Sed videtur per interrogationem capiendus. τί βούλεται ὁ υἱὸς, quid vult filius; ἢ τοῦ υἱοῦ ἀμφιλάλλοντος, vel ſi filius dubitet, τί θέλει ὁ πατήρ; Quid vult pater? *Clarior omnino ſenſus eſſet iſte:* ὃ βούλεται ὁ υἱὸς, τοῦτο θέλει καὶ ὁ πατήρ; *non interiecto illo*, ἢ τοῦ υἱοῦ ἀμφιβάλλοντος; *cui tamen iſtam ſententiam ſubiicere licet.* Si filius dubitet, quid pater volet? *Non dicit fieri poſſe, vt filius de re quapiam dubitet; ſed ponit hypotheſin, ſi dubitet de re quapiam vtrum eligenda vel amplectenda ſit, quid pater volet? quaſi diceret; patrem tunc eiuſmodi rem non poſſe velle, quandoquidem patris & filij vna eademque eſt voluntas.*

ΛΕΟΝ-

ΛΕΟΝΤΙΟΥ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΟΥ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΕΩΣ ΛΟΓΟΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΓΙΑΝ ΠΑΡΑΣΚΕΥΗΝ ΤΗΣ

μεγάλης ἑβδομάδος εἰς τὸ πάθος τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὸν Ἰώβ. κύριε εὐλόγησον.

Μεγάλα τῆς προσευχῆς τὰ χαρίσματα, ἀνεξάλειπτα ταύτης τὰ κατορθώματα, ὅπου δ' ἄν τις περιστρέψει τὸ τῆς διανοίας ὄμμα, οὐδὲν προσευχῆς τιμιώτερον εὑρήσει. προσευχὴ τῷ Νῶε διεκυβέρνησεν, καὶ τοῦ θεηλάτου κατακλυσμοῦ ἀναυάγητον διετήρησεν. προσευχὴ τὴν στείρωσιν τῆς Ἄννας διέλυσεν, καὶ τῆς ἐπικρατούσης κατάρας παραδόξως ἀπήλλαξεν. προσευχὴ τοῦ Ἰωνᾶ τὴν κοιλίαν τοῦ κήτους εὐκτήριον οἶκον εἰργάσατο. καὶ Νινευΐτας τὴν πόλιν ἄπτωτον διετήρησεν. προσευχὴ Ἐζεκίᾳ τῷ βασιλεῖ πεντεκαιδεκαετῆ χρόνον ἐδωρήσατο. καὶ ἵνα μὴ μακρύνω τῷ λόγῳ, πόσον δύναται προσευχὴ, τοῦτον τὸν κύριον εἰς μέσον ἀγάγωμεν, τὸν ποιήσαντα καὶ διδάξαντα, τὸν μὴ μόνον προσευξάμενον, ἀλλὰ καὶ προσεύχεσθαι παραινέσαντα, ὥς ἐστιν αὐτοῦ ἀκοῦσαι λέγοντος πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ μαθητάς, ὅταν προσεύχεσθε, λέγετε. πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. ὡς τέκνα πατέρα παρακαλεῖτε, ὡς στρατιῶται τὸν βασιλέα προσμένετε, ὡς πολιτογραφηθέντες εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, πλὴν τοῦ δεσποτικοῦ ὀνόματος μηδὲν ἕτερον ἐπιβοᾶτε.

Οὐ μόνον δὲ ὑπὲρ αὐτῶν ὁ κύριος ἐδίδαξεν προσεύχεσθαι, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων καὶ ἐχθραινόντων, καὶ ἐπιβουλευόντων, ὥς ἐστιν αὐτοῦ ἀκοῦσαι τοῦ κυρίου λέγοντος πρὸς αὐτούς. προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, ὃ ἐδίδαξεν ὁ κύριος, καὶ ἐποίησεν. προσηύξατο καὶ αὐτὸς ὑπὲρ τῶν ἀθετούντων αὐτὸν ἐχθρῶν. καὶ πότε προσηύξατο ὁ κύριος ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν; πότε; τῇ παρούσῃ παρασκευῇ, ὅτε παρέστη τῷ σταυρῷ. σήμερον γάρ, ὡς οἴδατε, ὁ πάντων κριτὴς σταυροῦται. διὸ καὶ, ὡς εἶδεν ἑαυτὸν ὁ κύριος ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων σταυρούμενον, καὶ τοὺς Ἰουδαίους ὑπὸ τῶν ἀψύχων στοιχείων κατακρινομένους, καὶ ὅτι ὁ ἥλιος ἐσκοτίζετο, ἐκεῖνοι δὲ οὐκ ἐσύγνιαζον, καὶ ὅτι σεισμὸς καθολικὸς ἐγίνετο, ἐκεῖνοι δὲ τῆς κακίας οὐ μετεφέροντο, καὶ ὅτι τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ διερρήγνυτο. ἐκείνων δὲ αἱ καρδίαι οὐ κατενύττοντο. καὶ

ὅτι πολλὰ μὲν ἠνοίγοντο μνήματα, ἐκείνων δὲ αἱ ψυχαὶ οὐκ ἐσφαλίζοντο. καὶ ὅτι νεκροὶ μὲν ἀνίσταντο. ἐκεῖνοι δὲ τοῖς νεκροῖς συνελογίζοντο, οὕτως καὶ ὁ κύριος φιλανθρωπευόμενος ὑπὲρ τῶν ἀνθρώπων γένος ἐν αὐτῷ τῷ σταυρῷ προσηύχετο, πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα τῇ παρούσῃ παραδοσχῇ λέγων, πάτερ ἄφες αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσιν.

Εἶδες ὦ φίλε. πῶς ἐδίδαξεν. καὶ ἐπλήρωσεν, πῶς ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν προσεύχεται; διὰ τί; ἤθελεν ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου, ὡς ἀγανακτῶν ὑπὲρ τῆς ὕβρεως τοῦ υἱοῦ, θανατῶσαι τὸ τῶν Ιουδαίων φῦλον, τοὺς ἀντὶ προσκυνήσεως σταυρὸν πελεκῶντας, καὶ ἀντὶ παρακλήσεως ἥλους χαλκεύοντας, καὶ ἀντὶ προσφορᾶς. ὄξος προσάγοντας. καὶ ἀντὶ δώρων καλάμῳ τύπτοντας, καὶ ἀντὶ κειμηλίων ἀκάνθινον στέφανον πλέκοντας. καὶ πλημμελῶς βοῶντας. τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν διὰ ταῦτα βουλομένου τοῦ πατρὸς ἐξαλεῖψαι *παραυτὰ τὸ τῶν Ιουδαίων φῦλον, ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὡς μεσίτου τάξιν εἰληφὼς, παρακαλεῖ τὸν πατέρα λέγων· πάτερ ἄφες αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. οὐ γὰρ οἴδασιν τί ποιοῦσιν. πολλοὶ γὰρ ἐξ αὐτῶν ἐπιστρέψουσιν. διὸ παρακαλῶ, μὴ συνθερισθῇ ζιζανίοις σῖτος. μὴ συναπόλλωνται λύκοις ἄρνες, μὴ συμφθαρῶσι κόραξιν περιστεραί, μὴ συγκαυθῶσιν ἀκάνθαις ῥόδα; οὐ μόνοι Καϊάφας ἐνταῦθα μαστίζων, ἀλλὰ καὶ Παῦλος *ἐπιστρέφων. οὐ μόνον ὁ δοῦλος τοῦ ἀρχιερέως ῥαπίζων, ἀλλὰ καὶ Στέφανος τὸ μαρτύριον ἐντρεπίζων· πάτερ, ἄφες αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην.

* πᾶν.

* ἐπιστρέψων.

Ταῦτα δὲ ὁ υἱὸς ἔλεγεν πρὸς τὸν πατέρα, οὐχ ὡς τοῦ πατρὸς ἀγνοοῦντος τί βούλεται ὁ υἱὸς, ἢ τοῦ υἱοῦ ἀμφιβάλλοντος, τί θέλει ὁ πατήρ. μία γὰρ βούλησις πατρὸς καὶ υἱοῦ. ἐκεῖνο γὰρ οἶδεν ὁ λόγος, ὃ θέλει ὁ νοῦς.* καὶ ἐκεῖνο οἶδεν ὁ νοῦς, ὃ θέλει ὁ λόγος, οὐχ ὡς ἀγνοῶν τοίνυν τὴν τοῦ πατρὸς βούλησιν. ἔλεγεν ταῦτα, ἀλλ' ὡς βουλόμενος καὶ ἐν αὐτῷ τῷ σταυρῷ ὁ μονογενὴς υἱὸς τὴν ἐμφάνειαν τοῦ πατρὸς ποιήσασθαι, ἵνα μὴ ὡς ξένος καὶ νόθος διαβληθῇ, ἀλλ' ὡς γνήσιος καὶ τῆς αὐτῆς οὐσίας ὤν. διὰ ταῦτα προσεύχεται ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὅπως ὃ ἔλαβεν παρὰ τοῦ πατρὸς, ἀποδῷ καὶ αὐτὸς τῷ πατρί.

* Ita rectè ſuppleuit hunc locum Dominus D.Sebaſt. Tengnagel.

Ἔστι δὲ πάντως εἰπεῖν τινα, τί ἐστιν ὃ ἔλαβεν παρὰ τοῦ πατρὸς. ἵνα ἀποδῷ, καὶ αὐτὸς τῷ πατρί; ἄκουε *ὥσπερ οὐκ ἀγνοεῖς, διὸ ὑπομιμνήσκω, οὐ διδάσκω, ἤκουες ἐν τῷ βαπτίσματι τῷ Ιορδανιαίῳ ἄνωθεν τοῦ πατρὸς βοῶντος, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν ᾧ εὐδόκησα, αὐτοῦ ἀκούετε. ὁ πατὴρ τὸν υἱὸν σημαίνει, καὶ γνωρίζει τοῖς ἀνθρώποις. βουλόμενος τοίνυν ὁ υἱὸς ἀνταποδοῦναι ταύτην τὴν μαρτυρίαν τῷ πατρὶ, ἐν αὐτῷ τῷ σταυρῷ ἐβόα, πάτερ, ἄφες αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην, οὐ γὰρ οἴδασιν τί ποιοῦσιν. καὶ ὅτι δι' ἐμφάνειαν ὁ μονογενὴς υἱὸς

* ὅσπερ vel ὅ-περ.

ταῦτα

πεῦται ἐφώνησεν, ἄκουε αὐτοῦ τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα λέγοντος. πάτερ ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις. τούτου γὰρ χάριν καὶ ἡ οἰκονομία, ἵνα ὁ πατὴρ γνωρίσῃ τὸν υἱόν, ἵνα ὁ υἱὸς γνωρίσῃ τὸν πατέρα, ὡσαύτως μεταξὺ πατρός καὶ υἱοῦ γνωρισθῇ καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. ὁμοίως πάλιν ἄκουε τὸν υἱὸν προσευχόμενον καὶ λέγοντα, πρὸς τὸν πατέρα, πάτερ ἄφες αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην.

Ἀλλὰ εὐακροάτα μὴ ἀρνήσῃ τὴν γνώμην, μὴ σμικρυνῇς τὸ ἀκατάληπτον. ἐὰν γὰρ τὸν υἱὸν σμικρυνῇς, καὶ τὸν πατέρα σμικρύνεις. ἐκεῖ γάρ ἐστιν ὁ πατήρ, ὅπου ἐστὶν ὁ υἱός. διὰ τοῦτο καὶ υἱὸς προσαγόρευται ἀπὸ τοῦ οἷος, τοῦτ' ἔστιν οἷος ὁ πατήρ, τοιοῦτος καὶ ὁ υἱός. διὸ ἀκούων τὸν μονογενῆ τοῦ θεοῦ υἱὸν προσευχόμενον, κατὰ τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως λόγον ἐλάμβανε· προσεύχεται γὰρ οἰκονομικῶς, θαυματουργεῖ δὲ θεοπρεπῶς· οὐκ ἄλλος ὁ πάσχων, καὶ ἄλλος ὁ θαυματουργῶν, εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὁ καθεύδων καὶ ὁ νεκροὺς ἐγείρων. εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὁ πεινῶν, καὶ ὁ χορτάζων. εἷς καὶ ὁ αὐτὸς ὁ μονογενὴς υἱός, ὁ καὶ ἐν τῷ παρθενικῷ σηκῷ ἀστενοχωρήτως οἰκήσας, καὶ ἐν τῷ σταυραίῳ ξύλῳ ἀρρήτως παγείς, καὶ ἐν τῷ λελαξευμένῳ μνημείῳ τὸ τριήμερον καθευδήσας, καὶ ἐν τῇ νεφέλῃ τῆς ἀναλήψεως τὴν ἀπαρχὴν τῆς ἀνθρωπότητος ἀνασφετερίσας, καὶ ἐν τῷ πατρῴῳ κόλπῳ ἀφράστως καὶ ἀχρόνως αὐλιζόμενος, καὶ ἄνω καὶ τῷ μηδαμοῦ λειπόμενος.

Μεγάλα τοίνυν τὰ τῆς προσευχῆς χαρίσματα, ἀνεξάλειπτα τὰ ταύτης δωρήματα. προσευχὴ θλίψεως ἀπουσία, εὐφροσύνης ἐπιστασία, φίλων παραμυθία, τοῦ ἐπὶ πάντων θεοῦ δωροδοσία. ἢ ἐστιν; ἤκουες ἀρτίως τοῦ συγγραφέως μωσέως λέγοντος. εἶπεν ὁ κύριος ἐλιφὰζ τῷ θεμανίτῃ. ἥμαρτες σύ, καὶ οἱ δύο σου φίλοι. οὐ γὰρ ἐλαλήσατε ἐνώπιόν μου οὐδὲν ἀληθές, ὥσπερ ὁ θεράπων μου Ἰώβ. καὶ νῦν λάβετε ἑπτὰ μόσχους καὶ ἑπτὰ κριούς, καὶ πορεύθητε πρὸς τὸν παῖδά μου Ἰώβ, καὶ ποιήσει καρπώσεις ὑπὲρ ὑμῶν, καὶ ζήσεσθε, ὅτι εἰ μὴ πρόσωπον αὐτοῦ ἔλαβον, ἀπώλεσα ἂν ὑμᾶς. εἶδες προσευχὴν φίλων εὐεργεσίαν, καὶ πῶς ὁ θεὸς διὰ προσευχῆς λύσιν πλημμελημάτων χαρίζεται.

Εἶπεν ὁ κύριος τῷ ἐλίφας. ἥμαρτες σὺ καὶ οἱ δύο σου φίλοι. πορεύθητε οὖν πρὸς τὸν παῖδά μου Ἰώβ, καὶ προσεύξεται ὑπὲρ ἡμῶν ὁ θεράπων μου Ἰώβ, καλῶς ὁ κύριος ἐν ταυτῷ τὸν Ἰώβ, καὶ παῖδα, καὶ θεράποντα προσαγορεύει. παῖδα τὸ τῆς δουλείας ὄνομα, θεράποντα τὸ τῆς εὐσεβείας κατόρθωμα. πορεύθητε πρὸς τὸν παῖδά μου Ἰώβ. ὁ θεράπων μου προσεύξηται ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ζήσεσθε. ὢ τῆς τοῦ κυρίου ἀγαθότητος, αὐτὸς φιλανθρωπεύεται, καὶ τῷ Ἰὼβ τὴν χάριν παρέχει, σφόδρα καλῶς, ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς παροῦσιν κοσμικοῖς ὁ βασιλεὺς

βουλόμενος τὸν ἔγγιστα αὐτοῦ καὶ πλουτίσαι καὶ δοξάσαι, δι' αὐτοῦ δὲ τοὺς θαρροῦντας, καὶ σωτηρίαν καταδίκοις χαρίζεται. ὅπως κἀκείνους εὐεργετήσῃ, καὶ τὸν ἔγγιστα πλουτήσῃ· οὕτω καὶ ὁ τῶν πάντων βασιλεὺς θεός, βουλόμενος τὸν Ἰώβ, ὡς ἴδιον ἄνδρα δοξάσαι δι' αὐτοῦ τὴν ἁμαρτίαν τοῖς φίλοις συγχωρεῖ, ὅπως καὶ αὐτὸς δοξασθῇ, κἀκεῖνοι τῆς ἁμαρτίας ῥυσθῶσιν.

Πορεύεσθε πρὸς τὸν παῖδά μου Ἰὼβ εἰ μὴ παρ' αὐτοῦ παρακληθῶ, συγγνώμην οὐ δίδωμι. πορεύθητε πρὸς τὸν παῖδά μου Ἰώβ, ὃν ὑβρίσατε παρακαλέσατε. ὃν ἠθετήσατε, δοξάσατε· τὸν εἰκλωμένον ἱερέα δέξασθε. τὸν ἐπὶ τῆς κοπρίας ἐπὶ τῷ θυσιαστηρίῳ κατανοήσατε. οὐ γὰρ ὡς ἁμαρτωλὸν αὐτὸν ἐγκατέλιπον, ἀλλ' ὡς δίκαιον ἐδόξασα. χρυσὸς ἐν καμίνῳ δοκιμάζεται, καὶ δίκαιος ἐν πειρασμοῖς λαμπρύνεται. μὴ ἐζημίωσεν αὐτὸν ἡ κοπρία. μὴ οὐ γέγονεν ἐνδοξότερος; μὴ κακῶς ἐπραγματεύσατο; οὐκ ἔδωκεν ἁπλᾶ, καὶ διπλᾶ ἔλαβεν;

Πορεύθητε πρὸς τὸν παῖδά μου Ἰώβ, τὸν ἀπὸ καμάτου, καὶ συγκοπῆς εἰς ἄνεσιν ἐλθόντα, μάθετε φίλου πιστοῦ προκοπήν, ἐκεῖνος πιστός, ὑμεῖς δὲ ἄπιστοι. ἐξ ὧν οἴδατε, μάθετε, ὅτι οὐδεὶς πιστεύσας εἰς κύριον, ἐγκατελείφθη. πορεύθητε πρὸς τὸν παῖδά μου Ἰώβ. ὅτι εἰ μὴ δι' αὐτὸν ἀπώλεσα ἂν ὑμᾶς.

Ταῦτα ἀκούσας Ἐλίφας εὐθέως παραλαβὼν τοὺς δύο φίλους, Βάλδαν καὶ τὸν Σοφάρ, ἐπορεύθησαν δρομαίῳ ποδὶ πρὸς τὸν γενναιότατον Ἰώβ. καὶ πορευθέντες προσέπεσον, ἐδεήθησαν, ἠξίωσαν, παράκλησιν ᾔτησαν, λέγοντες πρὸς τὸν Ἰώβ, ἐσφάλημεν γενναιότατε, οὐκ εἴδομεν τὸ συμβάν σοι. νῦν ἔγνωμεν, ὅτι ἐρράγη ὁ ἀντίπαλος, ἐξ ὧν σὺ στεφανηφόρος ἀνεδείχθης. πρέσβευσον ὑπὲρ ἡμῶν, * κατηλλάγη ἡμῖν ὁ ἡμέτερος βασιλεύς, σὸς δὲ θεὸς καὶ ἀγωνοθέτης, αὐτὸς ἡμᾶς ἀπέστειλεν πρός σε εἰρηνικῶς, ὡς δίχα τῆς σῆς παρακλήσεως συγγνώμην ἡμᾶς τῶν πλημμελημάτων μὴ δέξασθαι.

* καταλλά-χθητι.

Ταῦτα ἀκούσας ὁ φιλόφιλος Ἰώβ, οὐκ ἀνεβάλετο, οὐκ ἐδίστασεν, οὐκ ὠνείδισεν, οὐκ ἀπεστράφη ἤδη τῶν φίλων πταίσματα συγχωρεῖν, διὸ παραυτὰ τὴν θυσίαν τῆς προσευχῆς πληρώσας, τὸν μὲν θεὸν ἐδυσώπησεν, τοὺς δὲ φίλους εὐεργέτησεν, ἑαυτὸν δὲ πρὸς εὐχαριστίαν παρέστησεν. τί οὖν ὁ συγγραφεὺς Μωυσῆς; καλὸν γὰρ καὶ τὰ ἀκόλουθα μηνῦσαι. προσευξαμένου δέ. φησίν, τοῦ Ἰὼβ περὶ τῶν φίλων αὐτῶν, ἀφῆκεν αὐτοῖς ὁ κύριος τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν προσέθηκεν δὲ ὁ θεὸς τῷ Ἰὼβ διπλᾶ πάντα ὧν εἶχεν ἔμπροσθεν. ἀκούσαντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ καὶ ἀδελφαὶ πάντα τὰ συμβάντα αὐτῷ, παρεγένοντο πρὸς αὐτόν, φαγόντες δὲ καὶ πιόντες παρ' αὐτῷ παρεκάλεσαν αὐτόν.

Ὢ ἀδελφῶν καὶ συγγενῶν καταδρομή. ἐν πένθει οὐδείς, ἐν εὐωχίᾳ πολλοί. ὅτε ἐπὶ τῆς κοπρίας ἐκαθέζετο, πάντες ἀπέφυγον. ὅτε ἐν τοῖς βασιλείοις ηὐλίζετο,

ηὐλίζετο, πάντες ἐπέτρεχον. τοῦτο δὲ οὐ μόνον τότε, ἀλλὰ καὶ νῦν συμβαίνει. πολλάκις τις πταίεται, καὶ οὐ μόνον ὑπὸ τῶν συγγενῶν οὐ γνωρίζεται, ἀλλὰ καὶ τοὐναντίον ὅρκους δέχεται μηδέποτε τῷ γένει πλησιάζειν. ἐὰν δὲ προνοίᾳ τοῦ τὸν Ἰὼβ ἐκ δευτέρου πλουτήσαντος, καὶ οὗτος καὶ ἀξιώματος ἐπιλάβηται, πάντες οἱ συγγενεῖς κατατρέχουσιν, παρακαλοῦσιν, θάλπουσιν, πολλάκις λέγουσιν, ἃ ηὐξόμεθα εἴδομεν, ὡς εἶναι τοὺς τοιούτους τῆς ὑπάρξεως, καὶ οὐ τῆς φύσεως συγγενεῖς. τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ ἐπὶ τοῦ γενναιοτάτου Ἰὼβ, ὅτε ἐπὶ τῆς κοπρίας ἐκαθέζετο, καὶ τοὺς ἰχῶρας ἀπέξεεν, καὶ κάμνων ἀνελέγετο, καὶ σιτίων ἔλεγεν. διὰ τί ἐν κοιλίᾳ μητρός μου οὐκ ἐτελεύτησα; διὰ τί δὲ ἐξελθὼν εὐθέως οὐκ ἀπωλόμην; διὰ τί δὲ συνήντησάν μοι γόνατα; διὰ τί μαζοὺς ἐθήλασα μητρός μου. τότε οὐκ ἀδελφὸς δακρύων, οὐκ ἀδελφὴ πενθοῦσα, οὐ συγγενὴς στενάζων, μόνον δὲ τῆς βασιλείας ἐπελάβετο, καὶ δεσπότης ὑπάρξεως δεσπότης γέγονεν, εὐθέως οἱ ἀδελφοὶ παρασταθόμενοι, αἱ ἀδελφαὶ πορευόμεναι, οἱ φίλοι ἐπερειδόμενοι. *M. S. exempl.* βαρευόμεναι.

Τί δὲ λέγω περὶ τῶν ἀδελφῶν καὶ συγγενῶν, καὶ οὐ μεταφέρω θᾶττον τὸν λόγον. διὰ τὸ τῆς ὥρας ὀψὲ, ἐπὶ τὴν γαμετὴν τοῦ Ἰὼβ. καὶ γὰρ καὶ αὐτὴ κάμνοντος τοῦ Ἰὼβ, καὶ ἐν ἀγωνίᾳ διάγοντος σκληροτέρα πάντων γεγένηται, τοῦτ᾽ ἔστιν, ὀνειδίζουσα βλασφημεῖν παρακελευομένη, λέγουσα πρὸς τὸν ἄνδρα· μέχρι τίνος καρτερήσεις λέγων. ἰδοὺ ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου. ἰδοὺ γὰρ ἠφάνισται τὸ μνημόσυνόν σου ἀπὸ τῆς γῆς. υἱοὶ καὶ θυγατέρες, ἐμῆς κοιλίας ὠδῖνες, καὶ πόνοι ἐπλεύθησαν οὓς εἰς τὸ κενὸν ἐκοπίασα μετὰ μόχθων, σὺ δὲ αὐτὸς ἐν σαπρίᾳ σκωλήκων κάθη διανυκτερεύων αἴθριος· ἐγὼ δὲ πλάνη τις, καὶ λάτρις, τόπον ἐκ τόπου, καὶ οἰκίαν ἐξ οἰκίας διερχομένη. πότε δύσεται ὁ ἥλιος, ἵνα ἀναπαύσωμαι τῶν μόχθων, καὶ τῶν ὀδυνῶν, αἵ με νῦν συνέχουσιν; ἀλλ᾽ εἰπόν τι ῥῆμα πρὸς κύριον. καὶ τελεύτα. εἶδες ἀνελπιστίας ῥήματα, μέχρι τίνος καρτερήσεις λέγων. ἰδοὺ ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν, τοῦτ᾽ ἔστιν, ἕως πότε φρεναπατᾷς ἑαυτὸν, προσδοκίαν ἀγαθῶν περιδοκῶν, ποία σοι ἐλπὶς ὑπολέλειπται; τί δέ σοι ὤνησεν τὸ συχνῶς τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐπαίρειν, καὶ τὰς εὐχὰς πλατύνειν; ἄνωθεν ἐπολεμήθης, καὶ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πῦρ κατηνέχθη.

Ταῦτα τῆς γυναικὸς ἔτι λεγούσης τῷ Ἰὼβ, ἐν τῷ πειρασμῷ διάγοντος, τότε μὲν ὁ Ἰὼβ οὐδὲν ἀπεκρίνατο, μόνον δὲ τῆς βασιλείας ἐπελάβετο, καὶ τῆς ὑπάρξεως τετύχηκεν, καὶ ἴδεν ἀδελφοὺς καὶ φίλους καὶ συγγενεῖς. καὶ πάντας εὐωχουμένους, ὁμοίως καὶ τὴν γαμετὴν τῷ βασιλικῷ πέπλῳ φαιδρυνομένην, καὶ τῶν αὐτῶν τέκνων μητέρα γινομένην, στραφεὶς πρὸς τὴν γυναῖκα ὁ Ἰὼβ ἔλε-

γειν, τί λέγεις γύναι; οὐ σὺ εἶ ἡ πάντων μοι χαλεπώτερον ἐπιπλήξασα; οὐκ ἔλεγες μοι, μέχρι τίνος καρτερήσεις, λέγων, ἰδοὺ ἀναμένω χρόνον ἔτι μικρὸν προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου; ἢ ὁ γεωργὸς στάχυν οὐκ ἐκδέχεται; κἀγὼ τὸν θεὸν οὐ προσμένω τὸν ἀνιστῶντα πένητα ἀπὸ γῆς, καὶ ἀπὸ κοπρίας ἐγείροντα πτωχόν; μὴ οὐκ ἦλθεν τὸ θέρος τῶν ἀγαθῶν; μὴ οὐκ ἔφθασεν τὸ ἔαρ τῆς ἀπολαύσεως; οὐχὶ μᾶλλον πλουτεῖς ἢ πρότερον; μὴ οὐ γέγονας ἄμπελος διάφορος; ἐκείνους ἐτρύγησας, ἀλλὰ τούτους κρατεῖς. κἀκεῖνοι ζῶσιν καὶ οὗτοι σκιρτῶσιν· οὕτω γὰρ διπλᾶ ἀπέλαβες πάντα εἰ ἤκουσά σου γύναι. καὶ βλασφημήσας τὸν βίον ἐξῆλθον, πόθεν ἡ ἀνάστασις τῶν ἀγαθῶν; εἶδες ἡ κοπρία τῆς ὑπομονῆς πόσον καρπὸν ἐβλάστησεν.

Διὸ γύναι ἀπὸ τοῦ λοιποῦ μὴ ἄρξῃ λέγειν, ἐγὼ πλανῆτις καὶ λάτρις. ἔπεσεν γὰρ ὁ πλάνος καὶ κατήργηται ὁ εἰδωλολάτρης, ὄντως ἔπεσεν ὁ πλάνος ὁ διάβολος, ὁ ἀεὶ καθ᾽ ἑαυτοῦ τοὺς βοθύνους ἐγείρων. σήμερον γὰρ καὶ σταυρὸς πλέκεται, καὶ Ἰὼβ στεφανοῦται, καὶ ὁ Ἀδὰμ ἀνακαινοῦται, καὶ λῃστὴς ἐπαινεῖται. σήμερον καὶ τάφος σφραγίζεται, καὶ οὐρανὸς ἀνοίγεται. σήμερον ὁ δεσπότης ῥαπίζεται, καὶ ἡ ἀνθρωπότης τὴν ἐλευθερίαν δέχεται· καὶ μαρτυρεῖ μοι τῷ λόγῳ Παῦλος βοῶν· τῇ ἐλευθερίᾳ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσεν· στήκετε ἑδραῖοι. αὐτῷ ἡ δόξα, καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

ORATIO

LEONTII PRESBYTERI CONSTANTINOPOLITANI IN SANCTAM PARASCEVEN MAGNÆ HEBDOMADIS, IN PASSIONEM Chriſti, & in Iob.

EXIMIA ſunt orationis dona; & indelebilia eius præclarè facta. Quocunque quis oculos conuerterit, nihil oratione pretioſius inueniet.
Gen.8. Oratio Noë gubernaculi loco fuit, & in diluuio diuinitus immiſſo naufragij expertem con-
1.Reg.1. ſeruauit. Oratio ſterilitatem Annæ depulit, & ab execrabili maledi-
Ion.2. ctione mirabiliter liberauit. Oratio Ionæ ex ventre ceti domum orationis

tionis effecit;& Nineuitis vrbem indemnem illæſamq́; præſtitit. Oratio Regi Ezechiæ quindecim vitæ annos donauit, & vt verbis compendium faciam; quantæ virtutis ſit oratio, conſtabit, ipſo Domino noſtro in medium adducto,qui & fecit & docuit;qui non ſolùm orauit; ſed & ad orationem cohortatus eſt; ſic ſuos Diſcipulos inſtruens; *cùm oratis dicite:Pater noſter,qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum.* Vt filij patrem inuocate, vt milites Regem exſpectate, tanquam conſcripti in Regno cœlorum ciues. Et præter nomen Domini,* nullum aliud inuocate. *Ibid.4.* *4.Reg.20.* *Matth.26.* *Luca 11.* ** Eo ſcilicet modo, quo Deus inuocatur.*

Cæterum non modò pro ſeipſis docuit eos Dominus preces fundere; ſed & pro calumniantibus,inimicis, & inſidiantibus, vt ex his Domini monitis diſcere licet.*Orate pro calumniantibus vos. Benefacite his, qui vos oderunt.* Quod Dominus docuit,hoc & fecit. Orauit & ipſe pro hoſtibus à quibus ſpernebatur & contumeliis afficiebatur. Et quando orauit Dominus pro inimicis? Quando?Hodierna die,cum cruci affixus eſt. Hodie enim, vt noſtis, omnium Iudex crucifigitur. Quapropter cum Dominus à Iudæis ſe crucifixum, Iudæos autem ab inanimatis elementis condemnatos; item ſolem obſcurari,illos autem nullo mœrore affici: Terræ motum generalem excitari; illos verò à malitia ſua non diſcedere; Velum Templi ſcindi, at illorum corda non compungi;multa monumenta aperiri;illorum verò mentes non illuminari; mortuos reſurgere, illos autem mortuis annumerari vidit;miſericordia erga genus humanum commotus in ipſa cruce preces ad patrem ſuum hoc ipſo die effudit,*pater*,inquiens,*dimitte illis hoc peccatum,quia neſciunt, quid faciant.* *Luca 6.* *Ibid.* *Luca 23.* *Matth.27.* *Luca 23.*

Animaduertis chariſsime, quà ratione & docuerit, & quod docuit, reipſa præſtiterit, & pro inimicis orauerit? Qua de cauſſa? Quia voluit pater Domini, tanquam iratus pro iniuria filio irrogata, excindere genus Iudæorum,qui loco adorationis Crucem fabricabant, loco inuocationis,clauos parabant,loco oblationis ſeu ſacrificij acetum offerebant, loco munerum arundine percutiebant; & loco pretioſorum donorum, ſpineam coronam plectebant, audacter vociferantes:*Sanguis eius ſuper nos,& ſuper filios noſtros.* Horum ſcelerum gratia, cum pater Iudæorum nationem exterminare cogitaret, vnigenitus filius,Mediatoris vicem ſubiens, patri ſupplicat, dicens: *Pater dimitte illis hoc peccatum, non enim ſciunt, quid faciant.* Multi namque ex illis ad saniorem mentem conuertētur;propterea rogo,ne cum zizaniis demetatur triticum, ne pereant oues cum lupis. Ne perimātur cum coruis columbæ.Ne roſæ concrementur cum ſpinis. Non ſolùm hîc eſt Caiphas flagellans, ſed & Paulus in rectam viam reuerſurus: non ſolùm *Matth.27.* *Ibidem.* *Luc.23.* *Actor.9.*

Matth.26. hîc viſitur Pontificis ſeruus alapam impingens,ſed & Stephanus Martyrij *Actor.7.* coronam adornans. *Pater ne ſtatuas illis hoc peccatum.*

Hæc filius ad patrem protulit, non quaſi ea patri ignota eſſent; quid enim filius vult? aut filio dubitante, quid volet pater? cum ſit vna patris & filij voluntas, nam illud ſcit verbum, quod vult mens ſeu ratio; & illud ſcit mens;quod vult verbum. Igitur non vt paternæ voluntatis ignarus hæc dicebat; ſed in ipſa itidem Cruce indicium ac ſignificationem patris ſui vnigenitus filius dare voluit, ne vt peregrinus & alienus à natura patris calumniam pateretur,ſed eiuſdem ſubſtantię ſeſe declararet.Eam ob cauſſam orat vnigenitus filius,vt quod à patre acceperat, patri reddat.

Dixerit quis. Quid eſt, qud à patre accepit,vt illud patri reddat? Audi etiamſi noueris, nam in memoriam reuoco,non doceo. Audiſti Chriſto in Iordanis aqua baptizato, patrem ſuperis è regionibus *Matth.4.* inclamantem: *Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui.ipſum audite.* Hac teſtificatione pater hominibus filium ſuum notum teſtatumque facere voluit. Volens igitur filius hoc teſtimonium patri *Luc.23.* reddere, in ipſa Cruce clamabat: *Pater dimitte illis hoc peccatum: neſciunt enim, quid faciant.* Filium autem hoc dixiſſe, vt patrem ſuum patefaceret, *Ioan.17.* intelliges ex his filij ad patrem verbis: *Pater manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Huius gratia,diuina itidem diſpenſatio ſeu Incarnatio peracta eſt,vt pater filium, & vt filius patrem notum faceret: vtque inter patrem & filium ſimiliter Spiritus ſanctus cognoſceretur. Eandem ob cauſſam à filio patri dictum exiſtima: *Pater dimitte illis* hoc peccatum.

Sed,ô bone auditor, ne hanc ſententiam ſeu voluntatem inficieris. Ne incomprehenſi honorem imminuas. Si enim filij honorem minuas, minues & patris; nam ibi eſt pater, vbi & filius: propterea ὑιὸς (filius) nomen habet ab οἷος, hoc eſt, *qualis pater, talis & filius.* Quapropter cum vnigenitum Dei filium precantem audis, id ſecundum humanam naturam fieri exiſtima.Orat enim per diſpenſationem;ſed *Matth.8.* miracula patrat,vt Deus: vnus & idem qui dormit, & qui mortuos *Luc 7.* excitat: vnus & idem qui eſurit, & qui ſatiat. Vnus & idem vnige-*Ioan.11.* nitus filius, qui in virgineo tabernaculo abſque anguſtiis habi-*Matth.4.* tat, & qui in Crucis ligno ineffabiliter figitur, & in exciſo monu-*Ioan.6.* *Matth.28.* mento tridui quietem capit; & qui in nube Aſcenſionis primitias *Actor.1.* humanæ naturæ ſurſum euexit, inque paterno ſinu inexplicabili-*Marc.16.* ter & abſq; temporis circumſcriptione degit;cui in ſupernis nihil penitus deſit.

Eximia

Lutherus in inſtructione verè & intelligenter baptizandi Tom. 1. Nouorum operum. Der Teuffer zum Kinde. Das Zeichen deß heiligen Creutzes vnſers Herrn Jeſu Chriſti mach ich dir an deine Stirn. Das Zeichen deß Seligmachers/ vnſers Herrn Jeſu Chriſt / mach ich dir an deine Bruſt. Nun hin das Zeichen deß Creutzes Chriſti / als an der Stirn / alſo auch im Hertzen. Baptizans ad infantem. *Signum ſanctæ Crucis Domini noſtri Ieſu Chriſti pingo tibi in fronte. Signum Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti facio tibi in pectore. Accipe ſignum Crucis Chriſti, vt in fronte; ſic in corde.* Hæc quidem Lutherus, cuius doctrinæ ac monitis vix iam Lutherani parent; quia vt in aliis, ſic & in odio huius ſacri ſignaculi *Caluinizare* incœptant.

CAPVT X.

Cruces intra Templa & in Templorum faſtigiis etiam apud nonnullos Lutheranos.

Lege Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 14. & Tom. 3. lib. 3. cap. 6.

EDIDIT Andreas Beringer Lutheranus Prædicans concionem de nouo Templo ædificato Frevvdenſtadij, excuſam Stutgardij M.DC.VIII. in qua myſticè explicat omnes Templi partes, & tandem etiam ad altare venit. (nam & hac voce vtuntur adhuc Lutherani) & pòſt ad crucem his verbis: Durch das ſchöne kunſtreiche Crucifix aber / welches gleich hinder dem Altar wirdt auffgerichtet werden/können wir vns erinnern/ daß wir im H. Nachtmal eben den Leib vnd Blut empfangen / ſo vnſer Herr vnd Heyland

land Chriſtus am Stammen deß Creutzes hat auffgeopffert. *Eximia illa & faberrimè facta Crucifixi imago, quæ ponè altare erecta conſiſtit, in memoriam nobis reuocare poteſt; quòd in cœna idem corpus & eundem ſanguinem percipiamus; quæ in cruce Redemptor noſter Chriſtus immolauit.*

Infrà. Daß aber auff der Kirchen ein Creutz ſtehet / ſollen wir vns darbey erinnern/ das in diſer Kirchen geprediget werde / das Wort vom Creutz/ vnd welcher Chriſti Jünger ſeyn wölle/ der muß ſich ſelber verlaugnen/ ſein Creutz auff ſich nemmen täglich/ vnd alſo ſeinem Creutzherrn Chriſto nachfolgen.

Nun bezeugt aber die Erfahrung/ daß es gemeinlich im Creutz / vnd der Verfolgung vil Wetterhanen/ vnd Mamalucken geb / demnach iſt auff das vergulte Creutz auch ein Wetterhan geſetzt / welcher vns erinnern ſoll / daß das Creutz/ vñ die vnbeſtändige Wetterhanen gemeinglich gar nach bey einander ſeyen.

Quod verò Eccleſiæ faſtigio Crux eſt impoſita, condocemur, in hac Æde verbum crucis prædicari, & eum, qui velit eſſe Chriſti diſcipulus, ſe abnegare; ſuam crucem quotidie tollere, & ſic Chriſtum ſequi debere. Teſtatur porrò experientia, cruce & perſecutione exorta, oriri ſimul multos inconſtantes, mobiles, verſatiles, imò & apoſtatas. Eam ob cauſam cruci inſiſtit gallus aneus, à vento agitabilis; quo monemur, crucem & huiuſmodi quouis aura impulſu mobiles homines plerumque valdè propinquos eſſe. Hæc Lutheranus ille Prædicans; cuius tamen nonnulli ſymmyſtæ vix æquis oculis crucem in templis vel ſupra templa intueri queunt. Hinc cum ante aliquot annos clariſsima quadam in vrbe Lutheranum quoddam templum repararetur; & in culmine noua Crux eaque rutilans & radians collocata eſſet; haud id æquis animis à Prædicantibus acceptum eſt: in quorum arbitrio ſi hæc res fuiſſet; Crux nunquam eo loci à tranſeuntibus conſpiceretur.

CAPUT XI.

Crux in moneta.

DE Cruce in moneta audi Matthæum VVeſtmonaſterienſem in Floribus Anno Chriſti M. CCXLVII. *Leg. Tom. 1. de S. Cruce lib. 2. cap 56.*

Temporibus ſub iiſdem, moneta Eſterlingorum; propter ſui materiam deſiderabilem, deteſtabili circumciſione cœpit deteriorari, & corrumpi per illos falſarios monetarum, quos tonſores appellamus: adeò, vt vix interiori circulo nummi parcendo, limbum literatum totaliter aſportarent. Cùm igitur cœpiſſet ſupra modum numiſma vitiari, cœpit Domini regis conſilium de remedio tractatum habere diligentem, vt videlicet moneta in forma, vel materia ſalu-

briter mutaretur. Viſum quoq; eſt multis diſcretis, & circumſpectis, quod vtilius foret, materiam mutare, quàm formam alterare: cum ratione materiæ, non formæ, talem incurriſſet moneta mutilationem. Cui rationi Francorum numiſma, & multorum aliorum Principum perbibet teſtimonium, & exemplum. Eadem commemorat Matthæus Pariſius in Henrico III.

fol. 722. Qua porro ratione huic incommodo obuiam itum ſit, declarat VVeſtmonaſterienſis Anno M.CCXLVIII. *Diebus quoq; ſub eiſdem, moneta Angliæ per deteſtabiles tonſores, & falſarios adeò intolerabiliter eſt corrupta, (ſicut prætactum eſt.) quòd eam nec indigenæ, nec etiam alienigenæ oculo recto, vel illæſo corde poterant amplius intueri. Prouiſum eſt igitur, non alterato legali pondere, vel literata ſupra ſcriptione, vt crucis brachia in altera parte denarij vſq; ad limbum eius duplicia extenderentur, vt quadrifariam diuidi poſſet hoc modo.*

Sed quâ ratione abſterriti ſunt illi, quos appellat, tonſores, ne deinceps nummos circumciderent? An reuerentia crucis, quam neceſſariò violaturi erant, ſi quid abradere tentaſſent, quippe crucis brachiis iiſque duplicibus iam ad extimum limbum protractis? Hector Boëthius lib. 6. Hiſt. Scotorũ de Donaldo primo Scotorũ Chriſtiano Rege. *Donaldus præter hac primus omnium Scotorum Regum, vt in noſtris annalibus proditum eſt memoriæ, nummum argenteum, aureumq; ſignauit, vnâ parte, ſalutiferæ Crucis; altera, ſui capitis effigie expreſſa, quo ſuſcepta à ſe primum inter Scotos reges Chriſtianæ pietatis memoriam ad poſteros propagaret.*

In Annalibus Turcicis à Leunclaio editis, legimus Taliſmanos, (Popas Turcicos) prohibuiſſe in commerciis & contractibus vſum antiquæ monetæ, aſprorumque veterum; *& emolumenti proprij cauſſa, numulariorum more, monetam veterem aſtutè ad ſe tranſtuliſſe, eiusq; loco nouam ſignaſſe. Hoc,* inquit Leunclaius, *explicationem minimè difficilem habet, quippe nota lex Mahometis, quæ ſtatuas, ſimulacra, ſculptas & pictas imagines ſe*uerè prohibuit, &c.

Itaq; cum Romanorum, & Græcorum Imperatorum imagines in nummis, & aſpris expreſſa conſpicerentur, violari Prophetæ legem clamabant, & abolendæ monetæ veteris auctores erant. Sed interim ſub prætextu religionis impoſtores nequiſſimi quæſtum faciebant, vt ipſimet Turci ſatis ingenuè fatentur. Hodie non amplius animos Turcorum illa religio tantoperè tangit, vt ſignatos Chriſtianorum Principum charactere nummos auerſentur; Imò nummos, ſiue ducatos Venetos quibus vetitæ lege Mahumetis impreſſæ ſunt imagines, Sultaninis ſuis, qui nihil habent legi contrarium, Arabicis duntaxat inſigniti literis, longè præferunt. Taleris autem Germanicis, præſertim quibus aut ipſius Imperatoris, aut Ferdinandi Archiducis, aut ſeptemuiri Saxonis inſculpti ſunt vultus, vſq; adeò non infeſti ſunt, vt ex illis ipſis ſibi prohibitis agnitos imaginibus expetant auidiſſimè: nec dubitent, modo ſe pro mercibus ſuis eos habituros intelligant, de communi precio trientem, vel quadrantem

drantem remittere. Ne pondus quidem horum explorant, quod tamen in Sultani ſui, cæteriſq; monetis vſitatis, ſcrupuloſè facere ſolent.

Idem hodie animus eſt noſtris Iconomachis, qui Crucem & imagines in nummis non modò non oppugnant, ſed & mirificè amant.

CAPVT XII.

Inſtrumenta Crucis ſigno munita.

ROGERVS in Annalibus Anglicanis, de Ethelvvulfo Rege: *Decimam totius Regni ſui partem ab omni regali ſeruitio & tributo liberauit; & in ſempiterno graphio in cruce Chriſti, &c. vni & trino Deo immolauit, &c.* Per *graphium* intelligere videtur ſcriptum inſtrumentum, ſeu diploma, quo Rex ſuam voluntatem teſtatus eſt. Illud, *in Cruce Chriſti,* indicat, hoc diploma ſigno Crucis vel prænotatum vel ſubnotatum fuiſſe, more veteri Anglorum, cuius conſuetudinis multa exempla inuenies in Hiſtoria Ingulphi Anglicani ſcriptoris, cum Annalibus Rogerianis publicati. Vide lib. 2. de S. Cruce. cap. 16. & 18. *Lib. 2. de S. Cruce cap. 18.*

CAPVT XIII.

Excellens quorundam pietas erga S. Crucem.

DE Roberto Galliarum Rege ita ſcribit Helgaldus in eius Vita. *Poſt menſam* (die cœnæ Domini) *præparans ſe ad Dei ſeruitium rex humilis ponebat veſtimenta ſua indutus ad carnem cilicio, adiunctoq; clericorum collegio centum ſexaginta, & eo amplius numero, ad exemplum Domini, eorum pedes lauans, capillis capitis ſui tergebat, & ad mandatum Domini ſingulos eorum duobus ſolidis remunerans, clero præſente, & diacono aſtante, qui lectionem legeret ſecundum Ioannem in cœna Domini dictam, & factam. Talibus factis occupabat ſe rex meritis glorioſus, loca Sanctorum perluſtrando toto die ſancto Paraſceue, & Crucem Domini adorando vſque in vigilia ſanctæ reſurrectionis, in qua aſſumebat ſtatim ſacrificium laudis, quæ non defuit ab eius ore, in omnibus ſeculis.* *Vide Tom. 1. de S. Cruce lib. 2. cap. 66.*

Cambris hanc laudem vniuerſim tribuit Gyraldus Cambrenſis in deſcriptione Cambriæ. *Præ omni autem peregrino labore, Romam peregrè libentius eundo, deuotis mentibus Apoſtolorum limina propenſius adorant. Eccleſiis autem, & Eccleſiaſticis viris, ſanctorum quoq; reliquiis, & campanis baiulis, libris textis, & cruci, deuotam reuerentiam exhibere, longeq; magis, quàm vllam gentem his omnibus honorem deferre videmus. Vnde & Eccleſiæ iſtorum longè maio-*

maiorem, quam alibi, pacem habent. Non etenim in cæmeteriis ſolum, verùm etiam extra procul per metas, & foſſas vlteriores ab Epiſcopis cauſa pacis impoſitas, & conſtitutas, animalibus ad paſcua pax ſeruatur. Eccleſia verò maiores, quibus maiorem antiquitas reuerentiam exhibuit: quatenus armenta manè ad paſcua exire, & veſperi redire poßint, pacem præbent. Vnde, ſi cum Principe capitales quis inimicitias incurrerit, ſi Eccleſia refugium quæſierit, eâdem ſibi, & ſuis pace gaudebit. Pacis nomine intelligit immunitatem, & impunitatem: cuius pacis ſigna & indicia erant erectæ Cruces. Et certè magnum priuilegium erat, immunitatem Eccleſiarum terminis vſque adeo amplis circumſcribi.

CAPVT XIV.

Imagines & Cruces in via, tanquam comites aſſumptæ.

NON omittendum eſt quod ſcribit Gregorius II. Pontif. Epiſt. ad Leonem Iſaurum apud Baron. DCC. XXVI. *Nec vllus ex Chriſti amantibus & religioſis hominibus iter peragens, abſq; imaginibus peregrinationes obibat, vtpote qui virtute præditi, & apud Deum probi eſſent.*

Inter has imagines, quas iter facientes, tanquam viæ comites ſecum deferebant, quis crucem fuiſſe ambigat? Porrò idem Pontifex obiectiunculam quandam Leonis Iſauri ibidem ſcitè admodum refellit hunc in modum. *Scripſiſti: Qui fit, vt in ſex Conciliis de imaginibus nihil ſit dictum? Enimuerò Imperator, ne de pane quidem, & aqua dictum eſt quidquam, ſit ne comedendum, an non comedendum; bibendum, an non bibendum? quandoquidem hæc antiquitus, & à principio ad vitæ humanæ conſeruationem habes tradita: ſic etiam imagines traditæ fuerant, ipſiq; Pontifices, imagines ad Concilia deferebant.*

CAPVT XV.

Supplices ad Crucem confugiunt.

Vide Tom. 1. de S. Cruce lib. 2. cap. 20. & lib. 1. cap. 84.

LOTHARIVS Regis Hugonis filius, vt Mediolanenſium animos ad miſericordiam inflecteret, in Eccleſia beatorum Confeſſoris & Martyrum Ambroſij, Geruaſij & Protaſij ante *Crucem* ſe proſtrauit, vt ſcribit Luitprandus lib. 5. cap. 13. Nec infeliciter hoc factum cecidit, vt idem Auctor memorat.

CAPVT

CAPVT XVI.

Contumelioſi in S. Crucem puniti.

DE Apoſtatis quibuſdam in ſanctam Crucem contumelioſiſsimis hæc Albertus Canonicus & cuſtos Aquiſgranenſis lib. 10. ca. 47. (quem Reineccius ſine nomine, ſub Chronici Hieroſolymitani titulo euulgauit) *Erat & alia turris* (in ciuitate Sagitta, quam Rex Balduinus oppugnabat) *in qua Apoſtatæ, & præuaricatores fidei ex prouincia de Comitatu Reimundi ad defenſionem poſiti, reſiſtebant, qui ligno Dominico, quod Rex à Hieruſalem detulerat ad protegendum populum* DEI, *deridentes illudebant, & ſibi contrariò crucem facientes, & in culmine eiuſdem turris figentes, ſputo, & vrina ipſi inſipientes, & maligni inhonorare præſumebant. Quod pius Rex, & omnis populus deplorantes,* DEVM *cæli flebili voce inuocant, vt fontem miſericordiæ ſuæ aperiens, apoſtaticis viris, & ſtultis Sarracenis demonſtrare velit, quòd non rectè agentes, diuinæ maieſtati blaſphemiam irrogare præſumpſiſſent. Mox eorum precibus exauditis, abſq; hominum labore ſic turris illa concuſſa, & diruta eſt, iam veſpere mundo imminente, vt lapis ſuper lapidem non remaneret, & increduli homines ruina illius ſuffocati, obruerentur.*

Leg. Tom. 1 de S. Cruce ca. 68.

In Chronico Aulæ Regię Pragenſis inter ſcriptores rerum Bohemicarum Anno M. CCCXXI. Exſtat Epiſtola Philippi Comitis Daniou ad Ioannem Pontificem Maximum in qua recenſet, quale ſigillum in cuiuſdam Iudæi ædibus inuentũ fuerit; cum Chriſtiani atrociſsimis Iudæorum iniuriis concitati, impetum in eos feciſſent, & nõ paucos contrucidaſſent. *Laqueus ſigilli erat de ſerico puro coccineo, ſigillum annexum de auro probatiſſimo, in pondere XIX. Florentia florenorum. In ipſo ſigillo ſummatim, & breuius procedendo, imago Chriſti crucifixi eleuata ſubtili opere erat ſculpta, & quidam Iudæus, ſiue Sarracenus horribilis, incuruatus, per ſummitatem cuiuſdam ſcalæ brachio crucis appodiatæ, cum duabus manibus femoralibus retractis ſuper genua, ſecretiora ſuarum natium (quod ſordidum eſt dicere) ante dulcis Chriſti faciem collocando. Cuius literæ tenorem gentes noſtræ minimè curaſſent, niſi repente, & ex caſu illud ſigillum longum, & latum percepiſſent.*

Nimirum Iudæis cruci Redemptoris noſtri illudere ſemper volupe fuit; vt docent exempla, quæ in opere de S. Cruce Tom. 1. lib. 1. cap. 98. & in Commentario ad Acroſtichidas attulimus. Hinc non rarò Chriſtianorum pueri in Crucem ab illis acti. *Anno Domini M. CC. XXXV. ſeptem Iudæi adducti ſunt coram Rege apud VVeſtmonaſterium*, inquit Matthæus VVeſtmonaſterienſis, *qui in Norvvico puerum quendam, quem furto ſublatum iam per annum à conſpectu Chriſtianorum abſconderant, circum-*

ciderunt, volentes eum crucifigere in ſolennitate [illegible] extat apud Matthæum Pariſienſem in Hiſtoria fol. 883. edit. Tigurinæ. Dixi lib. 1. de S.Cruce cap. 98. Iudæis olim prohibitum fuiſſe, ne eo tempore, quo anniuerſaria paſsionis Dominicæ memoria colitur, in publicum prodirent. Idem teſtatur Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis Epiſt. ad Ludouicum Pium Imp. his verbis. *Priſcus Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopus; Artemius Senenica, Remedius Biturica, & ſanctus Syagrius Æduorum Epiſcopus, cum cæteris pluribus ſtatuta Eccleſiaſtica renouantes, ita definierunt,* &c. *Vt Iudæis à cœna Domini vſque primam Paſcha (ſecundum edictum bonæ recordationis Domini Childeberti Regis) per plateas aut forum quaſi inſultationis cauſſa deambulandi licentia denegetur, & vt reuerentiam cunctis ſacerdotibus Domini vel Clericis impertiant.* &c.

Ibid. *S. Lupus cum aliis viginti & quatuor Epiſcopis vel Vicariis Epiſcoporum ſimiliter in nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti congregatis pro cauſis corporis eius, quod eſt Eccleſia, inter multa hac etiam ſtatuit.* Quia Deo propitio ſub Catholicorum Regum dominatione conſiſtimus, à die Cœnæ Domini vſque in ſecunda Sabbati in Paſcha, hoc eſt, ipſo quatriduo, procedere inter Chriſtianos, neq; Catholicis populis ſe vllo loco, vel quacunque occaſione, miſcere præſumant.

CAPVT XVII.

Calumnia Hoſpiniani Caluiniſtæ.

HOSPINIANVS Caluiniſta in Centone ſuo de origine Monachatus mentitur fol. 264. *Dominicanos curaſſe ſculpi, pingi atq; parari per templa paſſim imaginem Crucifixi Chriſti, non nudum quidem Domini corpus Cruci affixum, neq; caput eius ſpinea circumdatum corona, vt Franciſcani eum pingebant, ſed ornatum in capite corona regia & aurea, indutum verò prætexta, id eſt, toga vel purpura, ad talos vſq; demiſſa, & limbis aureis prætextata, cinctum inſuper Zona, aureis pretioſa bullis, ſed & imaginis pedibus calceos induxiſſe auratos vel bracteatos. Et hoc in contemptum Franciſcanorum, vt oſtenderent, Chriſtum tam inopem non fuiſſe, quam à Franciſcanis prædicabatur. Eoſdem inſuper Dominicanos eandem ob cauſſam pinxiſſe & ſculpſiſſe alicubi imagines Crucifixi, altera quidem manu Cruci affixa, altera verò immiſſa in crumenulam, quæ ex zona pendebat, veluti inde pecuniam, in vſus neceſſarios, & pauperum prelatura.*

Vide Tom. 1. de S.Cruce lib. 1. cap. 22. & lib. 2. c. 11. Et Molan. lib. 4. de imag. cap. 4. & 7.

Quæ omnia nihil aliud ſunt, quam Hæreticorum friuola figmenta; nam qui Chriſtum in cruce pinxerunt veſtitum, exiſtimarunt hac ratione honeſtati & verecundiæ magis conſuli, quam ſi nuda Chriſti effigies intuentium oculis proponeretur. Per coronam verò aureã, calce-

calceoſque inauratos ſignificare voluêre, quæ & quanta gloria Chriſto ex cruce prouenerit, nam propter obedientiam vſq; ad mortem; mortem autem crucis, dedit illi Deus nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & inferorum.

Per alteram crucis figuram hoc indicarunt; Chriſtum ita clauis cruci affixum fuiſſe; vt tamen liberas manus ad opem ferendam haberet; ſuoſq; & cæleſtibus & temporalibus beneficiis augere poſſet.

Eadē imagine perſtringunt hodie hæretici religioſos, quaſi Chriſtum in cruce, non niſi propter pecuniam, honorent ac complectantur. Sed hæc talia iſti nec dicerent, nec pingerent, nec fingerent, niſi veneno aſpidum ſub linguis ſuis turgerent, & ad omnia rectè facta oculum nequam & obliquū adferrent. Nec iniuria, opinor, mendaciis & fabellis annumerabis, quæ Lutherus in Colloquiis Sympoſiacis tit. *de Apoſtolis & diſcipulis* Chriſti recenſet de imagine crucifixi, viſa abs ſe Auguſtæ Vindelicorum apud Vrſulam quandam in hypocriſeos ſtudio ipſi propemodum Luthero ſuperiorem.

CAPVT XVIII.

Mendacia Samuelis Huberi Lutherani Prædicantis contra Benedictionem Crucis.

EVVLGAVIT iſte Prædicans furioſiſsimum & clamoſiſsimum librum, quem *Antibellarminum* vocitauit, in cuius parte tertia crucem quoq; inſectatur. Verſaui & reuerſaui vociferationes Stentoris. Iterum atq; iterum perpendi; ſed præter conuicia & mendacia nihil penitus reperire potui. Numeremus aliqua.

I. *Nos loco pendentis in Cruce & ſatisfacientis pro peccatis noſtris ipſum lignum ſeu ſtipitem ligni in formam crucis redactum proſtituere colendum & adorandum:* Omnis cultus crucis ad Chriſtum tranſit, quia honor imagini delatus in Prototypum terminatur.

II. Templa Catholica, in quibus ſunt crucifixi imagines, appellat *templa Moloch Babylonici.*

III. Aquam benedictam, qua crux in benedictione aſpergitur, nominat *rigatam ſalinā Satanæ*, iubet tanquam memorabile quiddam obſeruari, *lignum erigi in templo trabe tranſuerſa, quod crucem appellant*, inquit. O reconditum myſterium, nemini antea notum. Quis enim ſciebat, quomodo crux immiſſa vel commiſſa fabrefieret, antequam iſte faber hoc nobis declaratum daret? An nō & Lutherani quidam

hoc ſchemate pictas vel ſculptas cruces ſuis in fanis collocant? IV. Thus & aquam luſtralem nominat *moſchum & ſaliuam Diaboli.* V. Verba, quibus conſecratur, *necromanticum murmur.* VI. Per hanc conſecrationem *lignum animari & vegetari.* VII. *Vt idem præſtet, quod præſtitit is, qui pro nobis in cruce pependit.* Quis vnquam dixit, crucem pro nobis ſanguinem fudiſſe, crucifixam; mortuam eſſe, & ad inferos deſcendiſſe. Et vt ſancti interdum dicant; *nos cruce eſſe redemptos, ſalutem conſecutos, à peccatis expiatos, & ex Diaboli ſeruitute liberatos,* id aliter de cruce non enunciant, quam vt de Redemptoris, Saluatoris & liberatoris noſtri inſtrumento.

VIII. Ligno Crucis *vim & conſecrationem Babylonicam indi & inſeri, vt illud præſtet, quod Chriſtus olim præſtitit.* Num vllus integri capitis exſpectat, vt crux pro nobis mortem oppetat; quod olim Chriſtus præſtitit? Num à cruce exſpectatur, vt nos tanquam cauſa principalis, & victima immolanda vel immolata, Deo reconciliet; quod olim præſtitit Chriſtus? IX. In templis tot cruces ſtatui, vt oſtendatur, *non ſolum Chriſtum eſſe Redemptorem & liberatorem noſtrum.* Quo mendacio, quid pinguius? X. Crucium harum vſum eſſe debere, *vt aboleant ſacrificium factum in Cruce Chriſti.* XI. Quamlibet crucem conſecratam *eſſe publicum ſignum iaculandi conuicia & execrationes aduerſus eum, qui in cruce propter noſtra excruciatus eſt peccata.* XII. *Per imaginem crucis abnegari crucem Domini noſtri* IESV *Chriſti.* Quis huic vel guttulam pudoris ſupereſſe credat, qui tam craſsè & ſpiſsè palam mentiri audeat, & Catholicis ea imponere, de quibus ne per ſomnium quidem vnquam cogitarunt? Si Prædicanti tantopere Cruces benedictæ diſplicent; erigat & in templis ſtatuat cruces non benedictas; neque enim abſolutè neceſſarium eſt, vt crux benedicatur; quia etiam ſine benedictione verè crux eſt, & noſtræ redemptionis inſtrumentum, vimque Dæmonis pellendi, & alia mira patrandi poſsidet. Hæc ſatis de iſto Prædicante, quem ſequenti hiſtoriola donatum abire ſinam.

De benedict. Crucis lege Tom. I. de S. Cruce lib. I. cap. 61. & lib. 2. cap. 9. & Tom. 3. lib. 3. cap. 6.

Exſtat libellus ex Italico ſermone in Germanicum tranſlatus & typis excuſus Anno M. D. XLIII. in quo continetur mirifica relatio de infante quodam, Maremmę nato, qui ſtatim ab ortu ſupra morem & naturalem curſum maior apparuerit; & ad crucifixi imaginē, quæ in conclaui erat, acceſſerit, poſitiſq; humi genibus, & manibus in altum elatis, coram ea preces fuderit, Deoq; grates egerit. Fides ſit penes Relatorem ſeu Auctorem; meam enim non interpono. Hoc tamen affirmo, ſi verè accidit, infantē iſtum nec Lutheranū, nec Caluinianū fuiſſe; Quid enim alienius ab huius & illius cōſuetudine, quam coram Crucifixi effigie honoris & precationis ergo procumbere?

CAPVT

CAPVT XIX.

De Crucibus ſub Conſtantino Copronymo viſis.

ILLVSTRISSIMVS Cardinalis Bellarminus lib.2. de Sanctis cap.12. ſub finem, probat inde etiam imaginum deſtructionem à Conſtantino Copronymo factam; Deo ingratam fuiſſe, quòd tunc plurimæ & inauditæ calamitates orientem inuaſerint; & plurima prodigia exſtiterint; Nam vbique in veſtibus hominum, in velis ſacris & indumentis ſacerdotalibus diuinitus exortas eſſe Cruces paruulas, *quaſi oleo deſignatas ac deſcriptas:* Deum enim indicaſſe, velle ſe vbiq; conſpici Crucis imaginem, quam Conſtantinus Copronymus eo tempore omnino obliterare contendebar. *Vide Tomo 1. de S. Cruce lib.3. cap.6.*

At ex Acroſtichidibus ſupra allatis, quarum Auctores ſunt ipſimet Iconomachi, & aliunde, ſatis liquet, nec Copronymum, nec alios veteres Iconoclaſtas Crucem ſeu imagines Crucis, ſed ſolas imagines Chriſti & Sanctorum exterminaſſe: Itaque Cruces illæ non videntur cœlitus miſſæ, vt docerent, imagines Crucis retineri debere; quandoquidem à Copronymo non modò retinebantur, ſed & honorabantur; ſed potius, vt indices ac teſtes eſſent præſentium & futurarum calamitum, in quas Copronymus ob ſuam Iconoclaſticam impietatem imperium orientis coniecturus erat.

Iunius in notatiunculis ſuis ad dictum Bellarmini caput obiicit, huiuſmodi prodigia & crucis apparitiones æquè contra imagines ac pro imaginibus verti poſſe; nam eò oſtenſas, *vt populus ab iis colendis diſceret abſtinere.* Ac nec ipſi Iconomachi phænomena illa crucium in hunc ſenſum interpretati ſunt; Cruces enim & retinuerunt, & coluerunt, vt antea dictum; neque tunc tantùm, ſed ſæpe aliâs apparuerunt eiuſmodi miraculoſę Cruces, vt toto lib.3. Tomo 1. de S. Cruce docuimus; neque vllus vnquam antę Caluiniſtas tam ſagax exſtitit, qui diceret: has Cruces diuina vi formatas, nihil aliud velle, quam Cruces vniuerſas confringendas ac comminuendas eſſe: imò cum Ethnici ſacrificuli ſub Iuliano Apoſtata in extis Crucem coronatam reperiſſent, minimè inde collegerunt, Cruces vbique euerſum iri; ſed fore, vt Crux & Crucifixus omnia occuparent; ipſi verò cum ſuis Idololatricis vanitatibus funditus interirent; quod etiam hîc non iniuria præſignificatum credere licet: quandoquidem euentus id comprobauit, exſtincto Copronymo, & omnibus Iconoclaſtis, donec in ſuis poſteris Bogomilis, VViclephiſtis & Caluiniſtis iterum ex orco emerſerunt. *Vide lib.3. de S. Cruce cap.3.*

CAPVT XX.

Latro bonus Martyr.

DE hoc multa dixi in Digreſsionibus, item ad calcem Prędicantis *Vapulantis.* Nunc in gratiam Prædicantium, qui Martyrio dextri latronis valdè delectantur, accedat Goffridus Vindocinenſis Abbas nuper Pariſiis euulgatus, ſerm. *de bono latrone.* Prædicantes ſuas aures purgent, vt oratio Goffridi eò facilius penetret. *Latro, confeſſor ex latrone efficitur, & Martyr ex Confeſſore: & tormenta quæ prius in latrone cœperant, nouâ gratiâ coronam & præmium Martyrij ſortiuntur, &c. qui nec Iudaicam perfidiam formidabat, & nomen Chriſti perfectus Chriſtianus, pius Confeſſor & Martyr glorioſus non in occulto, ſed palam portabat, &c. Petrus, Apoſtolus & Martyr* (eſt) *Latro Confeſſor & Martyr factus eſt, &c. Nos autem & B. Petrum præcipuum Apoſtolorum & Principem, & illum glorioſum Confeſſorem & Martyrem Dimam nomine, diligenter oremus, quatenus ſuis precibus & meritis apud bonum creatorem noſtrum & pium redemptorem nobis obtineant, vt ipſe in exitu vitæ noſtræ animas noſtras à Diaboli poteſtate cuſtodiat, &c.*

Huic adde Amalarium Treuirenſem Epiſcopum, lib. 1. de offic. Eccleſiaſticis cap. 27. cui latro bonus ſeu dexter Martyr eſt. *Latro, qui in Cruce confeſſus eſt Dominum, &c. non ſuſcepit manus impoſitionem, quamuis eum credamus baptizatum fuiſſe in Cruce ſuo ſanguine. De quo baptiſmo dicit Gregorius Nazianzenus in Sermone de ſecundis Epiphaniis; ſcio enim & quartum baptiſmum, quo quis ſanguine ſuo per Martyrium baptizatur.*

Hæc extra inſtitutum in gratiam Prædicātium: tametſi non prorſus extra propoſitum. Quia enim de Chriſti Cruce ipſoque Crucifixo verba facimus, haud abs re videri debet, ſi bonum latronem, Chriſti in Cruce & Crucifixione comitem, obiter adiungamus.

CAPVT XXI.

Quid ſit apud Græcos τριχηρίῳ σφραγίζειν.

IN opuſculo Simeonis Theſſalonicenſis de diuino Templo occurrit aliquoties. *τριχηρίῳ ſignans Euangelium Hierarcha, docet illuminatione per Incarnationem Ieſu, duplici natura conſtantis non ſolùm in terra homines, ſed in cœlis quoque Angelos illuſtratos fuiſſe. &c. Epiſcopus τριχηρίῳ Euangelium ſignat, & in eodem Trinitatis prædicationem contineri indicat, &c. Sed & ſacro throno conſcenſo, & ibi τριχηρίῳ ſignans, ſanctificationem per Trinitatem factam, &c. confirmat, &c. Poſt Euangelium*

lium τρικηρίῳ populum ſignans, &c. Hæc & alia huius generis nihil aliud volunt; quàm Epiſcopum vel Antiſtitem benedictionem in Crucis formam dare candelabro, cui tres cerei impoſiti, (hoc enim eſt τρικήριον) eo propemodum ritu, quo nunc etiam aliquando ſacerdotes σφραγίζειν, hoc eſt, in Crucis formam benedictionem dare conſueuerunt Crucifixi imagine, aut aliquo Reliquiarum conditorio.

Huc etiam reſpexit Balſamon in Melete de Patriarcharum priuilegiis, vbi enumerat opera, quæ Imperator cum Patriarchis communia habet. ἐπειδὴ γὰρ οἱ πιστοὶ βασιλεῖς, καὶ αὐτοκράτορες κατηχητικῶς ὁμιλοῦσι τῷ χριστωνύμῳ λαῷ, ἢ θυμιῶσιν ὡς ἱερεῖς, καὶ μετὰ δικηρίου (lege, τρικηρίου) σφραγίζουσι. Hinc (propter vnctionem Chriſmatis) *Imperatores catecheſes ad populum habent, & incenſum adolent, inſtar ſacerdotum, & Tricerio ſeu candelabro tribus cereis inſtructo dant benedictionem.*

Quem locum turpiter profectò accepit Interpres, quando ita vertit: *Cum cera duplici obſignent.*

In quem errorem impegit quoq; Gloſſarium Græcobarbarum, quando ita ſcribit V. κηρόβουλλον. *Cera duplex erat, rubra ſcilicet & praſina, dicebaturq́ δικήριον, & vtebatur vtraque Imperator, quo innuebatur ad eum etiam, pariter atque ad Patriarcham, docendi munus pertinere.* Citatq́ue prædictum Balſamonis locum. Gerræ. Nam apud Balſamonem legendum; τρικήριον, & ſi δικήριον vera ſcriptura eſſet, non *cera duplex* eſſet literis & inſtrumentis obſignandis, ſed candelabrum duplicem cereum geſtans. At legendum, τρικήριον, vt ſuprà monui. Et tempore liturgiæ τρικηρίῳ σφραγίζειν patriarchale ſeu ſacerdotale munus erat, quod tamen Imperatori quoque competebat, vt & illud; adolere incenſum in ſacra menſa, & catecheſi populum inſtituere. De incenſo Codinus de officiis Aulę Conſtantinopolitanæ. εἰσέρχεται ὁ βασιλεὺς μετ' αὐτῶν εἰς τὸ ἅγιον βῆμα. Ingreditur Imperator cum ipſis in ſacrum tabernaculum, *& accepto thuribulo ſacram menſam ſeu altare incenſat in formam Crucis, primùm quidem verſus Orientem, deinde verſus Septentrionē, poſtea ad occaſum, tandem ad Meridiem.* Eiuſdem rei mentionem facit Balſamon in can. 69. Trullanum. *Imperatores, ſine vllo impedimento, quando voluerint, ad ſacrum altare accedunt, & ſuffiunt,* (hoc eſt, incenſum adolent) *& cum cera characterem imprimunt.* (Ita Interpres; perperam; non enim dubito in Græco contextu legi: καὶ τῷ τρικηρίῳ σφραγίζουσι) *ſicut & Antiſtites. Sed etiam populum ad eum inſtituendum (κατηχητικῶς) docent.* Habebant autem Patriarchæ, (& idem Imperatoribus licitum erat) catecheſes ad populum initio Quadrageſimæ; & tum plebi diſtribuebant θυμιάματα, hoc eſt, thus, & alia huius generis odoribus incendendis idonea.

Die Palmarum σταυροὺς καὶ κηρία *cruces & cereos* diuidebant. κατὰ δὲ τὴν

μεγάλην

μεγάλην πτερόν, feria IV. Maioris hebdomadæ iterum poſt catecheſin populo dabant *thymiamata* ſeu *incenſa* & cereos. At die Paſchatis *ἀσπρομυὲς καὶ τετρακέφαλα*, nummi genus à tribus capitibus nomen habens.

Pro coronide adiiciamus iſtud quoque: Lex de ſtatione ad Crucem, quam citaui lib. 2. de S. Cruce cap. 21. fol. 425. de periuris, ita habet in editione Pithœi lib. 5. cap. 125. *De eo, qui periurium fecerit, vt nullam redemptionem ſoluat, ſed manum perdat. Quod ſi accuſator contendere voluerit de ipſo periurio, ſtet ad Crucem: & ſi iurator vicerit, legem ſuam accuſator emendet.*

CAPVT XXII.

Feria ſexta Cruci ſacra.

Leg. Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 68.

PETRVS Damianus epiſt. lib. 2. epiſt. 14. *Sexta feria viuificæ Cruci non inconuenienter adſcribitur, quæ ſcilicet dies pendentis in Cruce Domini glorioſo ſanguine purpuratur. Qua die omnes fratres noſtri, quos vtique monaſterialis ordo connectit, hoc etiam ad cumulum propriæ ſalutis adiiciunt, vt & ſe mactent in Capitulo vicaria colliſione ſcoparum, & inſuper celebrent in pane & aqua ieiunium. Aſſerentes quia in hoc Cruci verè communicamus, in hoc procul dubio Chriſto commorimur, ſi hoc eodem die, quo ipſe paſſus eſt, nos etiam carnem noſtram per inediæ cruciamenta mactemus.*

Addunt etiam, quia per quinque millium circiter annorum prolixa curricula totum genus humanum ferreo diaboli fuerit iugo depreſſum, & hoc potiſſimum die per Crucis inſigne vexillum ſit triumphaliter abſolutum, dignum profectò eſt, vt huic diei, qua videlicet omnium ætatum nexus abrupit, caro noſtra quaſi cuiuſdam tributi canonem ſoluat, per quam de captiuitatis ſuæ compedibus abſoluta tripudiat. Aiunt etiam, quia cùm in die tremendi examinis Arbiter æternus illuxerit, Angelicis vndique conſtipatus obſequiis, cunctis etiam elementis tantæ maieſtatis horrore permotis, præſtò beata Crux vlnis aduehitur angelorum, & ante cunctorum ſtatuitur ora mortalium, non iam auro vel margaritis ornata, ſed rutilantior ſole, cunctiſque ſideribus ex virtute diuina. Tunc itaque, quàm ſyncero corde & libera conſcientia ante ſublime ſolium flammiuomi tribunalis aſſiſtit qui ſeruitutis ſuæ penſum perſoluiſſe ſe viuificæ Cruci, per quam de ſeruo diaboli liber effectus eſt, recognoſcit. His, & aliis argumentationibus ſancti fratres ſexta feria ieiunandum eſſe definiunt; & ſic crucifixo Domino ſe quoque crucifixos oſtendunt. Et quid graue, ſi Chriſtianus quilibet vnum animæ ſuæ diem per hebdomadam tribuit, ad quod agendum pro corporis incolumitate ſeruanda diæta quoque medicinalis impellat? Hæc Petrus Damianus.

CAPUT XXIII.

Crux Inuocata.

SOLENT præcipuè Græci in ſuis Homiliis, canticis & precationibus Crucem aliquãdo, ceu rem *animatam* compellare & inuocare: vt ex variis orationibus, quas Tomo 2. de S. Cruce publicauimus, & ex lib. 4. tertij Tomi de eadem S. Cruce manifeſtum euadit. Quorum conſuetudinem latini interdum imitantur; vt cum canunt: *O Crux aue ſpes vnica, &c. Auge piis iuſtitiam, &c.* In Officio Eccleſiaſtico de Exaltatione S. Crucis. *O Crucis victoria & admirabile ſignum, in cœleſti curia fac nos captare triumphum.*

Rabanus Figura quinta.

Crux rogo ſacra Dei ſigna mihi numine pectus,
Laudibus vt clara cantem tua ritè tropæa
Quomodo terrenis ab cœlis fœdera ducas,
Pactum confirmes, & lethi vincula rumpas.

Idem in Proſa eiuſdem Figuræ. *Te modo Crux ſancta Dei obſecro, vt tua virtute meum pectus infirmum benedicas, vt dignis laudibus æterni Regis trophæum valeam decantare, quomodo cœleſtia ſimul ac terrena vno fœdere coniungas, pactum confirmes, & mortis vincula diſſoluas.* Lege eundem Rabanum figura & proſa VI. & XXVIII. S. Paulinus Carmine XI. citat Dungalus lib. aduerſus Claudium Taurinenſem.

Nunc ad te veneranda Dei Crux verto loquelas,
Gratantesq; tua concludam laude profatus.
O Crux magna Dei pietas, Crux gloria cœli:
Crux æterna ſalus hominum, Crux terror iniquis
Et virtus iuſtis, lumenq; fidelibus ô Crux,
Quæ terris in carne Deum ſeruire ſaluti
Tuq; Deo cœlis hominem regnare dediſti.
Per te lux patuit veri nox impia fugit.
Tu deſtruxiſti credentibus eruta fana,
Gentibus humana concors tu fibula pacis;
Concilians hominem medium per fœdera Chriſti.
Facta hominis gradus es, quo poſſit in æthera ferri.
Eſto columna piis tu ſemper & anchora nobis
Vt bene noſtra domus maneat, benè claſſis agatur
In Cruce fixa fidem, vel de Cruce nacta coronam.

Quarum locutionum quis ſit ſenſus, copioſè explicatum eſt Tom.I. de S. Cruce lib.1. cap.61.

CAPVT. XXIV.

Cruces Martyrum Templis oblatæ.

TESTIS Baſilius Epiſcopus Seleuciæ lib.2. de vita S.Theclæ, vbi huiuſmodi hiſtoriam ſiue miraculum recenſet. *Simile etiam* (miraculum) *in quadam ſupellectilis ſuæ accuratius recondita portione edidit* (S.Thecla) *Nam ex Crucibus ipſi dicatis, vnam quidam ſurripuerat, & quadam viæ parte, quæ ex vrbe ad ædem eius ducit, intra virgultum ſtudioſè defoderat. At martyr riſus argumentum, ex hoc facinore in ſe admiſſo, capiens; quòd nec à ſe quidem ipſa peßimi fures abſtinerent, quaſi obtutum oculorum ipſius omnia luſtrantem atque diuinum latere poſſent, quendam ex miniſtris ac æditais ſuis adit, iterumq; furis & loci indicium facit, ſacramq; Crucem loco, vnde aſportata fuerat, reddit. Illi verò, qui Crucem ſe iam habere exiſtimabat, hoc tantummodò reliquum fecit, vt nomine ſacrilegi appellaretur.*

CAPVT XXV.

Liber Einhardi de Adoratione S.Crucis.

LVPVS Ferrarienſis in Gallia Abbas epiſt.4. ad Einhardum ita ſcribit. *Libellum de adoranda Cruce meo iudicio vtiliſſimum, quem meo nomini dedicaſtis, vt par fuit, amplexus ſum. Atque vtinam morem mihi gerentes, ſic omnia, quæcunque ab initio enodanda vobis miſi, vel hoc anno reliqui, aperire non grauaremini. Profectò non mihi ſolùm, ſed multis videtur hic labor prodeſſe.* Hæc Lupus Abbas. Qui quæſtionem de adoratione Crucis ad Einhardum detuliſſe videtur; quia eo tempore in Galliis exſtiterat quæſtio de cultu & veneratione imaginum, chorago Claudio Taurinenſi, qui Græcos Iconoclaſtas ſuperare contendens, non modò imaginum, ſed & ipſius S. Crucis venerationem ſuſtulerat, vt planum ſit ex libris Dungali & Ionæ Aurelianenſis contra eundem Claudium, cum tamen Iconomachi Græci, etiam atrociſsimi, & illi ipſi, quos in Gallia hæc peſtis afflauerat, ſaltem, qui doctiores & acutiores erant, ſanctam Crucem honorandam, ſemper docuerint.

Videtur igitur Lupus ad Einhardum hanc quæſtionem de cultu Crucis attuliſſe; non quod ipſe dubitaret, ſed quia auctoritate tanti viri, qualis Einhardus erat, multis dubitationem eximere cupiebat.

Nam quod Caluinianus Goldaſtus in Notis in Synodum Gentiliacenſem aſſerit, Lupum Abbatem *eiuſdem fuiſſe ſententiæ cum Iona Aurelianenſi*; id inprimis Caluinianæ cauſſæ nihil patrocinij adfert; nam Ionas Crucem adorandam eſſe diſertè contra Claudium docuit. Si ergo Lupus in eadem ſententia fuit; Crucem ergo colendam eſſe æquè ac Ionas cenſuit. Num hoc Caluinianis placitis concinit? Deinde Ionas imagines *hiſtoriæ* ſaltem & *memoriæ* cauſſa habendas docuit? Num idem ſenſus Caluinianis?

Tertiò, Goldaſti fundamentum, ex quo ſuum aſſertum probat, planè friuolum eſt: Nam epiſt. 27. ad Ionam potius contrarium euincit. Id vt clarè videas, ipſam epiſtolam adſcribam.

Librum veſtrum ſicut rogaſtis excurrimus: ſed vt parciſſimè dicamus in eo mutare nihil voluimus, vt operis veſtri ſitis ipſi correctores, cuius eſtis auctores; ſiquidem expendenda nobis fuit teneritudinis & tenuitatis noſtræ ratio, & ætatis ac ordinis veſtri habenda conſideratio, nec facilitatem ac delectationem quandam reprehendendi, quam in quibuſdam notare ſolemus, debuimus imitari. Hactenus epiſtola Lupi ad Ionam.

Ex qua profectò confici nequit Lupũ fuiſſe in illa ſententia, imagines habendas, non colendas: quandoquidem Ionæ librum nec approbat nec improbat; neq; aut corrector aut vituperator eſſe voluit; ſed totam libri curam ad parentem & auctorem Ionam remiſit: quem multi nil aliud voluiſſe affirmant, quàm imagines nõ eſſe adorandas & colendas adoratione & cultu ſoli Deo debitis. In quo neminem refragatorem habet: tametſi Illuſtriſsimus Baronius, quem alibi ſecutus ſum, arbitratur, Ionam in eo errore hæſiſſe, qui dicit, imagines hiſtoriæ & memoriæ cauſſa habendas; non autem vllo cultu colendas, qui error expreſsè aſſeritur à Carolinorum librorum ſiue Auctore, ſiue Auctoribus.

Nollem verò magnum virum in Ionam adeo inclementem fuiſſe, vt ei vitio verteret, quòd Claudium Taurinenſem aliquoties violatæ Grammaticæ, tot ſolœciſmis & barbariſmis commiſsis accuſauerit. Nam ipſe itidem Dungalus hoc facit, vt docet liber eius contra Claudium nuper publicatus Tomo ſecundo Auctarij ad Bibliothecam SS. Patrum. Et merebatur hoc hominis inſulſiſsimi fatuitas, qui cum loqui neſciret, ſapere volebat. An non qui præ ſuo ſupercilio, reliquos omnes pro fungis ducebat, iure optimo ſecum habitare, & quàm curta ſupellectile polleret, contemplari iuſſus eſt?

Eſt autem Einhardus ille ipſe qui vitam Caroli Magni literis mandauit, vir & dignitate & eruditione clariſsimus; poſtea aſſumpto Benedictini Ordinis ſacro habitu primus Abbas Selegſtadienſis, de quo

Trithemius in Catalogo illuſtrium virorum Germaniæ. Vtinam liber eius de Cruce adoranda exſtaret. Nõ dubito, præclara nobis contra ſanctæ Crucis hoſtes arma ſuppeditaret.

CAPVT XXVI.

Quædam de S. Cruce notatu digna ex Commentariis Procopij in Iſaiam Prophetam.

IN illa verba cap. 44. Iſaiæ. οὗτος ἐρεῖ, τοῦ θεοῦ εἰμι, καὶ οὗτος βοήσεται ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰακώβ, καὶ ἕτερος ἐπιγράψει χειρὶ αὐτοῦ, τοῦ θεοῦ εἰμι, ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰσραήλ. *Iſte dicet; Dei ſum: Et iſte clamabit in nomine Iacob; & alius ſcribet in manu ſua, Dei ſum; in nomine Iſraël:* prodidit Procopius inſignem Chriſtianorum morem, hunc nimirum, aliquos ex Chriſtianis pietate ductos nomen Chriſti, vel ſignaculum S. Crucis corpori ſuo inſcripſiſſe ac impreſsiſſe.

Accipe Procopij verba. τὸ δὲ, τῇ χειρὶ, διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς ἐπὶ καρπῶν ἢ βραχιόνων ἢ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν. *Quod* manu *dixit, ideo forſan adiecit, quod Chriſti nomen permulti vel Crucis ſignum in palmis, aut brachiis ſibi incidendum curarent,* vel potius *curaturi eſſent.* Quo *corporis notaculo,* vt appellat Minucius Felix in Octauio, aliquatenus ad literam implebant illud D. Pauli ad Galat. cap. vlt. ἐγὼ γὰρ τὰ στίγματα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματί μου βαστάζω. Nam nota & character Chriſti, verè eſt nomen & ſignaculum Crucis Chriſti. Illuſtri hoc Crucis impreſſæ, vel nominis Chriſti in membris inſcripti exemplo refutatur illorum Prædicantium vociferatio, qui clamitant, nullo modo ius & fas permittere, vt vllum corpori ſtigma inuratur vel incidatur: & hinc etiam concludunt; verberationem quoque proprij corporis per *Diſciplinas* ſeu flagella, illicitam ac inconceſſam eſſe. Quam Prædicanticam ſtultitiam fusè refutaui lib. 2. *Prædicantis Vapulantis* ſeu *Apologetici pro Diſciplinis* cap. 2. & 4. & in Agoniſtico cap. 18.

Idem Procopius in illud Iſaiæ cap. 12. *Eleuabit in gentibus ſignum, quod nam ſignum,* inquit, *intelligat,* haud cuiquam dubium eſſe poteſt, qui in Saluatoris verba intueatur: Ait enim, & videbunt ſignum filij hominis; *Crucem innuens, per quam Sanctis mundus, mundóque ſancti crucifiguntur.* (*Matth. 24.*) *Cuius vt vires & gratiam ſignificaret Propheta, per quam ſalutem adepti ſumus,* fideles ipſos ab vniuerſæ terræ plagis quatuor conuenire dixit: extremis nimirum in totius medio membris coëuntibus, virtuteque *ab eodem ad extrema quatuor perueniente. Quadrifariam enim Crucis partes diſtinctæ ſunt* δι᾽ ἧς ξυνάγονται, *per quam* ſcilicet Crucem, *diſperſi colliguntur, per Crucem,*

cem, inquam, *vi principatus & poteſtates perimendi præditam; quas Chriſtus in ligno exſpolians triumphauit.* (Sic enim Græcum textum Procopij vertendum arbitror) Quam crucis maieſtatem Paulus intelligens dixit; *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri* Iesv *Chriſti.*

Subdit Procopius: Quemadmodum olim poſt captiuitatem Babylonicam Iudas & Ephraim non amplius diſtinctis ſedibus fuere diſcreti; ſed vna in vrbe, nimirum Hieroſolymis, coniuncti; ſub vno Zorobabele Salathielis filio; *Sic ex quo veneranda Crucis erectum ſignum eſt, omnes in fidei communionem adſcitos, conueniſſe in Chriſti Eccleſiam, ſub vno Rege Chriſto.*

In idem cap. 12. Iſaiæ ait Procopius. *Iam pridem in more poſitum erat, vt in nauium proris deorum imagines, ſicut & hodie ſanctorum Martyres, depingerentur.* Mos ille Ethnicus ſatis eluceſcit ex Act. 27. de naue Alexandrinorum. quæ *inſigne Dioſcurorum* habebat: *nauigantibus enim ſalutem dare Dioſcuros arbitrabantur:* inquit Procopius. De Martyrum imaginibus tutelæ cauſſa in nauigiis poni conſuetis, locus iſte perquam illuſtris eſt, & maximè notabilis. Vide lib. 2. de S. Cruce cap. 26.

CAPVT XXVII.

Lutherus contra Crucis & Sanctorum imagines.

Lvthervs Tom. 1. Nouorum Operum in cap. 7. libri quinti Moyſis, diſcrimen ſtatuit inter imagines. quaſdam enim, quæ non coluntur, dicit tolerari poſſe & relinqui debere. quaſdam, quæ magna ſunt in veneratione, deſtruendas eſſe: ex harum numero fuiſſe imagines D. Virginis zum Eiche/ vnd zum Birnbaum (loca Saxoniæ) *ſancti VVolffgangi in Bauaria, S. Leonardi, item ſanctæ Crucis effigiem.* Huic delirio Lutheri oppono, quod ipſemet contra Carlſtadium vſurpauit, & VVitebergenſibus ſuis valdè ſeriò inculcauit concione quarta die Mercurij poſt *Inuocauit*, poſt reditum ex commentitia Pathmo Anno M. D. XXI. Tom. 1. Nouor. fol. 89. b.

Der Teufel hat euch hie etwas abgejagt / daß er mir nicht hette nemmen ſollen/ nemblich/ daß wir die Bilder frey ſein laſſen muſten / ſintemal wir bekennen muſten/ daß je Leuthe ſind/ oder erfunden werden können/ die der Bilder wol gebrauchen/ ja wenn nur einer auff der gantzen Erden were / der jhr nicht mißbrauchete / ſo köndte der Teufel ſagen wider mich / warumb verdammeſt du das/ welches man köndt noch wol gebrauchen? den Trotz hat er

erlanget/vnd ich muß es zugeben/ dahin ſolt ers noch lange nicht gebracht haben/were ich hie geweſen. Inn dem Hochmuth vnnd Trotz hat er vns ein groß Stuck abgeiagt/ wiewol es dem Wort GOttes kein Nachtheil bringet.

Diabolus hîc vobis aliquam prædam eripuit, quam mihi non eripuiſſet; nimirum, vt imagines ſint liberæ in cuiusq; arbitrio: quandoquidem fateri cogimur; quod & ſint, reperianturque homines, qui imaginibus rectè & ritè vtantur. Imò, ſi vnicus tantum eſſet in toto terrarum Orbe, qui imaginibus non abuteretur; diabolus mihi obiectare poſſet; cur damnas, & deſtruis illud, cuius vſus bonus eſſe adhuc poßit? Ferocia & audacia fuit ſuperior. Et fateri hoc cogor; eò rem tam citò Diabolus non deduxiſſet, ſi VViteberga fuiſſem. Faſtu, ferocia atq; minis, magnam prædam abegit. quanquam id Verbo Dei non officit.

In eadem Concione copioſè oſtendit propter abuſum imaginum, non eſſe tollendum vſum. Derhalben müſſen wir vns wol fürſehen/(fol.89.a.) denn der Teufel ſuchet vns durch ſeine Apoſteln auffs aller liſtigſte/vnd ſpitzigſte/ vnnd müſſen nicht ſo bald zufahren/ wenn ein Mißbrauch eines Dings vorhanden iſt/daß wir daſſelbige Ding vmbreiſſen/oder zu nichte machen wolten. Deñ wenn wir alles wolten verwerffen/ daß man mißbraucht/was wurden wir für ein Spiel zurichten? Es ſind vil Leuthe/ die die Sonne/den Mond/vnd das Geſtirn anbeten/ wollen wir darumb zufahren/vnd die Sterne vom Himmel werffen/die Sonne vnd den Monden herab ſtürtzen? ja wir werdens wol laſſen. Quæ verba ſic vertit neſcio quis verſor Tom.7.Lat. VVitebergæ fol. 278.

Proinde cautè nobis agendum. Diabolus enim per Apoſtolos ſuos omni calliditate, omniq; ingenij ſui acumine exertis, nobis inſidiatur. Nunc, quanquam verum ſit, & inficias ire nequeamus, idola noxia eſſe, quod iis multi abutuntur, ob id tamen nobis non licet ea damnare. Si enim ſtatim deteſtaremur, atq; damnaremus, quæ plerique in abuſum vertunt, vide quæſo, quàm abſurda hinc ſequerentur. Deus præcepit Deut.4. vt non eleuemus oculos noſtros ad ſolem, &c. ne fortè eum adoremus. Nam & hic & alia aſtra creata ſunt in miniſterium cunctis gentibus. Iam multi ſunt homines adeò vacordes, vt ſolem & ſtellas adorent; ibimus igitur nos, & hæc cælo deiiciemus? Fruſtra certè illud tentabimus.

CAPVT XXVIII.

Supplicatio Lutheri ad Iconoclaſtas vt fiat ſibi poteſtas retinendi Crucifixi vel alicuius ſancti imaginem.

NV begeren wir doch nicht mehr/denn daß man vns ein Crucifix oder eines heiligen Bilde laſſe / zum Anſehen / zum Zeugnuß/zum Gedächtnuß/ zum Zeichen / wie deſſelbigen Kayſers Bilde war / ſolte es vns nicht ſo vil ohn Sünde ſeyn/ein Crucifix/oder Marien Bilde haben/als den Juden vnd Chriſto ſelbſt war/deß heyden/vnd todten Kayſers / deß Teufels Glieds Bilde zu haben?

Plus non petimus, quàm vt relinquatur nobis Crucifixi, vel ſancti alicuius imago, idq́ ad inſpiciendum, teſtimonij, aut memoriæ, vel ſigni cauſa, qualis Imperatoris illius (Tiberij) *erat. Quid? An non æquè nobis liceat citra peccatum vllum, Crucifixi, aut Mariæ imaginem habere, ac Iudæis, Chriſtoq́ adeò ipſi licitum fuit, pagani mortuiq́ Cæſaris, diaboli membri, imaginem* (in numiſmate) *habere, & tenere?*

So weiß ich auch gewiß/das Gott wil haben/ man ſolle ſeine Werck hören vnd leſen/ſonderlich das leyden Chriſti. Sol ichs aber hören oder gedencken/ſo iſt mirs vnmüglich / das ich nicht in meinem Hertzen ſolt Bilde dauon machen. Denn ich wolle oder wolle nicht / wenn ich Chriſtum höre / ſo entwirfft ſich inn meinem Hertzen ein Mannsbilde/das am Creutze henget/ gleich als ſich mein Antlitz natürlich entwirfft ins Waſſer / wenn ich darein ſehe. Jſts nu nicht Sünde/ſondern gut/daß ich Chriſtus Bilde im Hertzen habe/warumb ſolts Sünde ſeyn / wenn ichs inn Augen habe? Sintemal das Hertz nicht weniger gilt/denn die Augen / vnd weniger ſol mit Sünden befleckt ſeyn / denn die Augen /als das da iſt/der rechte Sitz vnnd Wonung Gottes.

Certò etiam ſcio, Deum velle, vt ipſius opera audiantur, & legantur, præſertim Chriſti paſſio.

Vt verò audiam, vel cogitem, impoßibile mihi eſt, niſi in corde meo imagines illarum rerum formem, & effigiem. Etenim, nolim velim, quando quid de Chriſto audio, efformo in corde meo virilem imaginem, quæ in cruce pendet: fitq́, hoc haud aliter, quàm efformatur facies mea in aqua, quam intueor. Si ergò peccatum nullum eſt, ſed virtutis actus, vt imaginem Chriſti in corde habeam; cur peccatum fit, ſi in oculis habeam? cum cor non minus, quàm oculi, valeat; minusq́ peccatis obnoxium eſſe oporteat, quam oculos: quippe quòd thronus ſit, & habitatio Dei legitima.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Inſtructio de locis ſanctis Terræ ſanctæ.

HABBO ex Bauarica Bibliotheca manuſcriptum Codicem, in quo varia Collectanea continentur, inter cætera etiam hæc inſtructio *de Locis ſanctis*; quam quia publicatam non vidi, huic loco inſerendam duxi. *Omnibus volentibus viſitare ſepulchrum Domini, occurrunt loca iſta. In Nazareth beata Virgo concepit Dominum per Gabrielem nuncium. In introitu portæ ciuitatis Hieruſalem eſt locus, vbi lapidatus eſt Stephanus. Deinde in introitu Eccleſiæ ſancti ſepulchri in dextra parte eſt locus, vbi beatam Virginem Ioanni commendans ait: mulier ecce filius tuus. Inde peruenies ad Caluariam, vbi Dominus noſter Crucifixus eſt. Ibi videbis petram ſciſſam de morte eius. Ibi ſubtus eſt Golgotha, vbi ſanguis Domini per petram cecidit ſuper caput Adam. Deinde ad columnam, ad quam Dominus ligatus fuit. Inde ad locum inuentionis ſanctæ Crucis. Deinde ad locum vbi Chriſtus ligatus fuit, donec præparata fieret ſancta Crux in Caluaria.*

Deinde ad medium chorum Canonicorum, vbi aſsignatur locus, in quo IESVS *poſitus fuit, quando acceptus eſt de Cruce; vbi fuit lotus de ſanguine, & inuolutus in ſindone munda: & de illo loco portatus eſt ad ſepulchrum.. Fertur etiam quod ibi ſit medietas mundi. In introitu ſepulchri primo inuenies lapidem, ſuper quem ſedit Angelus. Superius reſpice in ſepulchro, & videbis lapidem, quem habebat ad caput in monumẽto. In exitu Eccleſiæ ſepulchri ex alia parte eſt imago beatæ* MARIAE, *quæ fuit locuta beatæ Mariæ Ægyptianæ. Inde peruenies ad ſanctum Karioth. Deinde ad ſanctum Sabba. Ibi etiam eſt ſcapula S. Martini, & caput S. Stephani, & manus S. Ioannis* Aurioli, reliquia S. Demetrij.*

* *Videtur leg. manus S. Ioannis. Aureola reliquia, &c.*

Inde ibis ad montem Sion, vbi beata Virgo migrauit. Ibi ſunt ſepulchra regum Dauid, Salomonis, & aliorum. Ibi contrà ſepultus fuit Stephanus. Inde ibis ad cœnaculum, vbi Dominus cum diſcipulis ſuis cœnauit: vbi primò corpus ſuum conſecrauit, & ad conſecrandum inſtituit. Ibi Apoſtolis poſt reſurrectionem apparuit ianuis clauſis: & ibi apparuit Thomæ, & miſit Apoſtolis Spiritum ſanctum. Matthias electus eſt ibi in locum Iudæ, qui tradidit Dominum. Stephanus promotus eſt in Diaconatum cum ſex aliis. Et ibi parum inferius eſt locus, vbi lauit diſcipulorum pedes. Inde venies ad Prætorium vbi coronatus eſt Dominus ſpinis, flagellatus, conſputus, illuſus, alapis cæſus pro nobis fuit. Inde venies ad locum, vbi Petrus poſtquam Chriſtum negauit, ſe abſcondit. Inde ad fontem Siloë, vbi cæcus oculos lauit & vidit. Inde ad puteum Iacob. Deinde ad Acheldamach, quod interpretatur, ager ſanguinis: eò quod emptus fuerit triginta denariis, quibus venditus fuit Dominus.

Dein-

Deinde ad templum Domini, in quo Chriſtus præſentatus fuit, à Simeone ſene receptus. Ibi videtur lapis, ſuper quem ſtetit arca fœderis Domini, vnde Reges & Prophetæ inungebantur. Inde ad probaticam piſcinam. Inde ad ſanctam Annam. Inde ad vallem Ioſaphat. Ibi reperies ſepulchrum beatæ Virginis. Nam ibi ab Apoſtolis ſepulta eſt. Ibi propè eſt Getſemani, vbi primò captus & ligatus fuit IESVS. *Ibi propè eſt locus vbi orauit cum ſudore ſanguineo. Deinde ad montem Oliueti. Ibi inuenies locum, vbi aſcendit in cælum, & ibi propè diſcipulis prædixit primò Dominicam orationem. Inde Bethphage. Inde Bethaniam, vbi Lazarum ſuſcitauit. Inde ad domum Marthæ & Mariæ Magdalenæ. Ibi reperies lapidem, ſuper quem Dominus ſedit, quando ei Martha occurrit. Inde ad Quarentanam. In reditu ibis Bethlehem; ibi reperies locum, vbi Dominus natus eſt. Ibi eſt præſepe, in quo reclinatus eſt. Inde ad locum vbi angelus gaudium nunciauit paſtoribus. Inde ad ſanctum Abraham Patriarcham. Inde, vbi Crux ſancta Domini creuit. Inde vbi natus eſt ſanctus Ioannes Baptiſta.* Hactenus inſtructio, quæ ſcripta videtur, quando Hieroſolyma erat in poteſtate Chriſtianorum; cum mentionem faciat *Canonicorum* Hieroſolymitanorum.

CAPVT XXX.

Relatio Bedæ de ſepulchro Domini.

POST prædictum venerabilium locorum Indiculum, ſubiicitur in eodem Codice Bauarico hæc de ſepulchro Domini relatio, & quidem Bedæ nomine.

Quia non immeritò mouet eos, qui ſimplicia tantum monumenta noſtrorum (vident) *quomodo factum fuit monumentum illud Dominicum, vt tot homines vna cum angelis caperet, opportunum putamus ſimpliciter charitati veſtræ, quæ de illo comperimus, explicare, iuxta relationem eorum, qui noſtra ætate in Hieroſolymis fuerunt, quæque ibi viderunt, redeuntes nobis ſcripto reliquerunt.*

Domus igitur rotunda exciſa erat in petra, tantæ altitudinis, vt, qui in medio ſtaret, manu culmen tangere poſſet. Habebat autem introitum ab oriente: vbi lapis ille magnus, de quo Euangeliſta narrauit, appoſitus eſt. Hanc ingredientibus à dextris ille locus, qui ſpecialiter Dominici corporis receptui paratus eſt, occurrit, ſeptem quidem pedes longus, trium verò menſura palmorum reliquo pauimento eminentior. Qui non vulgarium more ſepulchrorum deſuper, ſed à latere meridiano per totum factus eſt patulus, vnde corpus poſſet imponi. Et hoc eſt, quod Euangeliſta Marcus dicit; quia introeuntes mulieres monumentum, viderunt iuuenem ſedentem in dextris; quia nimirum angelus, qui ad locum Dominici corporis ſedebat, intrantibus erat à dextris: ſed & ipſe eidem loco ſepulchri dexter ſedebat.

bat. Cuncta autem hæc continuata, & non ab inuicem erant ſeparata, vtpote in vna eademq́ petra exciſa. Talem quidem Dominici monumenti primò poſitionem fuiſſe, percepimus.

At nunc tradunt Eccleſiam ibi eſſe rotundam, eximij operis, triplici pariete diſtinctam, in cuius medio ſit monumentum; & hoc deforis marmorum cruſtis vſque ad ſumma culminis tectum. Ipſum verò culmen auro veſtitum, auream crucem geſtare non modicam. Cuius ad Orientem Eccleſiæ, Golgathana eſt Eccleſia, quæ inter alia ornamenta tali loco congrua, Crucem argenteam habet prægrandem; in quo loco Dominus crucifigi pro noſtra eſt ſalute dignatus, pendente *phare, alias. *magna * faro deſuper, id eſt, area rota cum lampadibus, quæ ipſam crucem debita lucis veneratione coronent.*

Sed huius ad Orientalem plagam Eccleſiæ proxima eſt Eccleſia Conſtantiniana, quæ alio nomine Martyrium vocatur, vbi Crux Domini ab Helena Conſtantini matre reperta eſt. Et ob id ipſe ibidem Eccleſiam magnifico ac regio cultu conſtruxit. His de ſanctorum ſitu locorum, prout diſcere potuimus, explanatis, *Iſaia 11.* *libet intueri; adimpletam eſſe Prophetiam Iſaiæ, quæ de ſepultura ac reſurrectione Dominica, ſimul & de noſtra fide ac ſalute prædixit; In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur; & erit ſepulchrum Domini glorioſum. Radix quippe Ieſſe Dominus eſt, natus quidem ex ſtirpe Ieſſe, ſecundum humanitatem; ſed conditor ipſius Ieſſe ſecundum diuinitatem. Qui ſtat in ſignum populorum, quia, ſignum ſalutis, quo credentium populi, (à) callidi hoſtis malitia muniuntur, ipſius eſt paſsione ſacratum. Ipſum gentes deprecantur; quia non ſolum Iudæos, ſed & nos, qui de finibus terræ ad eum clamare noſſemus, gratia ſuæ viſitationis aduocauit. Et eſt ſepulchrum eius glorioſum: quia locum, in quo mortis regnum diruit, palmæ perennis indiciis memorabilem ſeruauit.*

Quapropter dilectiſſimi tota ad ipſum mente conuerſi deprecemur, vt nos ſigno ſuæ protectionis ab hoſtium liberet inſidiis; ipſe nos & redemptionis noſtræ Sacramenta dignè celebrare, & ad beata reſurrectionis tribuat gaudia peruenire IESVS *Dominus noſter, qui viuit & regnat cum patre in vnitate Spiritus ſancti* DEVS, *per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.* Hucuſque Relatio, cuius illa pars de ſtructura Dominici ſepulchri petita eſt ex Beda in cap. 28. Matth. in illa verba. *Et poſuit illū in monumento nouo*, &c. Et in cap. 15. Marci in illa verba: *Et poſuit eum in monumento*, & Homil. de Paſsione Domini.

In eodem Codice ineſt alia quædam de locis ſanctis relatio, hoc titulo: Viſio Othmari Presbyteri. *Rem amicorum meorum intimæ patefacio dilectioni: quæ, licet peccator,* DEI *miſericordia, Hieroſolymæ oculis corporeis inſpexi: quæ & nihil poteſt verius dici. Intuitus ſum ego, prout quidquam patet viſui humano, lucem inuiſibilem cælitus ad ſepulchrum Dominicum viſibiliter·*

liter apparere: Et re vera ibi illud lumen viſibile manifeſtè accendere. De hoc miraculo fusè ex antiquis ſcriptoribus ſcripſi Tomo tertio de S. Cruce lib.2.cap.11.& lib.1.de ſacris peregrinationibus cap.7. Sed Ioannes Svvallartus lib.1.Peregrinationis Hieroſolymitanæ, hîc nihil miraculi agnoſcit, imò apertè ſcribit, totum hoc nihil aliud eſſe, quam fraudem & impoſturam Patriarchæ Græcorum, & Armeniorum, citatque P. Bonifacium Stephani Epiſcopum Stagni in libro *de perenni cultu Terræ ſanctæ.* Neſcio, quid hodie fiat. De eo, quod olim factum ſcribitur, potior apud me eſt fides Vſpergenſis, Malmesburienſis, Petri Abbatis Cluniacenſis, Rudolphi Glabri, Ioannis Cantacuzeni Imp. Conſtantinopolitani, & aliorum, quos alibi citaui, à quorum veſtigiis difficile eſt auelli, præſertim cum hoc miraculum acciderit quoque, quando Hieroſolyma, & omnia eius templa in Chriſtianorum poteſtate erant. Nunc iterum Othmarum Presbyterum audiamus.

Propter hoc alia ibi cernebam obſtupenda: quæ omnia ſine cunctatione oportet eſſe edenda. Carcerem conſpexi ante monaſterium, in quo ſeruari debuit corpus Dominicum ea nocte, qua traditus eſt Iudæis, & ibi propè eſt lapis, ſuper quo ſedebat, quando impoſuerunt ſibi ſpineum ſertum, ducentes ad Caluariæ locum ad crucifigendum: quo in loco poſitus eſt primus homo, ſcilicet Adam. Et vidi domum Salomonis, in qua erat turris ſui Patris Dauid regis, vbi ipſe ſcripſit Pſalterium, & ſanctæ MARIAE *ſepulchrum, de quo aſſumpta eſt in cœlum: & montem Oliueti, vbi Chriſtus orationem ad Patrem fundebat: vbi & Pater noſter docebat, & perambulaui Ioſaphat; & montem Sion, & menſam Domini vidi; vbi cœnauit cum diſcipulis. Et poſtquam ea talia loca multa circuiui in Bethlehem, veni Iericho: & in Iordane me laui, & à crimine purgaui.* Hæc Presbyter ille.

CAPVT XXXI.

Crux in teſtimonium fidei & ſecuritatis data.

DIXIMVS lib.1. de S. Cruce cap.83. & lib.2. cap.18. imagines Crucis aliquando fidei faciendæ & ſecuritatis firmandæ gratia ad alios miſſas. Huius moris illuſtre exemplum ſuggerit nobis Anna Alexij Comneni filia libro 2. Alexiadis ſuæ. Cum enim Comneni fratres in Nicephorum Botoniaten conſpiraſſent, iamque coitionis ſuæ conſilia ad rem conferre cogitarent; prius matrem, vxores, filias, & quidquid muliebris ſexus erat, in tuto collocarunt, nempe in ſanctæ Sophiæ Templo, ad quod, tanquam ad tutiſſimum aſylum, confugerunt: Quas cum

Botoniates, miſſo legato Straboromano, inde exire iuberet, quædam ex earum numero reſpondit. οὐκ ἂν τοῦ ἱεροῦ τεμένους ἐξέλθοιμι, εἰ μὴ τὸν τοῦ βασιλέως, ὥσπερ ἐχέγγυον τῆς σωτηρίας δεξαίμην σταυρόν. *Non egrediar ex hac ſacra Æde, niſi ipſius Imperatoris Crucem, tanquam ſalutis pignus & arrham, accepero.* ἐκβαλὼν δὲ ὁ Στραβορωμανὸς, ὅνπερ ἐπεφέρετο ἐγκόλπιον σταυρὸν ἐδίδου. ἡ δὲ, οὐκ ἀφ' ὑμῶν τὴν πληροφορίαν αἰτῶ, ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως. *Statim Straboromanus Crucem, quam in ſinu geſtare ſolebat, protulit ac porrexit. At illa, non à vobis,* inquit, *pignus certæ immunitatis peto, ſed ab Imperatore.* Quid Botoniates? Vt erat natura mitis ac benignus, τὸν ἐπιζητούμενον σταυρὸν πρὸς αὐτὴν ἔπεμψε, πᾶσαν ἀφροντισίαν αὐτῇ διδούς. *Poſtulatam crucem ad illam miſit, omnique cura liberam eſſe iuſſit.*

Ad Henricum IV. Regē Germaniæ miſit Alexius Comnenus, ἐγκόλπιον χρυσοῦν μετὰ μαργαριταρίων, καὶ θήκην διάχρυσον ἔχουσαν ἔνδοθεν τμήματα διαφόρων ἁγίων. *Auream Crucem ad pectus ſeu in ſinu geſtari conſuetam, cum Margaritis, & thecam inauratam multas ſanctorum Reliquias continentem,* vt eſt lib. 3. Alexiadis Annæ Comnenæ.

CAPVT XXXII.

Martyres Crucifixi.

DE his egi Tom. 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 98. Menolog. Græc. 18. Ianuarij de S. Theodula Martyre, ἀπὸ τῶν τριχῶν ἐκρεμάσθη ἐν κυπαρίσσῳ, καὶ τοὺς πόδας μεθ' ἥλων σιδηρῶν κατηλώθη. *Capillis ex cupreſſo ſuſpenſa eſt, & clauis ferreis pedes affixa.*

Idem Menologium 8. Februarij de Theodoro militum Duce. σταυρῷ καταπήγνυται χεῖρας καὶ πόδας, *cruci affigitur manibus & pedibus, &c.* περιειστήκεσαν δὲ καὶ παῖδες τοξεύοντες τὸν ἅγιον κατὰ τοῦ προσώπου καὶ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. *Circumſteterunt etiam pueri iacula in ſancti faciem & oculos emittentes.*

Eodem die Crucifixæ Virgines Martha & Maria ſorores, & S. Lycarion; *quibus in Cruce pendentibus gladij quoque per viſcera adacti ſunt.*

Menologium 29. Ianuarij de ſeptem Martyribus Philotheo, Hyperechio, Abibo, Iuliano, Romano, Iacobo & Paregorio Samoſatæ Martyrio functis.

Ὑπὲρ προσηλωθέντος ἐν σταυρῷ λόγου
Ἑπτὰ προσηλώθησαν ἀθλητῶν κάραι.
Pro verbo in Cruce clauis affixo
Septem horum athletarum capita clauis confixa ſunt.

De iiſdem ibidem, ἀναρτηθέντες καὶ τὰς κάρας ἥλοις προσηλωθέντες τὰς ψυχὰς τῷ θεῷ

ϑεῷ ἀπέδωκαν. In altum ſublati, & per capita clauis affixi, animas Deo reddiderunt.

Addamus & hoc ſimplicioribus nonnullis vſitatum; quando poſt ſumptum cibum Deo gratias agunt: Dein Creutz iſt vnſer Tiſch. Deine Nägel vnſer Fiſch. Quod melioris æui candidam pietatem reſipit: exiſtimarunt enim, ſe inter edendum non tam menſæ, quàm S. Cruci aſsidere.

CAPVT XXXIII.

De tribus libris Lucæ Tudenſis Epiſcopi contra Albigenſes Hæreticos.

CVm hæc excuderentur, perlati ſunt ad me Colonia tres libri Lucæ Tudenſis contra Albigenſes, ſtudio & opera *R. P. Andreæ Schotti*, ex Societate noſtra, in veterum monumentis eruendis & in lucem extrahendis perquam ſeduli ac indefeſsi: in quorum altero multa diſputat Lucas de Cruce & ſigno Crucis, itemq; de clauis, quibus Redemptor noſter Cruci ſuffixus eſt: quæ certè verbatim huic meæ lucubrationi insererem; niſi ſperarem, libros Lucę propediem prælo typographico ſubiectum iri. Quod vt fiat, diligenter allaborabo: publico enim digniſsimi ſunt, quia non tam Albigenſes, quàm Sectarios noſtri temporis tangunt, imò etiam fortiter feriunt.

Quantum porrò ex diſputatione Tudenſis colligere licet, in Hiſpaniis communis conſuetudo erat, vt Chriſtus quatuor clauis Cruci ſuffixus repræſentaretur, & quidem Cruci non commiſſæ, hoc eſt, tribus finibus ſeu extremitatibus conſtanti, ſed Cruci immiſſæ, hoc eſt, quatuor terminis præditæ, Lucas *brachia* appellat. Hunc peruulgatum morem cum Albigenſes animaduerterent; decipulam inde fabricare tentarunt; *fecerunt enim tunc temporis hæretici Crucem cum tribus brachiis tantùm,* inquit Tudenſis, *in qua erat imago vno pede ſuper alio tribus clauis eidem Cruci affixa, quæ brachio eminentiore carebat. Quam venientes populi loco Crucis Chriſti deuotiſsimè adorabant. Veritatis autem aduerſarij rectè, quod occultè tetenderant, detegentes, malè ſimplicium animas capiebant, & etiam Dei miniſtros arguebant dicentes: Si vera ſunt quæ de Cruce hactenus credidiſtis, non eſt verum, quod nunc adoratis. Et ſi verum eſt, quod nunc creditis, falſa ſunt, quæ prius docebatis: ſi enim Chriſtus Cruci fuit affixus quatuor clauis, & ipſa Crux quatuor habuit brachia, ſicut tempore præterito docuiſtis, non eſt hæc ſimilitudo Crucis Chriſti, quam nunc adorando docetis. Hæc & alia plura contra Catholicos*

blaſphemantes heretici, multos ſimplicium ſuorum errorum laqueis innodarunt, & vſque ad præſens tempus, *cæptum prauitatis diſſidium propagare non ceſſant.*

Horum impoſturis & fallaciis occurrendi expeditior ratio non fuiſſet, quàm dicere, nihil intereſſe, ſiue Chriſtus in Cruce commiſſa, ſiue in immiſſa, ſiue tribus, ſiue quatuor clauis affixus repræſentetur; quod ipſe etiam Tudenſis ſatis ſuperque inſinuat. Quia tamen communis Eccleſiarum in Hiſpaniis conſuetudo ante Albigenſes hæc erat, vt Chriſtum in Cruce immiſſa quatuor clauis confixum exhiberent; & quia per hanc nouam apud Hiſpanos picturam & ſculpturam Hæretici ſimplicioribus pedicas & laqueos, quibus irretirentur, nectebant; idcirco Tudenſis lib.2.cap.10. copioſè demonſtrat, Crucem Chriſti, non fuiſſe commiſſam, ſed immiſſam; hoc eſt, non tribus tantum, ſed quatuor extremitatibus conſtitiſſe; Chriſtumque quatuor, non tribus duntaxat clauis Cruci affixum fuiſſe. De qua re fusè diſputatum eſt Tom.1. de S.Cruce lib.1.cap.3. & 20.

Poſtea cap.12. diſputat Lucas, ad quam mundi partem Dominus in Cruce faciem verterit. De qua re ſcripſimus lib.1.cap.27.

Cap.15. diſſerit de ſigno S.Crucis, quomodo formandum; num à ſiniſtra ad dextram; an à dextra ad ſiniſtram. De quo actum eſt lib.4. de S.Cruce cap.1.

Cap.18. docet, quomodo alij Crucis ſignaculo ſint conſignandi. Et quia de hoc ſignaculi modo in libris de S.Cruce, nihil quod ſciam, dixi, placet quid Tudenſis de hoc ſcripſerit, referre. *Ordo rerum depoſcit,* vt qui boni operis quicquam intendit agere primò ad laudem Dei. Secundò ad vtilitatem animæ ſuæ. Tertiò ad profectum proximi intentionem eleuet, & in opere ipſo ordinata charitate dirigatur, vt ita bonus ſit proximo, quatenus ipſe non ſeparetur à Deo. quod figurare videmur, quando alios conſignantes in facie ad noſtram dexteram, & eorum ſiniſtram Crucis ſignum finimus, nihil enim ſiniſtri operis agere debemus, vt aliis prodeſſe poſsimus. Sed fidei & operum in nobis honeſtate ſeruata debemus proximorum vtilitatibus inſeruire. Vnde cùm facimus ſignum Crucis, quia procedit à nobis conſignationis opus, de ſiniſtra noſtra ad dexteram manũ ducimus, ſiue nos, vel alios cõſignamus, vt actio noſtra fine dextero terminetur. Et quia (vt ait ſapientia Dei) vias quæ à dextris ſunt, nouit Dominus, & quæ à ſiniſtra ſunt, peruerſa ſunt: Omittentes ſiniſtram, ſemper dexteram teneamus, vt noſtrorum operum finis in dextris inueniatur. In conſignatione in aliis finienda eorum non attendimus dexteram, vel ſiniſtram, ſed dexteram noſtram tantùm, vt patet, in conſecratione altaris,

Prou.27.

ris, atque in hominibus baptizandis. Nam conſecrationes altarium, quando fiunt, de altaris ſiniſtra ſacræ vnctionis cruces ad eius dexteram producuntur, vbi & finiuntur. Quando etiam hi, qui baptizantur, ad ſiniſtram eius, crux ſacræ ducitur vnctionis. Cum etiam inter ſcapulas ſimiliter inſignitur, de illius ſiniſtra crux ad eius dexteram ducitur. Quapropter patenter innuitur, dum modo in dextera & modò in ſiniſtra alterius crux finitur, quod non conſignandorum dexteræ, vel ſiniſtræ finis attenditur, ſed potius dexteræ conſignantis.

Quidam tamen per ſe volunt inducere, quòd debemus cum nos ipſos conſignamus, manum ducere de dextera ad ſiniſtrã, quia Chriſtus de Iudæis tranſiit ad Gentiles. Quibus ratione præuia reſpondemus, quia ad hoc ad Gentiles tranſiit, vt de ſiniſtra, hoc eſt, infidelitatis miſeria, reduceret ad dexteram, hoc eſt, ad fidem Catholicam: hoc fine, vt illos ſecum in ſua & patris dextera collocaret. Vnde conſignatio eſt in parte dextera finienda. Ad quod deſignandum in introitu Miſſæ, ſacramentorum librum miniſtri ponunt in dextera ſacerdotis & altaris ad meridiem; & poſt Euangelium transferunt illum in ſiniſtram eorundem ad ſeptentrionem, & circa finem Miſſæ, iterum reducunt illum ad dexteram. Quia cum introierit gentium plenitudo, tunc omnis Iſraël, quia conuertetur ad Dominum, ſaluus fiet. In dextera igitur eſt noſtra conſignatio finienda, quia Iudæi & Gentiles explebunt in dexterá fidei finem mundi, qui erunt in dextera Dei perpetuò collocandi. *Rom.11 25.*

Tribus digitis extẽſis, id eſt, pollice, indice, & medio, duobus aliis digitis plicatis ſub inuocatione deificæ Trinitatis nos & alios conſignamus, [T]rinitatem perſonarũ in vnitate Deitatis manifeſtis præconiis fateamur, quædam diuinarum ſcripturarum ſecreta ſimplicioribus occultantes, ne in eis, quia non poſſunt capere, infidelitatis ſcrupulum generemus. Conſignationem maioribus minores non tribuunt, ſed eam humiliter accipiunt à Prælatis. quia ſecundum Apoſtolum, qui minor eſt, benedicitur à maiore. *Hebr.7.7.*

Cap.19. diſputat Tudenſis de Crucibus duorum latronum, de quibus vide cap.99.lib.1.de S.Cruce, & cap.3. vbi diximus, Cruces latronum fuiſſe immiſſas: hoc eſt, quatuor extremitatum, non commiſſas, hoc eſt, trium finium; quam ſententiam ipſe etiam Tudenſis comprobat.

Lib.3.cap.6. producit exempla ſycophantiæ & impoſturæ, quibus hæretici ſimplices à veritatis tramite deducebant; in his hoc itidem apologo vtebantur. *Duo homines gradiebantur itinere vno, &, (vt moris eſt) Crucem in biuio inuenerunt. Quorum vnus procidens adorauit eam:* alter verò

lapi-

lapidibus fregit eam,& pedibus conculcauit. Vtrumq; bona præceſſit intentio, vnus enim eam adorauit, quia per ipſam Deus ſaluauit mundũ. Alter eam lapidauit, quia Iudæi in ea occiderunt Chriſtum. Hæc Hæretici dicunt, non vt credant, quod aliquis Crucem debeat adorare, ſed ab intentione adorandi Crucem ſatagunt alios reuocare. Cùm enim dicunt, quod in vtroq; bona præceſsit intentio, ſcilicet in adorante Crucem, & in confringente, volunt, vt intelligamus, quod benefecerit, qui confregit. Vnde cum talem ſacrilegam fabulam ab aliquo audierit Chriſtianus, prout poteſt, durè increpet proponentẽ & audacter dicat, qui adorauit Crucem, fecit tanquam Catholicus, & qui fregit eam, fecit ſicut Hæreticus.

Contra hanc proponit Chriſtianus aliam non fabulam ſed rem geſtam. Quidam miles, fide Catholicus, ſed ad vindicandas illatas iniurias acer & ſtrenuus, vbicunque Crucem inueniebat, de equo proſiliens ad honorẽ Saluatoris noſtri eam ſuppliciter adorabat. Accidit quadam die, vt propinqui cuiuſdam nobilis, quem dictus miles occiderat, eo ſolo reperto, in quadam eremo, vindicandi ſanguinis cauſſa inſequerentur ipſum. Cumque ipſe ſuperſedens equo fugeret hoſtes, quia plures erant, ac nobiles, & eis reſiſtere non valebat, ad quendam compitum venit, vbi quandam ligneam Crucem vidit. Qui oblitus fugæ, de equo deſcendit, & ſicut conſueuerat, Crucem deuotiſsimè adorauit. Hoſtes verò curſu velociſsimo venerant vſque ad locum, & militem * fruſtatim eductis gladiis parabant concidere, ſed non defuit Catholico militi clementia redemptoris, nam clauſit Dominus oculos ipſum volentium interficere, & cœperunt huc illuc diſcurrere, & nec militem, nec equũm eius videbant. Qui mirantes admodũ ſuper facto ad propria reuerſi ſunt, phãtaſma eſſe dicentes, quod in effigie militis apparuerat illis. Liberauit Dominus per virtutem S. Crucis Catholicum adoratorem ſuum, vt militi adeſſet clementia Dei, & nobis præſtaretur ſalutis exemplum, vt fideliter agnoſcamus, quanta remuneratione digni ſunt apud Deum, qui deuotiſsimè Crucem eius adorant. Hæc Tudenſis.

* fruſtratim.

DESCRI-

DESCRIPTIO FLORIS INDICI, QVEM GRANADILLAM NOMINANT.

In

EVNDEM EPIGRAMMATIA.

PLERAQVE EX ITALICO QVODAM DE HOC FLORE HYPOMNEMATIO EXPRESSA.

LECTORI.

PRODIIT *hoc ipſo anno Redemptoris M. D C. IX. Bononiæ liber hoc titulo.* Il fiore della Granadiglia, o vero Della paſſione di noſtro ſignore Gieſu Chriſto ſpiegato e lodato con Diſcorſi e varie Rime. all' Illuſtriſſimo e Reuerendiſſimo ſignore, il ſignor Cardinale Giuſtiniano, Legato di Bologna. *Viſo hoc libro, non abs re fore cenſui ſi nonnulla eius in linguam latinam verterentur; ſunt enim non modò pulchra, ſed & admodum pia, quorum lectio cum fructu fiat. Adſcripſimus etiam latina quædam epigrammatia; omnia in eum finem, vt Deus non tantum in Sanctis, ſed & in hac admirabili Floris Peruani creatura laudetur, & debitis præconiis decantetur.*

DESCRIPTIO
FLORIS, FOLII, FRVTICIS, ET FRVCTVS GRANADILLÆ, SEV GRANATVLÆ,
PLANTÆ INDICÆ,
QVAE
ILLIC PASSIO CHRISTI PASSIM DICITVR.
Ex Italico.
Pars prior.

ETSI flos nouus Peruanus GRANADILLAE, adeò benè nunc expreſſus ſit artificio, videaturque ad viuum depictus in charta, vel acu opere Phrygio filis ſericis, vel ſcalpello etiam cęlatus affabrè, ac reprę̧ſentatus imaginibus, vt qualis iſte flos, & cumprimis eiuſdem fructus ſit, à quouis cognoſci queat: non erit nihilominus inutile, vt calamo vterque deſcribatur: vt, ſi penicillus, aut acus, aut ſcalptura deficiant alicubi, defectum iſthunc calamus ſuppleat; pleniusque ſatisfaciat iis, qui nobilis huiuſce, bellæ, plenæque myſteriis plantæ notitiam pleniorem expetunt. *Flos iſte paſſim circumfertur depictus.*

Sciendũ itaq;, quod flos GRANADILLAE magnitudine ſuperet nonnihil roſam, ſicut etiam odore vincit; imò præſtat odoratis omnibus, quæ in his noſtris reperiuntur partibus. Vnde etiam Indi hunc florem ſecum portant, non tam ob ſingularem pulcritudinem, quàm vt ipſi huius beneficio ſint odoriferi.

Folium, quod per ambitum floris huiuſce corpus format, & effigiat, vnicum eſt, & continuum, quale in noſtrate conuoluolo, ſeu volubili (Zaunglocken) & eſt coloris * fului (Leberfarb) vel liuidi. Pro- *GRANADILLAE flos.* ** Leonato Italis: à leonum*

m a ten-

colore, flaui coloris eſt ſpecies, Löwengelb.

** hoc eſt, ſinuat ſe, & ambitum deſcribit extremis Granadilla, ſicut viola, ſiue ◡; lunata habet extrema.*

tendentes verò ſe ſuper hoc folium circũ circa radij aliquot parui coloris flaui, è medio, ſeu centro floris (quod etiam eſt flauum, & rotundum, ſicut & roſæ) conſurgunt; depinguntq́; in hoc folio magno quoſdam terminos; quos inter, apparet* forma foliolorum ſimilium noſtratibus violis: eoque magis expreſſorum, quò, quod vbi terminantur radij; natura diuiſit, & diſtinxit aliquantulum, & inter finem vnius, & alterius radij, fecit diuerſa initia, vt videantur diuerſa folia: cùm vnum alioqui ſit, & perpetuum. Vnumquodque verò ex his natura ſictis, & radiis duntaxat ſeiunctis foliis, vel potius ſpatiis, per medium, & directam lineam inductas habet quinque velut recentis ſanguinis maculas, ſiue guttas.

** Notandũ hic, ſila hæc rubea, radiosque iſtos auerſi floris à pictoribus hactenus, & ſcalptoribus exprimi necdum potuiſſe. aduerſum enim floſculum duntaxat expreſſerunt.*

Vbi autem ſectiones ſunt radiorum circa florem, ſubtus apparent * quædam filorum rubeorum capita, quæ ſub folio è globulo, ſeu nodulo floris exeunt; videnturque totidem purpurei radij, qui coronam faciunt. In ſinu dehinc iſtius floris (qui quidem ſinus illi roſarum, vt dictum, perquam ſimilis eſt) ſtant per circulum quinque corallia parua, tenera, & rotunda, facta & ficta per naturam, quaſi quinque ſanguineas guttas, quales è recenti exſiliunt vulnere, velit repræſentare. At è centri circulo, quem corallia ſanguinea formant, enaſcitur ramuſculus colore, qui eſt inter rubrum, & flauum medius: is effigiat columellam cum baſi, & capitello: qua quidem de columella, deſuper pronaſcuntur quinque coloris eiuſdem virgulæ, quæ ſe vnà illigantes, & vincientes efformant ſeptuaginta duarum ſpinarum corollam, qualis fuit, quæ in coronatione Chriſti Redemptoris noſtri caput transfixit: quanquam, eadem ſpinoſa corolla, ſecundum floris, vnde pronaſcitur, proportionem, eſt admodum parua.

E media verò hac corolla, videntur tria ferrei coloris germina, ſpinis reliquis eminentiora, diſtincta, & ſeparata ab inuicem, tresque Crucis Chriſti clauos referunt: horum clauorum cuſpides columellæ capitello inſunt, ex quo capitello etiam germinant. Totum autem floris corpuſculum, ſub ſuo folio, ſeptem alia folia viridia longa, & anguſta, inque acumen deſinentia obtinet: ea, veluti totidem brachia peramicè ſuccurrunt, ſiue ad tutelam, & cuſtodiam floris, quando eſt clauſus: vel ad ſuſtentandum, quando eſt apertus: qui quidem flos, aperit ſe quotidie cum ortu, claudit autem ſeſe cum ſolis occubitu. quorum quidem viridium, & acutorum foliorum cuſpides circa floris apparent ambitum, quando idem eſt apertus.

GRANADILLAE *frutex, & folium.*

Neq; verò vnum ſolùm, ſed multos, & frequentes flores producit hæc GRANADILLAE planta longa, gracilisq́; inſtar hederæ: cuius more commodum (capreolis, ſeu clauiculis) ſe circumligat ſiue palo, ſiue

ſiue arbori,ſi quæ vicina,illaque ſe fulcit, & ſuſtentat: tegens hoc ſuum ſuſtentaculum,grandibus, viridibus, & denſis foliis, quæ extremum lanceæ Chriſti mucronem, quo Chriſti latus vulneratum eſt, præferunt.

GRANADILLAE *fructus.*

E plantæ huius flore fructus naſcitur non minus vtilis,quam elegans,& formoſus; & eſt magnitudine, formaq; oui anſerini: coloris autem flaui deaurati, aliquibus paruis, & rufis præditus maculis. Manditur quemadmodum ouum molle,ſeu ſorbile, cultello, vel inſtrumento aliquo alio circumcirca corticem ſeparando, & dehinc bibendo liquorem: qui quidem albus eſt; ſemina verò,quæ obtinet, ſunt nigrantia, ſimiliaque peponum,ſeu melonum; ſed tamen,* rotundula. Fructus autem huius liquor adeò dulcis eſt,vt ipſius ſuauitatem mellis ſuperet. Prodeſt etiam magnopere corpori, multumque corroborat ventriculum. Nec verò, licet eiuſdem plantæ ſint hi fructus,ſimul ad maturitatem perueniunt. Sed primò matureſcunt illi,qui radici ſunt viciniores; poſtmodum ſenſim alij, prout citius, ſeriùſque fuêre nati. Proinde contingit,& quidem ſæpe, vt in eadem planta,& eôdem tempore appareant,videanturque flores, & fructus tam immaturi,quam maturi: qui quidem aſpectantium oculos mire delectant. At vbi dempti ſunt ab arbore hi iam maturi fructus, diu conſeruantur. quanquam non eſt opus hos fructus ſeruare, & condere; cum reperiantur toto anno,ſi non in eâdem numero, ſaltem in alia ſpecie plantæ eiuſdem. quippe cum non ſimul, ſed per vices florem,& fructum producant.

Huiuſce fructus qualis vſus.

GRANADILLAE *ſemina.*

* *Vti pyrorum.*

Idem fit in malis citriis, ſeu Medecis, & Aſſyriis.

GRANADILLAE *florentis fructumq; ferentis tempus.*

GRANADILLAE *Locus.*

Et quanquam multæ ſint terræ,regna, & Prouinciæ integræ, quæ GRANADILLAE planta abundant,ſicut eſt Peru, Mexicũ, Scheſios, Blaſcho; in maiore tamen abundantia,& prouentu,(idque ob regionum temperiem) inuenitur in regno Cuſco, vbi Indorum Impp. ſedes eſt,& ad Vrbem Limam, vbi Hiſpaniarum Regis proreges reſident,& metropolis eſt Peru: quibus in Americæ partibus, paſsim * nominatur hæc planta GRANATILLA. Verùm quoniam nunc Indi à Chriſtianis intellexerunt,quòd partes,quas flos iſte repræſentat, ſint velut paſsionis Chriſti myſteria,paſsim,& vulgò ad tenellam vſque infantiã florem hunc *Paſsionem Domini noſtri* cognominant. Quod quomodo potuerit ſciri tam diſtinctè in his noſtris partibus, non videbitur nouum iis, qui de rebus Indicis audierunt multa mirabilia tanta certitudine, quantam aliorum relatio adferre potuit. Vnus eiuſmodi flos verus fuit ab Indiis (Occidentalibus) Romam allatus paucos ante menſes,& oblatus ſummo Pontifici Paulo V.& inde huc huiuſmodi narratio, ſeu deſcriptio floris eſt allata. Proinde in hac

* *Ob ſimilitudinem aliquã, quam hoc pomum habet cum punico, ſeu granato malo.*

Bononienſi ciuitate cœptum eſt diſſeri, & agi cum iis, qui vel in America nati, vel certè Indicarum regionū magnam praxin habent: qui, diſtinctam, & accuratam, etiam minimorum rationem dederunt & de forma, & aliis proprietatibus huius admirabilis plantæ: quæ quidem planta num vera, & genuina ſit, demonſtrabitur diſputatione ſequenti.

Pars altera.

Quod flos GRANADILLAE, *ſeu* Paſſio Domini noſtri, *ſit flos verus, & non fictus.*

** America.*

QVOD GRANADILLAE flos ſit verus, & inter multos alios flores à noſtratibus diuerſiſsimos inueniatur in beatis illis *Mundi recens reperti campis, non poteſt nunc ſcripto, quomodo ſe habeat, ſed tantum veracium & fide dignorum virorum teſtimonio probari, confirmarique. Vellet quidem curioſus oculus videre illum verum, & genuinum florem: verùm, ob regionis natiuæ floris huiuſce diſtantiam, non eſt conceſſum videre, niſi picturam illius expreſſam à docta, & imitatrice naturæ manu: etiam auribus ſolum datum eſt illius pulchritudinem, & eximiam excellentiam audire: quæ quidem ipſius excellentia ab hominibus fide dignis explicata, redditur credibilis. At quia, quæ in hac planta excellunt, & eminent, ſunt tot, & eiuſmodi, poſſunt, præſertim apud ſimplices creare dubiam admirationem.

GRANADILLAE, excellentia, & admirabilitas multiplex.

Etenim, quo pacto (dicat aliquis, & fortaſſe dicent etiam plures) terra producere poteſt illas formas, & imagines ſimiles illis inſtrumentis, quæ Chriſto Redemptori noſtro mortem intulerunt? Et quî eſſe poteſt in vno flore tanta rerum, colorum, ſanguinis, clauorum, ſpinoſarumque ſtirpium diſparitas? Ecquæ illa inuiſibilis manus in floris huius corona totidem ſpinas efformauerit, quot omninò fuerunt in pungente Redemptoris noſtri corona?

At omnes iſtæ, ſimileſque difficultates, & obiectiones, illa vna propoſitione reſoluuntur, qua ſancti ſanctæ Eccleſiæ Patres dubia, & admirationes, quæ circa ſacram Euchariſtiam in primitiua Eccleſia naſcebantur, refutabant. Reſpice, inquiunt, facientem, & deſinet eſſe mirabile. Reſpice, inquam, ſimilium operum artificem, & ceſſabit admiratio. Neque enim eſt homo, nec terra, nec eſt alia aliqua creata res ille Artifex: at floris huius inuentor eſt DEVS ipſe omnipotens. quid igitur mirum, ſi tam pulcher eſt, & elegans, & tam benè diſtinctus

ctus cum varietate myſteriorum, quæ à partibus illius repræſentantur, tum colorum. Potuit Perſiæ Tyrannus aliquis curare, vt ſibi conficeretur nouum cælum cryſtallinum; quod diuerſis, ſtelliferiſque cryſtallinis globis verum cælum magnam partem imitaretur, tempeſtates anni diſtingueret, mutaret tempora, diuideret annos: vt ſol fictus in eodem iam oriretur, iam occumberet: iam comparerent, iam non apparerent nocturnæ ſtellæ: ſicut & in hoc admirabili opere (quod ſub pedibus ſuis tenebat tyrannus ambitioſus) ſubinde videbat atris, caliginoſiſque nubibus cælum hoc ſuum obſcurari, iam pluuias, iam fulgura deorſum iacere, ac tempeſtates ciere. Et, nō poterit REX regum, Pater naturæ, DEVSque omnipotens in flore vno terreſtri paſsionis ſuæ inſtrumenta depingere?

Capocius Senenſis in ambarum manuum vnguibus depinxit cœnam Chriſti vltimam, orationem in horto, & captionem, flagellationem, coronationem, & crucifixionem, aliaque, quę in acerbiſsima Chriſti paſsione contigêre, cum illa multitudine tribunalium, militum, equitum, & turba reliqua, quæ in grandibus alioqui tabulis depingi ſolet: & DEO nos denegabimus, vt in vno flore, & quidem ſatis magno, & capaci ſolum ſculpat ſuæ paſsionis ſpinas, columnam, & clauos?

At veniamus ad res ipſas, quas fecit, & facit aſsiduè DEVS ter Opt. Max. ſub naturæ nomine; reperiemuſq; hunc GRANADILLAE florem nō eſſe ex grandioribus, & illuſtrioribus ipſius miraculis. Etenim videtur mihi, quod huius floris admirabilitatem longè ſuperet achates, quem Epirotarum Rex Pyrrhus habuit: in qua gemma, naturæ vi, ac ſine artificio lapidarij videbatur cælo, & coloribus expreſſus Apollo in nouem Muſarum medio, cum diuerſis inſtrumentis muſicis, quæ ſine magna difficultate, aut ſaltem induſtria, ipſa ars penicillo non poteſt aſſequi. Verùm, de plantis loquendo, multò quam GRANADILLA plus admirabilitatis habet radix Baaras, quæ in Machærunte Iudæę ciuitate naſcitur: quæ quidem radix cum ſub terra ſita ſit, tamen ſe manifeſtat ſplendidiſsimis radiis, quos de nocte foras iacit de loco, vbi reperitur: & quoniam corporibus eſt ſalutifera, ſiue alio fine quis eam velit colligere, cum foditur, fugit, & tam velociter, vt ſæpe viſum effugiat: quare, vt fodiendo obtineatur, neceſſarium eſt, vt circumcirca foſſa profunda fiat, ne diffugiat.

GRANADILLA miraculum eſt natura: ſed nō ex illuſtrioribus.

Plin. l. 37. c. 1.

GRANADILLAE admirabilitas, confertur cum aliis plātis admirabilibus.

Ioſeph. de bello Iudaico. lib 7. cap. 25.

Catalogus peregrinarum plantarum admirabilium.

Quid dicemus de planta Agni? hæc in Caſpiis naſcitur mōtibus, itaque nominatur. quippe ſimilis eſt *agnello* capite, totoque corpore, pedibus, pelle, atque ad vſque ſanguinem. depaſcitur enim herbas ſibi vicinas, velut ſi ſpacioſi prati alia depaſceretur gramina: veruntamen

Sur. de rebus in orbe geſt. Anno M.L IV.

men non licet illi de ſua radice dimoueri: quoniam vmbilico tenetur à terra ligata. Vnde miſera, poſteaquam vicinas herbas, quæ circa ſunt, abſumpſit, emoritur: cum neceſſarius deficiat cibus. nec minus appetitur à lupo hæc planta, quàm ſi verus eſſet agnus.

Nec reticebo arborem (Indiæ) Aeſchynomenen, ſeu *Verecundam*, aut *Pudibundam*, quæ eſt in Prouincia *Pudiſetania*, ad quam, ſi quis appropinquat, ac ſi verecundia tangeretur, recolligit ſua folia: (ſicut caſta virgo à laſciuo conſpecta oculo, ex verecundia vultum obuelat:) diſcedente autem illo, qui appropinquarat, denuo ſua folia expandit, & ſinum monſtrat.

In extrema Scotia, ad Orchades inſulas. Illud, quod fidem omnem ſuperare videtur, eſt tamen longè veriſsimum. Eſt arbor, quæ loco foliorum producit aues: quæ quidem roſtro affixæ ſunt trunco, donec ſint ex toto formatæ, & perfectæ; hoc vbi euenit, extrahunt roſtrum è trunco, & cum aliis auibus volant.

His plantis admirabilibus eſt par illa de Temiſtita nomine *Mangeo*, de cuius foliis fit vinum; poma, in cibum concedunt; cortex in veſtes fila ſuppeditat: de ligno, fiunt claui, & inſtrumenta alia, quæ, & qualia nos è ferro conficimus.

Arbor autem inſulæ Zebut, nomine Coccho, ſingularis eſt admirabilitatis. Fiunt enim ex ipſius trunco naues; de corticibus, funes; de ramis, mallei, claui, remi, & alia vtenſilia: producit fructum ſimilem peponi: qui fructus liquorem habet noſtro butyro affinem: qui quidem liquor, ſenſim conuertitur in oleum: aquæ inditus, mutatur in ſaccarum: in ſole poſitus, fit acetum. Ecquid deſiderare plus potes ad vſum ab vna planta?

Præterea, in Io. Baptiſtæ Portæ Phyſognomonica videmus, quod multæ plantæ ad viuum multa repræſentent animalia, quæ, ne longus hîc ſim, omitto: ſolùm paucis dicam de humani corporis partibus; quæ in plantis quibuſdam adeò benè ſunt expreſſæ, vt ars vlla non facile illas imitari queat: ſicut in quercus muſco, expreſſos videmus humani capitis capillos: in flore nardi Celticæ, pupillam oculi: in cedri, & Perſeæ fructu, cor; in pulmonaria arborea, pulmonem: in fumaria, hepar: in nuce Indica, matricem; in dentaria dentes; in palma Chriſti, Orchidum ſpecie, & Pliniano dactylo, manus digitos; & in aliis plantis, alias humani corporis partes. quæ plantarum admirabilitates in laudato Auctore ſigillatim videri queunt: quæ, vt mihi quidem videtur, GRANADILLAE florem longè ſuperant.

Et quanquam in hoc flore non videatur ſanctæ CRVCIS ſignum: nihilominus hoc glorioſum ſignum eſt ſculptum à DEO, non ſolum in petra, quæ in Poucia videtur, vbi & CRVX, & crucifixi pro nobis

Chriſti

Chriſti redemptoris noſtri imago diuinitus per naturã ſunt expreſſa: verum in vna alia planta, quæ naſcitur in * Berytho, portu mediterraneo, apud terram promiſsionis, cuius fructus dicitur MVSA, voluit ipſe DEVS, vt in omni parte, qua fructus ipſe inciditur, videatur in ipſo depictum, & effigiatum ſanctæ CRVCIS ſignum: id quod propius confirmare videtur huiuſce floris, de quo diſſerimus, veritatem. Quoniam, ſi DEVS in hoc vno fructu, & in omni fructus huius parte, ſignum ſanctæ CRVCIS impreſsit, non erit adeò mirabile, vel certè non ſupra fidem, quod in vno GRANADILLAE flore impreſſa ſint reliqua Paſsionis Chriſti myſteria.

** Imò in Cypro, & aliis calidioribus regionibus.*

Sed quid equidem alias floris huius probationes requiro; ſi iam ab aliis ſcriptoribus eſt probatus, & laudatus?

GRANADILLAE *Veritas: auctoritate ſcriptorum comprobata.*

In Hiſtoria plantarum generali, nominatur hic flos GRANADILLA: Ibidemque demonſtratur, quod adeò benè repræſentet myſteria Paſsionis Chriſti, vt ab arte, & quidem etiam accuratè, videatur effigiata. Et quamuis in rebus cæteris, velut in colore floris, aut ſapore, & forma fructus, deſcriptio paulò aliter habeat, quàm hæc noſtra: veruntamen in eo, quod præcipuum eſt, nimirum in Paſsionis Chriſti repræſentatione, ſumus conformes, & concordes. In reliquis proinde debeo, & volo citius, libentiusq; credere iis, qui non ſolum hunc florem viderunt, ſed fructum etiam guſtarunt; quales ſunt illi teſtes, quorum teſtimonium paulò infra videbitur.

Hiſtoria plantar. lib. 28. c. 147. Lugduni Gall. edita. Dalechampio attribuitur opus: quamuis titulus libri auctorem nullum præferat.

Libet verò iſto loco verba ipſa Hiſtoriæ plantarũ ſubdere: quanquam ea potius ſunt Caroli Cluſij; aut verius, Nicolai Monardi Hiſpalenſis Medici; cuius opuſculum de medicamentis ex nouo Orbe delatis, Hiſpanica lingua conſcriptum, Exoticorum libro X. Latinè ſic repoſuit Cluſius; *Allatus mihi ex continenti herbæ fructus eſt*, (ait Carolus Cluſius, vel potius D. Nicolaus Monardus) *quæ in Peruanis montibus, vbi ſponte naſcitur,* GRANADILLA *appellatur: quod nomen illi impoſuerunt Hiſpani ob ſimilitudinem, quam cum noſtris malis granatis habet. Nam fructus eiuſdem ferè eſt amplitudinis, atq; etiam coloris, quando maturus eſt, niſi quod * corona careat. In eo ſiccato, ſi agitetur, ſonitum edit ſemen intus occluſum, quod pyri ſemini ſimile eſt, aliquanto tamen maius.* Pomum ipſum eſt *tuberculis quibuſdam eleganter elaboratum, & aſpectu iucundum. Pulpa candida eſt, & ſaporis expers. Planta, hunc fructum ferens hederæ ſimilis eſt, eodemq; modo repit, & ſcandit, quocunq; loco ponatur. Elegans eſt cum fructu onuſta conſpicitur, propter eius amplitudinem. Florem habet albæ roſæ perſimilem, in cuius foliis aliquæ veluti Paſsionis Chriſti figuræ delineatæ conſpiciuntur, quas magna diligentia iſtic pictas exiſtimes: eam ob cauſam elegantiſſimus eſt flos. Fructus ipſe, ſunt granatula iam dicta, quæ matura, acidulo liquore redundant: & ſemine plena ſunt. Aperiuntur vt oua,*

I. II. III.

** hac enim malis granatis omnibus inſidet.*

& liquor ille magna cum voluptate ſorbetur tum ab Indis, tum ab Hiſpanis. nec etiam ſi multos ſorbeas, vllam ventriculi grauedinem ſentis, ſed potius aluum emolliri. Herba rara eſt, quæ duntaxat vno in loco reperitur. Fructus temperatus eſſe videtur, & aliquantulum humidus. Atque hæc quidem D. Monardus, interprete Cluſio. Subſequuntur cæterorum ſcriptorum teſtimonia.

IV. Dominus Ioannes Boterus, non minus elegans poëta, quam celebris hiſtoricus, in Veris deſcriptione, quam euulgauit M. DCVII. in octauo metro, quod Sereniſsimo Sabaudiæ Principi inſcripſit, in hanc ſententiam, eleganter de hoc flore canit:

Sed non conuenit relinquere GRANADILLAM,
Quæ eſt ſummus honos florum Mexicanorum,
In quo flore, ſi penitius inſpicias,
Videbis Chriſti tui aſperos dolores,
Columnam, plagas, & purpuream
Coronam; & hoc, quod in CRVCE *adoras,*
Coopertos ſanguine acutos clauos,
Et (ſi te Pietas promouet) funes, & nodos.
Vnde accidit, ô ſancte, & incomparabilis flos,
Quod in terra naſcaris, & climate tam remoto
Cum indignis tormentis, quæ tulit Redemptor
Ab infido populo, impio, inhumano?
Quàm eſſes melius in meo corde
Operâ ſummi Opificis?
Non timeres hibernum gelu,
Et viueret in me perpetuus zelus.

V. *Lib. 4. c. 27.* Etiam Ioſephus Acoſta Societatis IESV in hiſtoria morali, & naturali rerum Indicarum, mentionem facit floris GRANADILLAE; & expreſsè aſſerit in eodem repetiri omnia Paſsionis Chriſti myſteria, quæ hactenus hîc deſcripſimus, & probauimus.

Non eſt itaque tam nouus, aut incognitus hic flos in Italia, vt iam debeat videri res mira, & incredibilis; niſi fortè iis, qui pauca viderunt, & pauca legerunt.

GRANADILLA *deniq; oculatis teſtibus eſt comprobata.*

Ii ſunt Viri illuſtres, Variarumq; natio-num.

** Italica, Hiſpanica, & Latina.*

At deueniamus tandem ad illos, qui hîc Bononiæ tum voce, tum ſcripto approbarunt, & confirmarunt iſthunc floſculum. Ipſa verò iſtorum teſtimonia ſunt apud Magiſtrum Simonem Palaſcam, qui pietatis affectu ductus, ea nô minore labore, quam diligentia procurauit, & collegit; ſicut etiam * carmina, quæ in præclariſsimam hanc plan-

plantam à variis, doctiſsimisque ingeniis cuſa ſunt: proinde, tam il-
la, quàm iſthæc, velut res caras, & precioſa cimelia penes ſe conſeruat.

R.P.F. Alphonſus de Armeria, Magiſter ſacræ Theologiæ, & Pro- I.
curator Generalis in Prouincia Mexici: & P.F. Hieronymus de Agoë- II.
ro Prouinciæ Peruuij, ambo Ordinis Prædicatorum; poſteaquam hîc
Bononiæ floris GRANADILLAE imaginem editam viderunt; ſub
effigiem illius hæc verba chartæ ſubſcripſerunt: *Atteſtamur hanc eſſe
veram effigiem floris Indici, qui aliqua inſignia Paſſionis D.N. IESV CHRISTI
præ ſe fert: eſtq́; frutex eius veluti hedera, quæ magna ædificia veſtit.*

Sub eandem effigiem, & in eadem charta lingua Hiſpanica ſcri- III.
pſit Dn. Rogodinus de Mexico, & Dn. Emanuel de Figueroa, ſacer- IV.
dos Luſitanus, quod non modò viderint iſthunc GRANADILLAE
florem, ſed quod etiam frequenter GRANADILLAE fructum eſita-
rint.

Id ipſum confirmarunt in charta alia, vbi item depictus fuit iſte
flos P.D. Ioannes Romerus Societatis IESV, qui fuit aliquando in V.
Peru Societatis eiuſdem Procurator: & P.D. Ioannes Martinus de Re-
caldi, qui fuit eiuſdem P. Romeri laborum, & itineris ſocius. VI.

Huic præterea veritati ſubſcripſerunt ibidē Dn. D. Diego di Leon VII.
Garauito, in ciuitate Lima natus, qui nunc Bononiæ habitat in Col-
legio Hiſpanico: quemadmodum etiam idem Latinis verſibus GRA-
NADILLAE plantam explicuit. Et hic ipſe eſt, qui habet teſtimonio-
rum horum autographa.

Reperta quoque eſt Epiſtola Dn. Thomæ Campanæ, qui Roma VIII.
huc ſcribendo Bononiam ad Dominum Philippum Certanũ ſuum
amicum; eidem narrat, quo pacto in ædibus Illuſtriſs. Cardinalis de
Montelparo verum, & natiuum GRANADILLAE florem viderit: qui
quidem dono miſſus ſit PAVLO V. hodierno ſummo Pontifici, vti IX.
priore parte diximus.

Etiam aliæ aliorum fide dignorum circumferuntur literæ, quæ X.
hæc omnia confirmant, quæ hucuſque hîc diſſeruimus.

Præterea quot elogia, & encomia in hunc GRANADILLAE flo- XI. XII.
rem facta ſunt, tot ſunt euidentia teſtimonia, quòd GRANADILLAE
flos ſibi conſtet, & reperiatur. Etenim omnes iſtæ ſcriptiones, aut
ſubſcriptiones, ſunt vel eorum, qui hunc ipſum florem viderunt, vel
certè habuerunt eam certitudinem, vt non ſolùm arbitrati
ſint hunc florem fide, credituque dignum,
ſed digniſsimum eſſe
præconio.

IN ADMIRANDAM PLANTAM INDICAM GRANADILLAM,

Epigrammata.

AD GRANADILLAM PALI, VEL ARBORIS, QVIBVS SVSTENTETVR, INDIGAM.

FLORIS honos, & odos, fructuſq; vt gratia duret;
More hederæ reptans tollis in aſtra caput:
Néue CRVCIS penitus careas inſignibus; iſthanc
Arboris, aut pali CRVX tibi præſtat opem.
Capreolis ni te his affigas firmius: omnis
Oris honos, & odos, fructus & ipſe perit.
Tu, Vitis potius, quàm GRANADILLA vocêre:
Quæ vitam ingenio, Vitis vt ipſa, tenes.

AD EANDEM, DE CRVCE MYSTICA INSIGNIBVS PLVRIBVS in flore ipſius expreſſa.

GRANADILLA tibi CRVCIS haud inſignia deſunt:
Proſpiciunt paſſim myſtica SIGNA foras.
VVLNERA quina CRVCIS ſtipes directus in auras
Ambit: ſtant CLAVI deſuper, atque VEPRES.
Inſignem toties CRVCIS inde inſignibus eſſe
Te reputo; quota ſunt indita SIGNA CRVCIS.

Ad

Ad eandem GRANADILLAM, de ternis clauis.

Hiſtorici paſſim, Patres, Græci, atque Latini,
CRVCIS fuiſſe quattuor clauos, tenent.
GRANADILLA refers ternos, miracula tanta:
Miraculum ſed maius hoc, quod cernimus:
Tres LINGVAS potius CRVCIS in præconia natas:
Quod Titulus habuit inditus quondam CRVCI.
In CHRISTI laudes non ſufficit vnica LINGVA:
Sed multiplex ſit LINGVA LINGVIS cum ſonant.

In GRANADILLAE ſpinas.

Nunquid colligunt de ſpinis vuas. Matth. 7.

Plantarum eſt extra cenſum hæc noua planta Peruuî.
De SPINIS VVAS colligit ipſa palàm.
Præcedunt hirtæ dulciſſima munera ſpinæ
Pomorum; atque noui nectaris ambroſiam.
Ambroſiam eſſe cupit quicunque, aut nectaris hauſtu
Reſtaurare ſitim: ſit mora nulla via.
Horreat haud CRVCIS has ſpinas. mox melleus humor
Manabit rupto cortice, & vſque fluet.

In laneata folia.

Turma inimica CRVCIS procul hinc, procul eſto profana.
PERFIDIAE ſpectas arma parata tuæ.
Quot folia hîc horrent ſummis mucronibus inſtar
Haſtarum: totidem tela vibrata vides.
PERFIDIA miſſâ, PIETAS ſuccedat auita.
LANCEA tunc ſolùm vulnus AMORIS aget.

In GRANADILLAE fructum.

Punica mala tibi dant, GRANADILLA, priores
Iampridem; cedunt cumq; rubore loco.

Iam & hortulorum purpura non recreant:
Niues odoras liliorum nauſeo,
Nec lychnidum moueor venuſto ſanguine:
Non amplius fragrant roſarum flammulæ:
Regina florum omnesq́ proceres, iam mihi
Euiluerunt, præ nouo iſthoc germine
Et flore florum, qui coronam fert quam Amor
Meus cruore purpurauit proprio.
Flos ille clauos fert, Amorem qui meum
Transfixerant. flos iſte fert pyramidulam
Ad quam flagellis cæſus eſt Amor meus.
Flos hic ita vincit odore flores cæteros,
Vt totus eſſe naſus optet quiſpiam,
Meliore tractus quam Catullus halitu:
Flos hic ita formâ vincit omnes floſculos,
Vt totus optet eſſe ſpectator oculus.

Aliud.

Quid mirum è templis ſacra commigraſſe trophæa
Hortorumq́, velut iuſſa, ſubiſſe larem?
Eſt gratus templi hoc animus. crebrò hortulus antè
Ad templum flores iuſſerat ire ſuos.

In eandem.

Chriſte, tuas memori quis voluit mente dolores?
Mæſtam oculis, ſanguis cui tuus, excit aquam?
Heu paſſi quanta eſt obliuio Seruatoris!
Non niſi cum iurant, vulnera Chriſtus habet.
Quàm lallare ſciat, quoties iam peierat infans?
Quàm poſſit fari, fallere iam didicit.
Iam pueris omnis ludendi eſt nota ſupellex;
Sæpe tuam ignorant, ſaucie Chriſte, necem.
Sæpe prius norunt quo monte Falerna vehantur;
Quàm quo Soteris vulnera monte fluant.
Non dubio pictas diſtinguunt ordine chartas,
Quâ veniat victor luſus ab arte, ſciunt.
At cum fortè vident morientem in imagine Chriſtum,
Quem notet iſta reum picta tabella, rogant.

Hæc,

Hæc, facunda parens ſcelerum docet Hæreſis; omnem
E domibus frendens eiicit illa crucem.
Ad menſam pictas ſtatuit Veneresq́, Iouesq́,
Pro cruce, nec totâ, pars tenebroſa, domo eſt.
Ipſis iam dudum Crux templis exulat; illam
Hæreſis æternâ iuſſit abire fugâ.
Ergóne ſic toto Pietas euanuit orbe?
Sic Chriſti lateant ſymbola ſacra necis?
At nondum hac toto Pietas euanuit orbe,
Pulſam etſi toto hanc Hæreſis orbe velit.
E templis profuga hoſpitium dedit Indica tellus;
Et templa atque hortos iuſſit adire ſuos.
Vt iuſſa eſt fecit, ſecum ſua ſymbola geſtans,
Floribus in mediis preſſit & illa pedem:
Hîc Chriſti ſertum, hîc clauos, notamq́, columnam,
Certo per flores ordine diſpoſuit.
Sic iam quæ renuunt homines in pectore ferre,
Hæc tergo flores, arma ſacrata ferunt.
Cumq́, homines nolint (patiens ô Chriſte!) dolores.
Flores incipiunt velle dolere tuos.

In eandem.

Quid tandem? vt video, templa immutantur in hortos;
Quasq́, olim templum, nunc habet hortus opes.
In templis Chriſti patientis imago refulget,
Lancea, crux, claui, flagra, columna, vepres.
Hæc eadem, admirata ſuis videt India in hortis,
E medio, ſacris creſcere flore, notis.
Quis cupida ſatis hoc dextra moderetur in horto?
Quis ſatis hoc oculos paſcere flore queat?
Hortus hic antiſtat cunctos pulcherrimus hortos
Tam pulchræ ſobolis qui pater eſſe poteſt.
Hunc ego Tarquinius regnem poſt regna per hortum,
Ceruicem florum non tamen enſe metam:
Illorum potius venerandum culmen adorem;
Floribus exequias his lego, Chriſte, tuas.

Cur

Cur apud Antipodas FLOS CRVCIS compareat?

POſt ſe Sol tenebras linquit: quâ cedit ab orâ
Vmbris opacans hanc tegit caligine.
Hinc ſyncera FIDES *retrahit ſua lumina: quare,*
Incumbit errorum grauis nox ocyus.
Partibus è noſtris ſenſim demigrat ad INDOS
GLORIA CRVCIS, *dum furit, & ardet* HAERESIS.
ANTIPODAS *ſed adit, qui grato pectore* LVCEM *hanc*
Captant, honorant mente pura, & ſimplice.
Eminet hinc inter ſylueſtria germina FLOS *hic*
CRVCIFER, *&* INDO GRATIAM *monſtrat* CRVCIS.

Ad PERVVIVM.

O *multum gratare tibi* PERVANA, *Deóque*
Grates innumeras nocte, diéque refer;
De radiis FIDEI, *tenebras hac ſola fugauit*
Perfidia, & Vitij: quæ tibi numen erant.
De CRVCE *vera* SALVS *en obtigit. En eadem* CRVX
Per florem hunc cedit PIGNORIS *vſque loco.*
CRIMEN *abundauit: ſucceſſit* GRATIA *maior.*
Hanc tibi adaugebunt culta TROPAEA CRVCIS.

In lanceam GRANADILLAE.

INgenioſe frutex, quid in hac miracula ſurgis?
Nutrísq; haſtatas per tua membra comas?
Vidi ego damnatis Hiſpanica caſtra ſariſſis,
Hac arma in gentem vertere ſæpe tuam.
Nec verò incaſſum. Ceſſit Victoria; quamque
Ferrea non potuit, lancea ſacra dedit.
Et tu degeneres porro vernabis in haſtas?
Deuictosq; Indos Indicus ipſe, voles?
Omen, iô, fauſtum. Cunctis dominabimur Indis;
Nam Patria in Ciues ſuggeret arma ſuos.

Bononienſi ciuitate cœptum eſt differi,& agi cum iis,qui vel in America nati,vel certè Indicarum regionũ magnam praxin habent: qui, diſtinctam,& accuratam, etiam minimorum rationem dederunt & de forma,& aliis proprietatibus huius admirabilis plantæ: quæ quidem planta num vera, & genuina ſit, demonſtrabitur diſputatione ſequenti.

Pars altera.

Quod flos GRANADILLAE,*ſeu* Paſſio Domini noſtri,*ſit flos verus, & non fictus.*

QVOD GRANADILLAE flos ſit verus, & inter multos alios flores à noſtratibus diuerſiſsimos inueniatur in beatis illis *Mundi recens reperti campis,non poteſt nunc ſcripto,quomodo ſe habeat,ſed tantum veracium & fide dignorum virorum teſtimonio probari,confirmarique. Vellet quidem curioſus oculus videre illum verum, & genuinum florem: verùm,ob regionis natiuæ floris huiuſce diſtantiam,non eſt conceſſum videre, niſi picturam illius expreſſam à docta,& imitatrice naturæ manu:etiam auribus ſolum datum eſt illius pulchritudinem, & eximiam excellentiam audire: quæ quidem ipſius excellentia ab hominibus fide dignis explicata,redditur credibilis. At quia,quæ in hac planta excellunt, & eminent, ſunt tot, & eiuſmodi, poſſunt, præſertim apud ſimplices creare dubiam admirationem.

** America.*

Granadillae, excellentia, & admirabilitas multiplex.

Etenim,quo pacto (dicat aliquis,& fortaſſe dicent etiam plures) terra producere poteſt illas formas, & imagines ſimiles illis inſtrumentis,quæ Chriſto Redemptori noſtro mortem intulerunt? Et quî eſſe poteſt in vno flore tanta rerum, colorum, ſanguinis, clauorum, ſpinoſarumque ſtirpium diſparitas? Ecquæ illa inuiſibilis manus in floris huius corona totidem ſpinas efformauerit, quot omninò fuerunt in pungente Redemptoris noſtri corona?

At omnes iſtæ, ſimileſque difficultates, & obiectiones, illa vna propoſitione reſoluuntur,qua ſancti ſanctæ Eccleſiæ Patres dubia, & admirationes,quæ circa ſacram Euchariſtiam in primitiua Eccleſia naſcebantur, refutabant. Reſpice,inquiunt,facientem, & definet eſſe mirabile. Reſpice, inquam, ſimilium operum artificem, & ceſſabit admiratio. Neque enim eſt homo,nec terra,nec eſt alia aliqua creata res ille Artifex: at floris huius inuentor eſt DEVS ipſe omnipotens. quid igitur mirum,ſi tam pulcher eſt,& elegans, & tam benè diſtin-

ctus

ctus cum varietate myſteriorum, quæ à partibus illius repræſentantur, tum colorum. Potuit Perſiæ Tyrannus aliquis curare, vt ſibi conficeretur nouum cælum cryſtallinum; quod diuerſis, ſtelliferiſque cryſtallinis globis verum cælum magnam partem imitaretur, tempeſtates anni diſtingueret, mutaret tempora, diuideret annos: vt ſol fictus in eodem iam oriretur, iam occumberet: iam comparerent, iam non apparerent nocturnæ ſtellæ: ſicut & in hoc admirabili opere (quod ſub pedibus ſuis tenebat tyrannus ambitioſus) ſubinde videbat atris, caliginoſiſque nubibus cælum hoc ſuum obſcurari, iam pluuias, iam fulgura deorſum iacere, ac tempeſtates ciere. Et, nõ poterit REX regum, Pater naturæ, DEVSque omnipotens in flore vno terreſtri paſsionis ſuæ inſtrumenta depingere?

Capocius Senenſis in ambarum manuum vnguibus depinxit cœnam Chriſti vltimam, orationem in horto, & captionem, flagellationem, coronationem, & crucifixionem, aliaque, quę in acerbiſsima Chriſti paſsione contigêre, cum illa multitudine tribunalium, militum, equitum, & turba reliqua, quæ in grandibus alioqui tabulis depingi ſolet: & DEO nos denegabimus, vt in vno flore, & quidem ſatis magno, & capaci ſolum ſculpat ſuæ paſsionis ſpinas, columnam, & clauos?

At veniamus ad res ipſas, quas fecit, & facit aſsiduè DEVS ter Opt. Max. ſub naturæ nomine; reperiemuſq; hunc GRANADILLAE florem nõ eſſe ex grandioribus, & illuſtrioribus ipſius miraculis. Etenim videtur mihi, quod huius floris admirabilitatem longè ſuperet achates, quem Epirotarum Rex Pyrrhus habuit: in qua gemma, naturæ vi, ac ſine artificio lapidarij videbatur cælo, & coloribus expreſſus Apollo in nouem Muſarum medio, cum diuerſis inſtrumentis muſicis, quæ ſine magna difficultate, aut ſaltem induſtria, ipſa ars penicillo non poteſt aſſequi. Verùm, de plantis loquendo, multò quam GRANADILLA plus admirabilitatis habet radix Baaras, quæ in Machærunte Iudæę ciuitate naſcitur: quæ quidem radix cum ſub terra ſita ſit, tamen ſe manifeſtat ſplendidiſsimis radiis, quos de nocte foras iacit de loco, vbi reperitur: & quoniam corporibus eſt ſalutifera, ſiue alio fine quis eam velit colligere, cum foditur, fugit, & tam velociter, vt ſæpe viſum effugiat: quare, vt fodiendo obtineatur, neceſſarium eſt, vt circumcirca foſſa profunda fiat, ne diffugiat.

GRANADILLA miraculum eſt naturæ: ſed nõ ex illuſtrioribus.

Plin. l. 37. c. 1.

GRANADILLAE admirabilitas, confertur cum aliis plãtis admirabilibus.

Ioſeph. de bello Iudaico. lib 7. cap. 25.

Catalogus peregrinarum plantarum admirabilium.

Quid dicemus de planta Agni? hæc in Caſpiis naſcitur mõtibus, itaque nominatur. quippe ſimilis eſt *agnello* capite, totoque corpore, pedibus, pelle, atque ad vſque ſanguinem. depaſcitur enim herbas ſibi vicinas, velut ſi ſpacioſi prati alia depaſceretur gramina: veruntamen

Sur. de rebus in orbe geſt. Anno M.L IV.

men non licet illi de ſua radice dimoueri: quoniam vmbilico tenetur à terra ligata. Vnde miſera, poſteaquam vicinas herbas, quæ circa ſunt, abſumpſit, emoritur: cum neceſſarius deficiat cibus. nec minus appetitur à lupo hæc planta, quàm ſi verus eſſet agnus.

Nec reticebo arborem (Indiæ) Aeſchynomenen, ſeu *Verecundam*, aut *Pudibundam*, quæ eſt in Prouincia *Pudiſetania*, ad quam, ſi quis appropinquat, ac ſi verecundia tangeretur, recolligit ſua folia: (ſicut caſta virgo à laſciuo conſpecta oculo, ex verecundia vultum obuelat:) diſcedente autem illo, qui appropinquarat, denuo ſua folia expandit, & ſinum monſtrat.

In extrema Scotia, ad Orchades inſulas. Illud, quod fidem omnem ſuperare videtur, eſt tamen longè veriſſimum. Eſt arbor, quæ loco foliorum producit aues: quæ quidem roſtro affixæ ſunt trunco, donec ſint ex toto formatæ, & perfectæ; hoc vbi euenit, extrahunt roſtrum è trunco, & cum aliis auibus volant.

His plantis admirabilibus eſt par illa de Temiſtita nomine *Mageo*, de cuius foliis fit vinum; poma, in cibum concedunt; cortex in veſtes fila ſuppeditat: de ligno, fiunt claui, & inſtrumenta alia, quæ, & qualia nos è ferro conficimus.

Arbor autem inſulæ Zebut, nomine Coccho, ſingularis eſt admirabilitatis. Fiunt enim ex ipſius trunco naues; de corticibus, funes, de ramis, mallei, claui, remi, & alia vtenſilia: producit fructum ſimilem peponi: qui fructus liquorem habet noſtro butyro affinem: qui quidem liquor, ſenſim conuertitur in oleum: aquæ inditus, mutatur in ſaccarum: in ſole poſitus, fit acetum. Ecquid deſiderare plus potes ad vſum ab vna planta?

Præterea, in Io. Baptiſtæ Portæ Phyſognomonica videmus, quod multæ plantæ ad viuum multa repræſentent animalia, quæ, ne longus hîc ſim, omitto: ſolùm paucis dicam de humani corporis partibus; quæ in plantis quibuſdam adeò benè ſunt expreſſæ, vt ars vlla non facile illas imitari queat: ſicut in quercus muſco, expreſſos videmus humani capitis capillos: in flore nardi Celticæ, pupillam oculis in cedri, & Perſeæ fructu, cor; in pulmonaria arborea, pulmonem: in fumaria, hepar: in nuce Indica, matricem; in dentaria dentes; in palma Chriſti, Orchidum ſpecie, & Pliniano dactylo, manus digitos; & in aliis plantis, alias humani corporis partes. quæ plantarum admirabilitates in laudato Auctore ſigillatim videri queunt: quæ, vt mihi quidem videtur, GRANADILLAE florem longè ſuperant.

Et quanquam in hoc flore non videatur ſanctæ CRVCIS ſignum: nihilominus hoc glorioſum ſignum eſt ſculptum à DEO, non ſolum in petra, quæ in Poueia videtur, vbi & CRVX, & crucifixi pro nobis Chriſti

Chriſti redemptoris noſtri imago diuinitus per naturã ſunt expreſ-ſa: verum in vna alia planta, quæ naſcitur in * Berytho, portu mediterraneo, apud terram promiſsionis, cuius fructus dicitur MVSA, voluit ipſe DEVS, vt in omni parte, qua fructus ipſe inciditur, videatur in ipſo depictum, & effigiatum ſanctæ CRVCIS ſignum: id quod propius confirmare videtur huiuſce floris, de quo diſſerimus, veritatem. Quoniam, ſi DEVS in hoc vno fructu, & in omni fructus huius parte, ſignum ſanctæ CRVCIS impreſsit, non erit adeò mirabile, vel certè non ſupra fidem, quod in vno GRANADILLAE flore impreſſa ſint reliqua Paſsionis Chriſti myſteria.

** Imò in Cypro, & aliis calidioribus regionibus.*

Sed quid equidem alias floris huius probationes requiro; ſi iam ab aliis ſcriptoribus eſt probatus, & laudatus?

GRANADILLAE *Veritas: auctoritate ſcriptorum comprobata.*

In Hiſtoria plantarum generali, nominatur hic flos GRANADILLA: Ibidemque demonſtratur, quod adeò benè repræſentet myſteria Paſsionis Chriſti, vt ab arte, & quidem etiam accuratè, videatur effigiata. Et quamuis in rebus cæteris, velut in colore floris, aut ſapore, & forma fructus, deſcriptio paulò aliter habeat, quàm hæc noſtra: veruntamen in eo, quod præcipuum eſt, nimirum in Paſsionis Chriſti repræſentatione, ſumus conformes, & concordes. In reliquis proinde debeo, & volo citius, libentiusq; credere iis, qui non ſolum hunc florem viderunt, ſed fructum etiam guſtarunt; quales ſunt illi teſtes, quorum teſtimonium paulò infra videbitur.

Hiſtoria plantar. lib. 28. c. 147. Lugduni Gall. edita. Dalechampio attribuitur opus: quamuis titulus libri auctorem nullum præferat.

Libet verò iſto loco verba ipſa Hiſtoriæ plantarũ ſubdere: quan- I.
quam ea potius ſunt Caroli Cluſij; aut verius, Nicolai Monardi Hi- II.
ſpalenſis Medici; cuius opuſculum de medicamentis ex nouo Orbe III.
delatis, Hiſpanica lingua conſcriptum, Exoticorum libro X. Latinè ſic repoſuit Cluſius; *Allatus mihi ex continenti herbæ fructus eſt,* (ait Carolus Cluſius, vel potius D. Nicolaus Monardus) *qua in Peruanis montibus, vbi ſponte naſcitur,* GRANADILLA *appellatur: quod nomen illi impoſuerunt Hiſpani ob ſimilitudinem, quam cum noſtris malis granatis habet. Nam fructus eiuſdem ferè eſt amplitudinis, atq; etiam coloris, quando maturus eſt, niſi quod * corona careat. In eo ſiccato, ſi agitetur, ſonitum edit ſemen intus occluſum, quod pyri ſemini ſimile eſt, aliquanto tamen maius.* Pomum ipſum eſt *tuberculis quibuſdam eleganter elaboratum, & aſpectu iucundum. Pulpa candida eſt, & ſaporis expers. Planta, hunc fructum ferens hederæ ſimilis eſt, eodemq; modo repit, & ſcandit, quocunq; loco ponatur. Elegans eſt cum fructu onuſta conſpicitur, propter eius amplitudinem. Florem habet albæ roſæ perſimilem, in cuius foliis aliqua veluti Paſsionis Chriſti figuræ delineatæ conſpiciuntur, quas magna diligentia iſtic pictas exiſtimes: eam ob cauſam elegantiſsimus eſt flos. Fructus ipſe, ſunt granatula iam dicta, quæ matura, acidulo liquore redundant: & ſemine plena ſunt. Aperiuntur vt oua,*

** hac enim malis granatis omnibus inſidet.*

n &

& liquor ille magna cum voluptate ſorbetur tum ab Indis, tum ab Hiſpanis. nec etiam ſi multos ſorbeas, vllam ventriculi grauedinem ſentis, ſed potius aluum emolliri. Herba rara eſt, quæ duntaxat vno in loco reperitur. Fructus temperatus eſſe videtur, & aliquantulum humidus. Atque hæc quidem D. Monardus, interprete Cluſio. Subſequuntur cæterorum ſcriptorum teſtimonia.

IV. Dominus Ioannes Boterus, non minus elegans poëta, quam celebris hiſtoricus, in Veris deſcriptione, quam euulgauit M. DCVII. in octauo metro, quod Sereniſsimo Sabaudiæ Principi inſcripſit, in hanc ſententiam, eleganter de hoc flore canit:

Sed non conuenit relinquere GRANADILLAM,
Quæ eſt ſummus honos florum Mexicanorum,
In quo flore, ſi penitius inſpicias,
Videbis Chriſti tui aſperos dolores,
Columnam, plagas, & purpuream
Coronam; & hoc, quod in CRVCE *adoras,*
Coopertos ſanguine acutos clauos,
Et (ſi te Pietas promouet) funes, & nodos.
Vnde accidit, ô ſancte, & incomparabilis flos,
Quod in terra naſcaris, & climate tam remoto
Cum indignis tormentis, quæ tulit Redemptor
Ab infido populo, impio, inhumano?
Quàm eſſes melius in meo corde
Operâ ſummi Opificis?
Non timeres hibernum gelu,
Et viueret in me perpetuus zelus.

V. Etiam Ioſephus Acoſta Societatis IESV in hiſtoria morali, & naturali rerum Indicarum, mentionem facit floris GRANADILLAE; & expreſsè aſſerit in eodem reperiri omnia Paſsionis Chriſti myſteria, quæ hactenus hîc deſcripſimus, & probauimus.

Lib. 4. c. 27.

Non eſt itaque tam nouus, aut incognitus hic flos in Italia, vt iam debeat videri res mira, & incredibilis; niſi fortè iis, qui pauca viderunt, & pauca legerunt.

GRANADILLA *deniq; ocularis teſtibus eſt comprobata.*

At deueniamus tandem ad illos, qui hîc Bononiæ tum voce, tum ſcripto approbarunt, & confirmarunt iſthunc floſculum. Ipſa verò iſtorum teſtimonia ſunt apud Magiſtrum Simonem Palaſcam, qui pietatis affectu ductus, eã nô minore labore, quam diligentia procurauit, & collegit; ſicut etiam * carmina, quæ in præclariſsimam hanc plan-

Ii ſunt Viri illuſtres, Variarumq; nationum.

** Italica, Hiſpanica, & Latina.*

plantam à variis, doctiſsimisque ingeniis cuſa ſunt: proinde, tam il-la, quàm iſthæc, velut res caras, & precioſa cimelia penes ſe conſeruat.

R.P.F. Alphonſus de Armeria, Magiſter ſacræ Theologiæ, & Pro- *I.*
curator Generalis in Prouincia Mexici: & P.F. Hieronymus de Agoëro Prouinciæ Peruuij, ambo Ordinis Prædicatorum; poſteaquam hîc Bononiæ floris GRANADILLAE imaginem editam viderunt; ſub effigiem illius hæc verba chartæ ſubſcripſerunt: *Atteſtamur hanc eſſe veram effigiem floris Indici, qui aliqua inſignia Paſsionis* D.N.IESV CHRISTI *præ ſe fert: eſtq; frutex eius veluti hedera, quæ magna ædificia veſtit.* *II.*

Sub eandem effigiem, & in eadem charta lingua Hiſpanica ſcripſit Dn. Rogodinus de Mexico, & Dn. Emanuel de Figueroa, ſacerdos Luſitanus, quod non modò viderint iſthunc GRANADILLAE florem, ſed quod etiam frequenter GRANADILLAE fructum eſitarint. *III.* *IV.*

Id ipſum confirmarunt in charta alia, vbi item depictus fuit iſte flos P.D. Ioannes Romerus Societatis IESV, qui fuit aliquando in Peru Societatis eiuſdem Procurator: & P.D. Ioannes Martinus de Recaldi, qui fuit eiuſdem P. Romeri laborum, & itineris ſocius. *V.* *VI.*

Huic præterea veritati ſubſcripſerunt ibidē Dn. D. Diego di Leon Garauito, in ciuitate Lima natus, qui nunc Bononiæ habitat in Collegio Hiſpanico: quemadmodum etiam idem Latinis verſibus GRANADILLAE plantam explicuit. Et hic ipſe eſt, qui habet teſtimoniorum horum autographa. *VII.*

Reperta quoque eſt Epiſtola Dn. Thomæ Campanæ, qui Roma huc ſcribendo Bononiam ad Dominum Philippum Certanū ſuum amicum; eidem narrat, quo pacto in ædibus Illuſtriſs. Cardinalis de Montelparo verum, & natiuum GRANADILLAE florem viderit: qui quidem dono miſſus ſit PAVLO V. hodierno ſummo Pontifici, vti priore parte diximus. *VIII.* *IX.*

Etiam aliæ aliorum fide dignorum circumferuntur literæ, quæ hæc omnia confirmant, quæ huc uſque hîc diſſeruimus. *X.*

Præterea quot elogia, & encomia in hunc GRANADILLAE florem facta ſunt, tot ſunt euidentia teſtimonia, quòd GRANADILLAE flos ſibi conſtet, & reperiatur. Etenim omnes iſtæ ſcriptiones, aut ſubſcriptiones, ſunt vel eorum, qui hunc ipſum florem viderunt, vel certè habuerunt eam certitudinem, vt non ſolùm arbitrati ſint hunc florem fide, credituque dignum, ſed digniſsimum eſſe præconio. *XI.* *XII.*

IN ADMIRANDAM
PLANTAM INDICAM
GRANADILLAM,

Epigrammata.

AD GRANADILLAM PALI, VEL ARBORIS, QVIBVS SVSTENTETVR, INDIGAM.

FLORIS honos, & odos, fructuſq; vt gratia duret;
More hederæ reptans tollis in aſtra caput:
Néue CRVCIS penitus careas inſignibus; iſthanc
Arboris, aut pali CRVX tibi præſtat opem.
Capreolis ni te his affigas firmius: omnis
Oris honos, & odos, fructus & ipſe perit.
Tu, Vitis potius, quàm GRANADILLA vocêre:
Quæ vitam ingenio, Vitis vt ipſa, tenes.

AD EANDEM, DE CRVCE MYSTICA INSIGNIBVS PLVRIBVS in flore ipſius expreſſa.

GRANADILLA tibi CRVCIS haud inſignia deſunt:
Proſpiciunt paſſim myſtica SIGNA foras.
VVLNERA quina CRVCIS ſtipes directus in auras
Ambit: ſtant CLAVI deſuper, atque VEPRES.
Inſignem toties CRVCIS inde inſignibus eſſe
Te reputo; quota ſunt indita SIGNA CRVCIS.

Ad

Ad eandem GRANADILLAM, de ternis clauis.

Hiſtorici paſſim, Patres, Græci, atque Latini,
CRVCIS fuiſſe quattuor clauos, tenent.
GRANADILLA refers ternos, miracula tanta:
Miraculum ſed maius hoc, quod cernimus:
Tres LINGVAS potius CRVCIS in præconia natas:
Quod Titulus habuit inditus quondam CRVCI.
In CHRISTI laudes non ſufficit vnica LINGVA:
Sed multiplex ſit LINGVA LINGVIS cum ſonant.

In GRANADILLAE ſpinas.

Nunquid colligunt de ſpinis vuas. Matth. 7.

PLantarum eſt extra cenſum hac noua planta PeruuI.
De SPINIS VVAS colligit ipſa palàm.
Præcedunt hirtæ dulciſſima munera ſpinæ
Pomorum; atque noui nectaris ambroſiam.
Ambroſiam eſſe cupit quicunque, aut nectaris hauſta
Reſtaurare ſitim: ſit mora nulla via.
Horreat haud CRVCIS iſ ſpinas. mox melleus humor
Manabit rupto cortice, & vſque fluet.

In laneata folia.

TVrma inimica CRVCIS procul hinc, procul eſto profana.
PERFIDIAE ſpectas arma parata tuæ.
Quot folia hîc horrent ſummis mucronibus inſtar
Haſtarum: totidem tela vibrata vides.
PERFIDIA miſſâ, PIETAS ſuccedat auita.
LANCEA tunc ſolùm vulnus AMORIS aget.

In GRANADILLAE fructum.

PVnica mala tibi dant, GRANADILLA, priores
Iam pridem; cedunt eúmq; rubore loco.

Iam & hortulorum purpura non recreant:
Niues odoras liliorum nauſeo,
Nec lychnidum moueor venuſto ſanguine:
Non amplius fragrant roſarum flammula:
Regina florum omnesq́ proceres, iam mihi
Euiluerunt, præ nouo iſthoc germine
Et flore florum, qui coronam fert quam Amor
Meus cruore purpurauit proprio.
Flos ille clauos fert, Amorem qui meum
Transfixerant. flos iſte fert pyramidulam
Ad quam flagellis cæſus eſt Amor meus.
Flos hic ita vincit odore flores cæteros,
Vt totus eſſe naſus optet quiſpiam,
Meliore tractus quam Catullus halitu:
Flos hic ita formâ vincit omnes floſculos,
Vt totus optet eſſe ſpectator oculus.

Aliud.

Quid mirum è templis ſacra commigraſſe trophæa
Hortorumq́, velut iuſſa, ſubiſſe larem?
Eſt gratus templi hoc animus. crebrò hortulus antè
Ad templum flores iuſſerat ire ſuas.

In eandem.

Chriſte, tuas memori quis voluit mente dolores?
Mæſtam oculis, ſanguis cui tuus, excit aquam?
Heu paſsi quanta eſt obliuio Seruatoris!
Non niſi cum iurant, vulnera Chriſtus habet.
Quàm lallare ſciat, quoties iam peierat infans?
Quàm poſſit fari, fallere iam didicit.
Iam pueris omnis ludendi eſt nota ſupellex;
Sæpe tuam ignorant, ſaucie Chriſte, necem.
Sæpe prius norunt quo monte Falerna vehantur;
Quàm quo Soteris vulnera monte fluant.
Non dubio pictas diſtinguunt ordine chartas,
Quâ veniat victor luſus ab arte, ſciunt.
At cum fortè vident morientem in imagine Chriſtum,
Quem notet iſta reum picta tabella, rogant.

Hæc,

Hæc, facunda parens ſcelerum docet Hæreſis; omnem
E domibus frendens eiicit illa crucem.
Ad menſam pictas ſtatuit Veneresq́ Iouesq́,
Pro cruce, nec totâ, pars tenebroſa, domo eſt.
Ipſis iam dudum Crux templis exulat; illam
Hæreſis æternâ iuſsit abire fugâ.
Ergóne ſic toto Pietas euanuit orbe?
Sic Chriſti lateant ſymbola ſacra necis?
At nondum hac toto Pietas euanuit orbe,
Pulſam etſi toto hanc Hæreſis orbe velit.
E templis profugæ hoſpitium dedit Indica tellus;
Et templa atque hortos iuſsit adire ſuos.
Vt iuſſa eſt fecit, ſecum ſua ſymbola geſtans,
Floribus in mediis preſsit & illa pedem:
Hîc Chriſti ſertum, hîc clauos, notamq́ columnam,
Certo per flores ordine diſpoſuit.
Sic iam quæ renuunt homines in pectore ferre,
Hæc tergo flores, arma ſacrata ferunt.
Cumq́ homines nolint (patiens ô Chriſte!) dolores.
Flores incipiunt velle dolere tuos.

In eandem.

Quid tandem? vt video, templa immutantur in hortos;
Quasq́ olim templum, nunc habet hortus opes.
In templis Chriſti patientis imago refulget,
Lancea, crux, claui, flagra, columna, vepres.
Hæc eadem, admirata ſuis videt India in hortis,
E medio, ſacris creſcere flore, notis.
Quis cupida ſatis hoc dextra moderetur in horto?
Quis ſatis hoc oculos paſcere flore queat?
Hortus hic antiſtat cunctos pulcherrimus hortos
Tam pulchræ ſobolis qui pater eſſe poteſt.
Hunc ego Tarquinius regnem poſt regna per hortum,
Ceruicem florum non tamen enſe metam:
Illorum potius venerandum culmen adorem;
Floribus exequias his lego, Chriſte, tuas.

Cur apud Antipodas FLOS CRVCIS compareat?

POſt ſe Sol tenebras linquit: quâ cedit ab orâ
Vmbris opacans hanc tegit caligine.
Hinc ſyncera FIDES *retrahit ſua lumina: quare,*
Incumbit errorum grauis nox ocyus.
Partibus è noſtris ſenſim demigrat ad INDOS
GLORIA CRVCIS, *dum furit, & ardet* HAERESIS.
ANTIPODAS *ſed adit, qui grato pectore* LVCEM *hanc*
Captant, honorant mente pura, & ſimplice.
Eminet hinc inter ſylueſtria germina FLOS *hic*
CRVCIFER, *&* INDO GRATIAM *monſtrat* CRVCIS.

Ad PERVVIVM.

O *multum gratare tibi* PERVANA, *Deóque*
Grates innumeras nocte, diéque refer;
De radiis FIDEI, *tenebras hac ſola fugauit*
Perfidia, & Vitij: quæ tibi numen erant.
De CRVCE *vera* SALVS *en obtigit. En eadem* CRVX
Per florem hunc cedit PIGNORIS *vſque loco.*
CRIMEN *abundauit: ſucceſſit* GRATIA *maior.*
Hanc tibi adaugebunt culta TROPAEA CRVCIS.

In lanceam GRANADILLAE.

INgenioſe frutex, quid in hac miracula ſurgis?
Nutriſq; haſtatas per tua membra comas?
Vidi ego damnatis Hiſpanica caſtra ſariſſis,
Hac arma in gentem vertere ſæpe tuam.
Nec verò incaſſum. Ceſſit Victoria; quamque
Ferrea non potuit, lancea ſacra dedit.
Et tu degeneres porro vernabis in haſtas?
Deuictosq; Indos Indicus ipſe, voles?
Omen, iô, fauſtum. Cunctis dominabimur Indis;
Nam Patria in Ciues ſuggerit arma ſuos.

In eundem Florem.

ERgo formoſas cecidit Narciſſus in vndas,
Flosq́; ſtetit domino poſthumus iſte ſuo?
Heu cecidit funusq́; fuit. DECOR ipſe, DEVSq́;
Vltrò Letheas ipſe ſubiuit aquas.
Hos clauos, has ille cruces, hanc ille columnam,
Hos ſentes, haſtas, vulnera, flagra tulit.
Vidit, & ipſa ſuum fleuit Natura parentem,
Fleuit & in lachrymis florea gutta fuit.
Quam carpens Indus; Chriſtúmne negabimus? inquit,
Quem fletu eſt verum, terra profeſſa Deum.

In GRANADILLAE florem vnum, myſteriis quadruplicem.

VNam quis reputet florem; cui quattuor inſint
Miracula, & myſteria?
VVLNERA cum CLAVIS, COLVMELLA, CORONA renident:
Trophæa quattuor CRVCIS.

In eandem GRANADILLAM.

CVm deſunt homines, ſyluarum teſqua loquuntur;
Et fiunt Domini nuncia turba ſui:
Inſtrumenta necis planta oſtenduntur in vna;
Tantùm non viui ſanguinis vnda fluit.
Vlláne adhuc talem viderunt ſecula florem?
Nulláne adhuc conſtans, Ethnice, & Inde, fides?
Imò quia hîc creſcit magis & magis Hæreſis; illuc
Iam dudum viſa eſt dia migrare Fides.

Terra, ſubditis.

Conſiderate LILIA AGRI Matth. 6.

O mea progenies, noſtræ tam dedita glebæ;
Quæ graue tam rarò tollis in aſtra caput;
Vſque inhias rebusq́; nouis: en profero ab Orbe
Occiduo America germina mira tibi;

Inq́;

Inq; Orbem hunc mitto ſpectacula. Reſpice planta
Intentis oculis hac noua SIGNA pia.
Iam pridem PIETATIS HONOS elanguit omnis:
Dum vis Hæreſeon, & ſcelus omne furit:
Hac Peruanus ager mandat tibi lilia. florem
Carpe manu mentis. Languor abibit iners.

Nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnum (germen) ex iſtis.

GRANADILLA nouo SALOMONI debita ſolùm eſt.
Hæ Salomonis opes: hoc Salomonis opus.
Ille potens, ſapiensq; vnà Salomonius Heros,
Floribus haud potuit cultior eſſe ſoli.
Hic SALOMON parti cara inſtrumenta triumphi
Verus habet cultu, tam ſpecioſa, ſuo.

Faſciculus myrrhæ dilectus meus: inter vbera mea commorabitur. Cant. I.

FAſcis odorata diuinitus en mihi myrrha
Obtingit: cui non fellis amaror ineſt.
Ambroſia eſt, nectarq; merum quod cortice claudit
Hic Fructus: ſponſi ſunt ea dona mei.
Hanc mihi dat dotem dulciſſimus. Ergo agè faſcis
Myrrhee; cor tibi ſit nunc torus vſque meum.

Cur CRVCIS myſteria ex Orbe nouo in hoc noſtro tandem èmergant?

HAERESIS heu pridem conuicta eſt argumentis
Impia, mirandis prodigiiſq; CRVCIS.
Et quia de templis inſignia ſancta SALVTIS
Suſtulit, & peſſum, quà potis illa, dedit:
En ex Orbe nouo mittit Natura peregrè
Noſtro Orbi ſobolem, munera rara; ſuam.
GRANADILLA quidem parua es: ſed grandia præſtas.
Tu CRVCIS eloqueris, muta vel ipſa, decus.

Quot folia, & ſpinæ, aut fructus tibi ſtemmate pendent:
Tot lingua iaculis perfida corda feris.

De florentis GRANADILLAE roſeis, ſanguineisúe guttis, aut pallore croceo: qui duo colores cumprimis in eiuſdem flore permiſcentur.

PVniceas guttata notas pulcro ordine, picta
GRANADILLA noui vulneris inſtar habes:
Pallor & ora tenet croceus, pingitq; decorè.
Haud fruſtra in temet regnat vterque color.
Viuida tu CHRISTI certè es morientis imago.
Pet allis emoriens, emoriensq; rubet.

GRANADILLA.

Mihi abſit gloriari niſi in CRVCE.

FRondeo, floreſco, maturo ſtemmate fructum,
Debetur PALO GRATIA tota CRVCIS.

Alia in eundem florem Epigrammatia, Bononiæ primùm publicata.

SIc inculta, DEI meminit Naturà dolores,
Vt CRVCIS in multo ſtigmata flore notet:
Non deſunt claui, columella, & ſpinea ſerta;
Nec ſacer à quino vulnere ſanguis abeſt.
India, ne paucos dicas CRVCIS eſſe magiſtros:
Pullulat in medio ſponte magiſter agro.

II.

Abdita flore tuo fulgent myſteria, ſanguis,
Tela, ſalutifera vulnera, ſerta, CRVCIS.
India ſola ſolo tellus felicior omni;
En tibi muta canunt, quæ polus obſtupuit.

III.

Suſpice mira: nitent CRVX, vulnera, flore, columna,
Lancea, tres claui, ſpinea ſertà, cruor.

Obtexit

IV.

Obtexit rapidus Titan ſua lumina, CHRISTUM
Vidit vt ire pati, vidit vt ire mori.
Mox mæſtus florem tulit hunc, quem cerneret vſque,
Signatum Domini ſtigmata certa ſui.
India, ſtella olim populos conuertit Eoos;
Væ tibi, quam nec adhuc ſol mouet Occiduam.

V.

En mel, felq́; tibi flore hoc qui nuper ab Indis,
Per tot magna Italis æquora vectus adeſt:
Signa ſalutis habet; quale eſt mel? corripit Indos,
Fel quale? in verum pectora dura DEUM.
India, ſed IESU Patribus ſit mota fidelis:
Iam ſolum diro mel ſine felle fluit.

VI.

Arma, quibus mortem viciſti, Dæmona, culpam,
Illa refert patriis India, Chriſte, roſis.
Hîc clauos, vepres, videoq́; flagella, columnam,
Hîc multa aſperſi ſanguinis vnda rubet.
Haud natura opus hoc, diuini opus extat amoris,
Vt vigeant Mundo parta Trophæa Crucis.
Carpe roſam; poteris morientem cernere CHRISTUM:
Plange CRUCEM, inde leget mens mea mille roſas.

VII.

Quem cernis florem diſtinctum ſtigmate quino
Cuius tres clauos ſpinea ſerta ligant.
Tentarat fruſtra multis Natura diebus
Fingere; ſed longum ſedula luſit opus.
Aſt vbi manáuit CHRISTI de vulnere ſanguis,
Quale tulit germen, qualia ſigna dedit?
India iam victa es; iam CHRISTUM collige florem;
Dum CRUCIS arma paris; dum CRUCIS arma fones.

VIII.

Prouida pingebat vario Natura colore
Lilia cum rubeis, alba liguſtra, roſis:

Docta DEO talem cum nouit pingere florem,
Quem ſubitò admirans talia verba dedit:
Flos, vbi me proprios ſenſi ſuperaſſe labores,
Te colo, te veneror, dona ſacrata, DEI.

IX.

Cur ſanctum cæli numen, mundiq́; redemptor
Signat odoratis tormina dira roſis?
Supplicijs CHRISTI nil ſcilicet, acrius extat:
Fructibus illius gratius eſtque nihil.
Diſce pati, Chriſtumq́; ſequi per tormina; namq́;
Quod magis acre fuit, gratius illud erit.

X.

Non ſatis eſt tibi, CHRISTE, CRVCIS ſemel atra ſubire
Tormina? non ſatis eſt, te duce, parta ſalus?
Quæ mihi clara magis conſurgat Amoris imago?
Ecce nouam ex agro ſuſcitat ille CRVCEM.

XI.

Quid florem mirare hoſpes, ſtupidusq́; teneris,
Quod teneras frondes purpura rubra notet?
Quis pictor fuerit rogitas, qua pinxerit arte?
Ecqua docta dedit ſtigmata quina manus?
Quæris & artificem, per quem ſtetit alta columna,
Clauorum, & quæris, quid fuit artis opus?
Quis ſæuos vepres potuit finxiſſe coronæ,
Et nuda implicuit ſpinea ſerta manu.
Deſine mirari, Tellus nam corda virorum
In CHRISTVM noſcens frigida, ſic loquitur.
Negligit hæc CHRISTI veſtigia vera dolorum,
Nullaq́; mortalis ſigna pudoris habet.
Hæc ego cuncta videns, flores proferre laboro,
Qui ſtelen, clauos, ſpinea ſerta gerat.
Atq; coacta, mihi quoniam non debita ſumo,
In foliis proprij ſigna pudoris erunt.

FINIS.

ΠΟΔΟ-

ΠΟΔΟΝΙΠΤΡΟΝ

SEV

PEDILA-
VIVM.

Ex

SACRÆ SCRIPTVRÆ FONTIBVS, VETERVMQVE PATRVM & Hiſtoricorum limpidis fluentis.

Operâ

IACOBI GRETSERI
SOCIETATIS IESV
THEOLOGI.

INDEX CAPITVM HVIVS LIBRI.

Præfatiuncula.

Cap. I. *Mos lauandi peregrinorum pedes probatur ex capite XIIX. Geneſeos.*

II. *Probatur idem mos ex Capite XIX. XXIV. & XLIII. Geneſeos, & Cap. XIX. Iudicum.*

III. *Exempla nouæ legis partim ex ſacris litteris, partim aliunde.*

IV. *Mos lauandi pedes recens baptizatis.*

V. *Quando præceptum de lauandis pedibus implendum ſit? quæſtio S. Auguſtino à Ianuario propoſita, Epiſtol. 119.*

VI. *Morem lauandi pedes etiam ad hoſpites non peregrinos extenſum.*

VII. *Ethnicos quoq; peregrinorum & conuiuarum pedibus vel integris corporibus lauandis aquam præbuiſſe.*

VIII. *De lotione pedum, quæ deſcribitur Cap. XIII. Ioannis.*

IX *Cur Chriſtus diſcipulorum pedes lauerit?*

X. *Officium, ſeu Ordo lauandorum pedum.*

XI. *De modo & ritu, quo Imperator Conſtantinopolitanus quotannis feria quinta Maioris hebdomadis duodecim pauperibus pedes abluebat, ex Georgio Codino Curopalata de officiis aulæ Conſtantinopolitanæ & magnæ Eccleſiæ.*

XII. *Exempla aliorum Regum, Principum, & Epiſcoporum, qui Chriſti exemplum imitari voluerunt, tam die Cœna Domini, quàm aliis anni temporibus.*

XIII. *Exempla feminarum.*

XIV. *Quid de linteo, quo* CHRISTVS *lotos diſcipulorum pedes terſit, ſcribat Leo in Chronico Caſſinenſi, lib. 2. Cap. 34.*

XV. *Quid hæretici de Caremonia lauandi pedes ſentiant?*

XVI. *Quid Lucas Tudenſis de lotione pedum ſcripſerit?*

ΠΟΔΟ-

ΠΟΔΟΝΙΠΤΡΟΝ

SEV

PEDILAVIVM.

Præfatiuncula.

AD quatuor libros de ſacris peregrinationibus viſum eſt adiungere hoc ποδόνιπτρον, ſiue Pedilauium. *Etſi enim capite vltimo libri tertij de more lauandi pedes peregrinorum nonnihil attigimus, id tamen obiter duntaxat factum eſt. Nunc ex instituto præſtabitur. Oſtendemus ergò I. vetuſtiſsimum eſſe morem lauandi peregrinorum pedes. II. Eundem morem obſeruatum quoque in illis; qui erant hoſpites non quidem peregrè venientes; ſed inuitati ad Epulas; ad prandium, inquam, vel cœnam. III. Agemus de exemplo Chriſti, qui diſcipulorum pedes lauit. IV. Adferemus exempla eorum, qui Chriſti facto excitati pedibus fidelium, præſertim pauperum, lauandis ſtrenuam operam nauarunt.*

CAPVT PRIMVM.

Mos lauandi peregrinorum pedes probatur ex Cap. 18. Geneſeos.

ILLVSTRISSIMVM huius moris exemplum ſuppeditat nobis locus citatus Geneſeos; vbi de Abrahamo legimus. *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.*

S. Chryſoſt. Hom. 41. in Geneſin. Lege eundem Hom. 45. in Acta S. Ambroſium lib. 1. de Abraham cap. 5. & lib. 2. Offic. cap. 21.

Singula verba diligenter excutiamus, inquit S. Chryſoſtomus, *& aperto theſauro, omnes in eo latentes diuitias diſcamus,* &c. *Conſidera, oro, hic virtutem iuſti. Tantopere curabat hoſpitalitatem, vt nollet hoſpitum venationem cuiquam familiarium committere: ſed trecentos decem & octo habens vernaculos, homo ſenex, & nunc decrepitæ ætatis (centenarius enim erat.) apud ianuam ſedebat. Et hic quidem hoc opus faciebat; & neque ſenectus illi obſtaculo erat, neq; ſuæ quietis cura; neq; intus ſuper lectum recumbebat, ſed ad oſtium ſedebat. Alij autem ſæpe non ſolum tantum ſtudium non faciunt, ſed & planè diuerſum: & horum congreſſus fugiunt, & euitant, vt ne inuiti cogantur excipere. Verum non iuſtus ille ita agebat, ſed ſedebat ad ianuam meridie. Hoc valdè auget hoſpitalitatem, & virtutem iuſti.*

In meridie, inquit, *hoc faciebat. Meritò; quoniam ſciebat, quòd quibus eſt itineris neceſſitas, eo tempore maximè indigent cura: proinde tempus hoc, vt idoneū, elegit, & ſedens, eos, qui præteribant, venabatur, pro ſua quiete ducens miniſtrare viatoribus: & eos qui calore æſtuabant, ſub tectum introducere ſtudebat, non curiosè explorans eos, qui præteribant, neq; requirēs an noti vel ignoti eſſent. Neq; enim hoſpitalitatis fuerit diligenter ſingula perſcrutari, ſed omnibus ſimpliciter ſuam communicare benignitatem. Et quia hoſpitalitatis ſagenam extenderat, meruit & vniuerſitatis Dominum cum angelis ſuis ſuſcipere. Ea propter & Paulus dicebat:*

Hebr. 13.

Hoſpitalitatis ne obliuiſcamini. Per hanc enim quidam neſcij angelos exceperunt hoſpitio; *patriarcham inſinuans. Atq; ob hoc Chriſtus dicebat:*

Matth. 25.

Qui ſuſceperit vnū ex his minimis, in nomine meo, me ſuſcipit.

Audiamus dilecti, & hoſpitio excepturi, nunquam quæramus, quis, & vnde. Nam, ſi Patriarcha in rogando fuiſſet curioſus, fortè peccaſſet. Sed ſciebat, inquit, aduenientium dignitatem. Vnde hoc tibi liquet? Quomodo, ſi ita eſt, admirationem promeritus fuiſſet? Neq; enim ſic admirabile erat, ſi ſuſcipiendo hoſpites curioſius exploraſſet, qui eſſent, ſicut nunc, cum ignorans, quinā aduenerint, tanta alacritate, & honore accedit verbis ſuis quaſi ſeruus Domino, eis per verba tantum non vincula inijcit, & ſupplicat eis, vt ne renuant, neq; maximo damno afficiant. Sciebat enim quid faceret, quòd propter hoc magna cum voluptate fructum copioſum perciperet.

Sed audiamus ſcriptorem ipſum, vt videas in extrema ſenecta iuuenilem alacritatem,& ſenem quaſi iuuenem exultantem,& putantem ſe inueniſſe theſaurum quendam hoſpitum aduentum. Cumque eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum; quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui,& adorauit in terram.

Currit & volat ſenex, inquit S.Chryſoſtomus. *Vidit enim prædam, quam venabatur, & nulla infirmitatis ſuæ ratione habita, ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilq́; ruſticitatis, neque deſidiæ præ ſe tulit, ſed ipſe cucurrit: quaſi diceret, magnus theſaurus eſt, magna negociatio: per memetipſum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum. Et hæc faciebat ſenex, homines obſcuros,& viatores ſuſcipere ſe exiſtimans. Diſcamus & nos, ac imitemur iuſti virtutẽ. Nam, ſi hoc fecerimus, veriſimile eſt & nos aliquando eiuſmodi præda potiri, imò ſemper aſſequimur, ſi attendimus. Ob illam enim cauſſam miſericors Dominus, vt ne ad talem benignitatem ſegnes ſimus, neque curioſius eos, qui adueniunt, ſcrutemur, inquit:* qui acceperit vnum ex minimis in meo nomine, me accipit. *Ne igitur ad vilitatem venientis ſpectes, neque vilem ex his, quæ vides, putes; ſed cogita, quod per ipſum, Dominum ſuum ſuſcipias. Quando enim propter eius nomen miniſterium tuum in illum declaraueris, mercedem accipies, quaſi illum ſuſceperis. Eſto, ſit deſes, & negligentioris vitæ, qui tua fruitur benignitate, non ſit tibi eius rei cura; plena enim tibi, & perfecta merces dabitur, in domini honorem hoc facienti; & imitanti Patriarchæ virtutem.* Matth. 18.

Et vt vidit, inquit, accurrit in occurſum eis ab oſtio tabernaculi. *Benè & hoc verbum,* accurrit, *quadrat: vt diſcas, quòd quaſi ignoti affuerunt,& qui non ſua ſponte ad tabernaculum venerunt: propterea, ne ſubterfugeret eum ſpiritale lucrum, qui ſenuerat, incanuerat, & centenarius erat, accurrit, & curſu promptitudinem declarat.*

Et dixit Abraham: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum, ſed afferam pauxillum aquę,& lauentur pedes veſtri, ac requieſcite ſub arbore: ponamq́ue buccellam panis, & confortetur cor veſtrum, poſtea tranſibitis. *Verba iuſti ſublimia valde ſunt:* ait S.Chryſoſtomus. *Neq́; tantum miraculum, quod eos ſuſceperit, quantum, quòd cum tanta promptitudine, & ſtudio, & non attenta, aut ſua, aut aduenientium ætate. Nam fortaſsis videbantur ſibi iuuenes. Neque exiſtimauit ſufficere, vt verbis duntaxat adhortaretur; adorabat,* inquit, *ſuper terram: quaſi ſupplicans,& efficacem exhortationem afferens, vt ne putetur perfunctoriè adhortari. Et idcirco, diuina ſcriptura monſtrans nobis iuſti virtutem, inquit: adorabat ſuper terram, & geſtibus, & verbis magnum feruorem, egregiam animi humilitatem, ſummam hoſpitalitatem declarabat.*

Et cum adoraſſet, dicit: Domine, ſi inueni gratiam coram te, ne prætereas ſeruum tuum. *Quis pro dignitate laudauerit iuſtum hunc, vel quo pacto*

eum quis innumeris etiam labiis prædicet? Dicere enim, Domine; *eſt captantium beneuolentiam: dicere autem;* ſi inueni gratiam in oculis tuis; *hoc eſt admirabile; Beneficium, inquit, das, nō accipis. Verè enim eiuſmodi res hoſpitalitas eſt, quæ magis accipit, quàm dat, qui illam promptè, & alacriter exercet. At ne quis auditorum eleuans iuſti virtutem, exiſtimet, quòd conſcius, quales fuerint præſentes, hæc locutus ſit: neque enim magnum quiddam tale fuiſſet, ſi ſciens dixiſſet, ſed admirabile, & rarum eſt, quòd quaſi homines alloquens, talia verba loquitur.*

Ne admireris autem, quòd cum tres exceperit, ad vnum ſe conuerterit iuſtus, dicens, Domine. *Fortaſsis enim vnus glorioſior cæteris apparebat, ad quem exhortationem ſuam conuertit. Deinde autem cùm progreditur, communem facit ſermonem, & inquit:* Sumatur aqua, & lauent pedes veſtros: & iterum refrigerabimini ſub arbore, & comedetis panem, & poſtea tranſibitis, cuius gratia declinaſtis ad puerum veſtrum. *Vides, quo modo ignorans qui ſint, quaſi hominibus loquens tranſeuntibus, ita communi exhortatione vtitur, & ſemel, atque iterum ſeruum ſe vocans. Et vide, quo modo prædicit & menſæ ſuæ tenuitatem, imò lautitias. Sumatur, inquit, aqua, & lauent pedes veſtros, & refrigerabimini ſub arbore. Quia enim fatigati eſtis, & multum tuliſtis æſtum, ideo oro, ne prætereatis ſeruum veſtrum. Num magnum quiddam eſt, quod ego exhibeo? aquam vobis ſolùm præſtare poſſum, quâ loti pedes veſtri, ſub arbore fatigationem deponatis. Inſuper & menſæ dicit ſpeciem. Ne putetis, inquit, me ſplendida vobis appoſiturum, vel condimentorum diuerſitatem, vel aſſatorum varietatem. Panem comedetis, & ſic tranſibitis, cuius gratia declinaſtis ad ſeruum veſtrum. Vidiſti, quomodo variis vtitur modis, precibus vincere prætereuntes, & geſtibus, & verbis, & operibus attrahere eos volens. Primùm enim, inquit,* adorauit. *deinde,* dominos *vocat. Poſtea dicit, quæ illis exhibiturus ſit, extenuans res, & nihili eas vocans. Aquam enim tepidam, inquit, habeo, ad lauandos pedes, & panem, & tectum ab arbore. Ne parui feceritis meum tabernaculum, ne deſpexeritis ſenectutem, ne renuatis ad exhortationem meam. ſcio quantum fertis laborem, coniecto, quantus ſit caloris æſtus, & propterea paululum vos refrigerare volo.* Hæc eleganter ſanctus Chryſoſtomus.

S. Aug. ſerm. 70. de Temp. Non diſsimiliter S. Auguſtinus. *Diſcite fratres à B. Abraham hoſpites libenter excipere, pedes eorum cum humilitate, & pietate lauare. Lauate, inquam, ſanctorum peregrinantium pedes, ne fortè in illis remaneat puluis, quem ad iudicium veſtrum poſſint, de pedibus ſuis excutere. ſic enim in Euangelio dixit:* *Matth. 10.* Qui non ſuſceperit vos, exeuntes excutite puluerem de pedibus veſtris. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicij, quàm illi ciuitati. *Hoc ergo prauidebat in ſpiritu Abraham, & ideo volebat præuenire, & lauare pedes, ne quid fortè pulueris reſideret, quod ad teſtimonium incredulitatis excuſſum, poſſet in diem iudicij reſeruari. Propterea ergo dicit ſapiens Abraham.* Accipiam aquam, & lauentur pedes veſtri. *Diligenter hæc audite fratres,*

ſratres, qui hoſpitalitatem exercere non vultis: qui hoſpitem, velut hoſtem, excipitis. Ecce, B. Abraham dum homines feruenter exciperet, ipſum Deum ſuſcipere hoſpitalitatis contemplatione promeruit. Hoc etiam in Euangelio Chriſtus confirmauit dicens: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. *Nolite ergo negligere peregrinos, ne fortè, quem non excepiſtis, ipſe ſit Chriſtus.* *Matth. 25.*

Ex his S. Chryſoſtomi & S. Auguſtini verbis habemus tribus illis viris, qui ad Abrahamum diuerterunt aquam ad pedes lauandos promiſſam; & poſtea ſine dubio exhibitam, & cauſſam huius aquæ; nimirum, vt laſsitudinem depellerent; ablutoque puluere, quem ex itinere contraxerant, ſuauius ſub arbore quieſcerent, & corpora iucundius curarent. Etſi autem ſcripturę verba tam clarè non indicant, num Abraham aquam duntaxat obtulerit, vt ipſi ſibimet pedes lauarent; an verò etiam famulos, qui peregrinorum pedes lauarent, conſtituerit; dubitare tamen haud licet, hoc poſterius factum eſſe; licet enim aliquando ſolummodo aqua peregrinis præberetur, vt pedes ſibi lauarent; plenius tamen & perfectius hoſpitalitatis officium eſt, quando conducitur, qui peregrino pedes abluat: & ſatis indicant S. Chryſoſtomus & S. Auguſtinus non ipſos peregrinos ſibimet ipſis pedes lauiſſe, ſed alium vel alios fuiſſe; qui hoc charitatis officium præſtaret, & fortè ipſe Abraham pedes eorum lauit, certè hoc ab ipſius ſumma alacritate, & de hoſpitibus bene merendi promptiſsima voluntate alienum non erat: quæ perſpicuè etiam apparet ex his ſacræ Scripturæ verbis. *Feſtinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei. Accelera, tria ſata ſimilæ commiſce, & fac ſubcinericeos panes. Ipſe verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum deditque puero, qui feſtinauit, & coxit illum. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis, &c.* Ecce vbique Abraham primas ſedulitatis ac in hoſpites humanitatis obtinet, vbique ipſe currit & feſtinat, vbique inſtat & vrget, vt alij quoque currant & feſtinent. *Per ſemetipſum omnia facit & apponit,* inquit S. Chryſoſtomus. *Et neque dignum ſemetipſum cenſuit, qui conſideret eis, ſed illis comedentibus adſtabat ipſe ſub arbore. O magnitudinem hoſpitalitatis ô humilitatis excellentiam. ô mentem oppido piam. Adſtabat centenarius comedentibus illis. Mihi videtur tunc præ gaudio, alacritateque, multa imbecillitate factus ſuperior, & robur quoddam accepiſſe. ſæpe enim conſueuit alacritas animæ, ſi quando roborata fuerit, vincere corporis imbecillitatem. Adſtitit igitur Patriarcha quaſi famulus, ſummum honorem ſuum exiſtimans, quòd præſentibus miniſtraret. & ſolaretur itineris eorum laborem. Vidiſti, quanta iuſti hoſpitalitas? omnia illa habere oportet hoſpitio excipientem, alacritatem feſtiuitatem & liberalitatem,* inquit S. Chryſoſtomus Homilia 45 in Acta Apoſtolorum. *Hoſpitis anima erubeſcit & confunditur; ſi non cum excellentia decla-*

retur

retur gaudium, abalienatur, & mox deterius fuerit, quam non eſſe ſuſceptam, ſic eſſe ſuſceptam.

Conſidera, inquit idem S. Pater, *quomodo & Saram venationis ſociam facit, & quo modo eam erudit, vt ſuam imitetur virtutem. Etenim & illam incitat, ne officio ſuo negligenter fungatur, ſed acceleret. Magnam, inquit, negociationem aſſecuti ſumus; ne perdamus theſaurum. Accelera, & miſce tres menſuras ſimilæ. Quoniam ſciebat boni operis magnitudinem, volebat vitæ ſuæ ſociam etiam retribuendarum mercedum eſſe participem. Quare enim, dic mihi, nulli famularum hoc præcepit, ſed mulieri tam prouectæ ætatis? Nonaginta enim annorum erat. Non rebellat mandato Sara, ſed parem alacritatem etiam affert.*

CAPVT II.

Probatur idem mos ex cap. 19. 24. 43. Geneſeos, & cap. 19. Iudicum.

Gen.19. PRIORE loco hæc leguntur de Loth, vt ſanguine ſic & hoſpitalitatis gloria cum Abrahamo coniuncto. *Veneruntq́; duo Angeli Sodomam veſpere, ſedente Loth in foribus ciuitatis. Qui, cùm vidiſſet eos, ſurrexit, & iuit obuiam eis: adorauitq́ue pronus in terram, & dixit: Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete ibi: lauate pedes veſtros, & manè proficiſcemini in viam veſtram. Qui dixerunt: Minimè, ſed in platea manebimus. Compulit illos opidò, vt diuerterent ad eum: ingreſſisq́; domum illius, fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.*

S. Chryſ. Hom. 43 in Gen. In quæ verba S. Chryſoſtomus: *Quia tanta Sanctorum in diuina ſcriptura fragrantia eſt, hodie Loth bonum odorem inquiramus, vt ſciamus liquidò, quòd iuſtum hunc in tantum virtutis apicem euexit Patriarchæ conſuetudo, quæ effecit, vt veſtigia illius ſequeretur, & peculiariter hoſpitalitatem exerceret, &c. Et vide diligentiam, & obſeruationem ſacræ Scripturæ, quomodo & tempus nobis declararit, quando venerint eò. dicit enim,* Veſperi. *Et quare tempus ſignificauit? & quare ad veſperam eò venerunt? vt oſtēderetur nobis magna Loth hoſpitalitas. ſicut enim Patriarcha ſedens tempore meridiei, obſeruabat aduentantes, & venationem ſuam exercebat, & occurrebat, & magno gaudio viatores ſuſcipiebat; ita ſimili modo & iuſtus ille, quoniam ſciebat peruerſitatem eorum, qui in Sodomis habitabant, neq; veſperi diſcedebat, ſed manebat, necubi theſaurus aliquis ipſi elaberetur, & vt hoſpitalitatis fructum decerpere poſſet. Verè admirari licet vehementer iuſti huius virtutem, quòd conuerſans in medio tam impiorum, non ſolùm non fuit inde negligentior factus: ſed & maiorem virtutem præ ſe tulit: & cum omnes, vt ita dicam, in præceps ruerent, ipſe ſolus in tanta multitudine rectam ambulauit viam, &c.*

Vt autem vidit, *inquit,* ſurrexit in occurſum illis. *Audiant hi, qui aduenas*

venas orantes, & ſupplicantes, & ſedulò ſe coram eis humiliantes, multa inhumanitate auerſantur, & repellunt. Vide enim, quo modo iuſtus ille non exſpectauit donec ad ſe venirent, ſed, ſicut Patriarcha, ignorans qui eſſent hoſpites, & ſuſpicans viatores quoſdam eſſe, quaſi præ gaudio ſaltabat; quia, aſſecutus erat quæſitam prædam, & non aberrarat ab eo, quod cupiebat.

Vt autem vidit, *inquit*, exſurrexit in occurſum illis, & adorabat facie ſuper terram. *Gratias egit Deo, quod dignatus eſſet eum prætereuntium ſuſceptione. Animaduerte illius animæ virtutem; magnum Dei beneficium arbitratur, incidiſſe in hos viros, vt ſuſceptis illis, ſuum perficeret deſiderium. Iam, ne dixeris, quòd angeli fuerint: ſed hoc potius tecum expende, quòd iuſtus ille nondum hoc ſciebat, ſed quaſi homines ignotos, & prætereuntes ſuſcipiens, ita afficiebatur.*

Et dixit; Ecce Domini, diuertite in domum pueri veſtri, & manete, & lauate pedes veſtros, & diluculo facto proficiſcemini viam veſtram. *Sufficiunt hæc verba ad detegendam virtutem, quæ in pectore iuſti latebat. Et quid mirum, ſi quis obſtupeſcat eximiam humilitatem, & promptitudinem, quam in hoſpitalitate declarabat?* Ecce, *inquit*, Domini diuertite in domum pueri veſtri. *Et illos dominos vocat, & ſe ipſum ſeruum vocat. Audiamus hæc verba, & diſcamus. Glorioſus, nobilis, tam abundans, tantus paterfamilias; viatores, hoſpites, ignotos, vt apparebant, viles, & nihil ad ſe attinentes,* dominos *nominat, & inquit:* Diuertite in domum pueri veſtri, & quieſcite. Veſpera enim, *inquit*, ingruit. *Morem mihi gerite, & laſſitudinem diei ſolemini in domum ſerui veſtri diuertentes. Nunquid magnum vobis promitto? lauate pedes veſtros itinere longo fatigatos, & facto diluculo, pergetis in viam veſtram. Hanc gratiam donate mihi, & petitionem meam ne fruſtremini.*

Geneſis 24. hæc leguntur de ſeruo Abrahæ, miſſo in Meſopotamiam, vt Rebeccam adduceret futuram Iſaaco vxorem. *Et introduxit* (Rebecca) *eum* (famulum Abrahami) *in hoſpitium: ac deſtrauit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo.*

Vide, inquit S. Chryſoſtomus, *quomodo hi, qui adhuc in errore tenebantur,* (erant enim Meſopotameni iſti idololatræ) *magnam hoſpitalitatis curam agebant. Et dedit aquam, vt lauarentur pedes eius, & pedes virorum qui cum eo erant.* Nam in Hebræo, vt notat Caietanus, & ex eo Lipomanus in Catena, non eſt *pedes camelorum*, ſed, *pedes eius*, hoc eſt, ſerui Abrahæ. Sic & ſeptuaginta Interpretes reddiderunt, & paraphraſtes Chaldæus. S. Chryſ. Hom. 49. in Gen.

Gen. 43. de œconomo ſeu Diſpenſatore domus Ioſeph, & de fratribus Ioſeph hæc prodita ſunt. *Et introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes ſuos, deditque pabulum aſinis eorum.* In quæ verba Lipomannus. *Quod aquam pro abluendis pedibus attulit, pietatem hanc à S. Ioſeph didicit diſpenſator, is enim Abraham, Loth, Iſaac cæteroſque bonos auos ſuos Hebræos, circa*

pietatis opera lotionemque pedum aduenarum atque hoſpitum, maximè intentos fuiſſe nouerat, ideoq; & domeſticos ſuos eadem agere docuerat. Hæc ille. Sed credibilius eſt id factum ex conſuetudine gentis; nam & Ethnicis aquam peregrinorum pedibus, vel etiam integris corporibus abluendis præbere, vſitatum fuit, vt poſtea allatis exemplis monſtrabitur.

Iudicum cap. 19. de Leuita ex Bethlehem cum vxore ſua & famulo profecto, & ſub crepuſculum in Gabaa delato; nec qui hoſpitio excipere vellet, reperto, præter vnum; hæc legimus: *Introduxitq; eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit, ac poſtquam lauerunt pedes ſuos, recepit eos in conuiuium.* Prius ergo lauabant pedes quàm epulis accumberent: vt non tantùm ex hoc, ſed & ex antecedentibus exemplis manifeſtum euadit. Hinc etiam Dauid 2. Reg. 11. Vriæ peregrè aduenienti dixit. *Vade in domum tuam, & laua pedes tuos.* Et Abigail 1. Reg. 25. cum peteretur à Dauide in vxorem: *adorauit prona in terram, & ait: Ecce famula tua ſit in ancillam, vt lauet pedes ſeruorum Domini mei.*

CAPVT III.

Exempla noua legis partim ex ſacris literis, partim aliunde.

INTER conditiones, quas Apoſtolus Paulus à vidua in Diaconiſſam eligenda exigi iubet; non eſt poſtrema iſthæc: *Si hoſpitio recepit; ſi Sanctorum pedes lauit.*

S. Chryſ. Hom. 14. in epiſt. 1. ad Tim.

Sanctorum enim pedes virtutis eximiæ ſunt, inquit S. Chryſoſtomus, *idcirco etiam cruciant, quando pedum excutiunt puluerem. Longè honorabilius eſt illorum pedes, quàm aliorum caput attingere: nam, quæſo, ſi ſtatuarum pedes plerique tenent, quòd effigiem habeant regiam; tu illius, qui Chriſtum ipſum in ſe habet, pedes non tenebis, vt ſaluus fias? Sancti ſunt pedes, etiamſi viles ſunt: at verò profanorum, ne caput quidem honorabile. Certè ſi Sanctorum oportet lauare pedes, multò magis & pecunias illis porrigere manu.*

Theod. in cap. 5. epiſt. 1 ad Tim.
Act. 16.
Rom. 16.

Si Sanctorum pedes lauit. Hoc enim olim faciebant, inquit Theodoretus. *Ita enim Lydia ipſum Apoſtolum, & eos, qui cum ipſo erant, ſuſcepit. Ita etiam dixit de Phœbe. Adſuit mihi, & multis aliis. Vides, vt peregrinorum ſuſceptionem, non ſimplicem humanitatem, ſed præcipuo ſtudio, & tota animi voluntate, ſummáque alacritate & deuotione, tanquam reuera ipſi Chriſto exhibitam ſignet. Neq; enim permittit hæc in ſanctos obſequia ancillis imperari: ſed ipſas per ſe illis miniſterium ferre iubet. Si enim ego,* inquit, *laui diſcipulorum pedes, multò magis vos debetis inuicem facere, &c. Nos ipſos cuncta inferre oportet officia, vt ipſi ſanctificari mereamur, vt benedicantur manus noſtræ.*

S.Chry-

S.Chryſoſtomus ſerm.de eleemoſyna & hoſpitalitate Tom.5. *Neque hi*(peregrini) *ſolùm erunt ſuſcipiendi, ſed & eorum abluendi ſunt pedes.*

Tertullianus lib.2. ad Vxorem, diſſuadet Chriſtianæ fœminæ, ne cum Ethnico matrimonium contrahat cum alias ob cauſſas, tum quia maritus talis non ſit paſſurus, vt *Sanctorum pedibus aquam offerat.*

S.Spiridionis Epiſcopi in Cypro hoſpitalitatem his verbis celebrat Sozomenus *Quàm humaniter & benignè hoſpites excipere ſoleret, hinc cognoſcere poterimus. Cùm iam inſtaret Quadrageſima, ex itinere quidam fortè ad eum venit illis ipſis diebus, in quibus vnà cum ſuis ieiunium agere conſueuerat, & ad ſtatutum diem cibum deguſtare, cum, diebus interpoſitis, ſine cibo omnino remanſiſſet; cumq; Spiridion videret hoſpitem valdè de via feſſum: Age, inquit, ô filia, primùm viri huius pedes laua, deinde cibum ei appone, &c.* Sozom. lib.1. Hiſt. cap.11.

S.Athanaſius epiſt. ad Solitariam vitam agentes, enumerans immania & tyrannica Arianorum facinora, præter cætera, ita ſcribit. *Cum populi pro Eutychio* (Subdiacono, quem Ariani ad ſupplicium rapuerant) *precibus ſuis ſuppliciter intercederent, reiectis populorum precibus, quatuor pro eo bonos & ingenuos viros, & inter eos Hermian* LAVANTEM PEDES PEREGRINORVM *arripi iuſſerunt, quos Dux multis plagis conciſos in carcerem coniecit.*

Nec ferendum hoc loco Centuriatorum mendacium aſſerẽtium Cent.4.cap.7.col.557. *Eccleſiam Romanam non conſueuiſſe lauare pedes;* & intelligunt de peregrinis; quaſi Romana Eccleſia peregrinis non lauerit pedes, citantque Ambroſium lib.3. de Sacramentis cap.1. cum tamen S. Ambroſius non generatim de omni lotione pedum agat; ſed de illa duntaxat, quæ ſtatim acceptum baptiſmum ſequebatur: nam inter cæteros ritus, qui baptiſmum immediatè comitabantur, erat &, iſte: vt pedes baptizatorum ab Epiſcopo lauarentur; & hunc morem non habebat Romana Eccleſia, teſte S. Ambroſio, de quo plura capite ſequenti.

Eadem conſuetudo hoſpites benignè & amicè excipiendi, eorumq; pedes lauandi tranſiit ad Monaſtici ordinis profeſſores. S.Benedictus in Regula cap.53. *Omnes ſuperuenientes hoſpites, tanquam Chriſtus ſuſcipiantur, quia ipſe dicturus eſt: Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me. Matth.25.&c. Vt ergo nunciatus fuerit hoſpes, occurratur ei à Priore, vel à fratribus cum omni officio charitatis, & primitus, orent pariter, & ſic ſibi ſocientur in pace. Quod pacis oſculum non prius offeratur, niſi oratione præmiſſa, propter illuſiones Diabolicas, &c. Aquam in manibus Abbas hoſpitibus det: pedes autem hoſpitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta congregatio lauet: quibus lotis hunc verſum dicant;* ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio Templi tui. Pſal.37.

B.Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in Regula Monachorum ca.22.

Licet omnibus hoſpitalitatis bonum cum gratia oporteat referri: vberior tamen Monachis deferenda eſt honorificentia hoſpitalitatis. Præbeantur eis habitacula, lauentur eorum pedes, vt præceptum Dominicum impleatur; congruis etiam ſumptibus eiſdem humanitatis gratia præbeatur.

In ſtatutis Barcinonenſibus Ordinis Minorum cap. 4. §. 5. de Hoſpitibus hæc decernuntur. *Fratres omnes hoſpites recipiant in viſceribus charitatis maximè venientes de extraneis partibus ac remotis, &c. Vt verò fratres omnes hoſpites maiora charitatis indicia experiantur, ordinamus, vt eorum pedes lauentur, &c.* Plura exempla ſuo loco adferentur.

CAPVT IV.

Mos lauandi pedes recens baptizatis.

S. Ambr lib. 3. de Sacram. cap. 1.

CONSVETVDINIS huius teſtem habemus S. Ambroſium. *Aſcendiſti de fonte. Quid ſecutum eſt? Audiſti lectionem.* (Proculdubio illam de lotione pedum Ioan. 13.) ſuccinctus eſt ſummus ſacerdos (hoc eſt, Epiſcopus) *licet enim & presbyteri fecerint, tamē exordium miniſterij à ſummo eſt ſacerdote: ſuccinctus, inquam, ſummus ſacerdos pedes tibi lauit. Quid iſtud myſterium? Audiſti vtique quia Dominus cum lauiſſet aliis pedes, venit ad Petrum, & ait illi Petrus: Tu mihi lauas pedes? Hoc eſt, tu Dominus ſeruo lauas pedes? &c. Niſi lauero, inquit, tibi pedes, non habebis mecum partem. Non ignoramus, quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, vt pedes lauet; (nimirum ſtatim à baptiſmo.) Vide ergo, ne fortè propter multitudinem declinauit. Sunt tamen, qui dicant & excuſare conentur, quia hoc in miniſterio faciendum eſt, non in baptiſmate, non in regeneratione, ſed quaſi hoſpiti pedes lauandi ſunt: Aliud eſt humilitatis, aliud ſanctificationis.*

Romana ergò Eccleſia peregrinis & hoſpitibus pedes lauat, tametſi non recens baptizatis, & iam iam ex ſacro fonte aſcendentibus; vt Mediolani, & alibi fiebat. cuius conſuetudinis fundum ſtatuit ſanctus Ambroſius in illo Chriſti dicto: *Qui lauit, non neceſſe habet iterum lauare, niſi vt ſolos pedes lauet. Quare hoc? Quia in baptiſmate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam ſupplantatus à Diabolo eſt, & venenum ei effuſum eſt ſuper pedes, ideo lauas pedes, vt in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, maius ſubſidium ſanctificationis accedat, quo poſtea te ſupplantare non poſſit. Lauas ergo pedes, vt laues venena ſerpentis. Ad humilitatem quoque proficiat, vt in myſterio non erubeſcamus, quod non dedignamur in obſequio;* hoc eſt, actio iſta lauandi recens baptizatorum pedes, eſt etiam exercitatio humilitatis, *vt in myſterio*, hoc eſt, quando baptiſmum adminiſtramus, libenter exequamur; quod promptè præſtamus, cum peregrinos & hoſpites excipi-

excipimus. Par ergò eſt, vt ſicut his *lauipedij* beneficium hilariter impertiamus: Sic & in recens baptizatos idem humanitatis officium alacriter conferamus: tametſi S. Ambroſius exiſtimat lotionem pedum poſt baptiſma, etiam ſanctificationem largiri. Habes igitur in his S. Ambroſij dictis aliud pedilauij ad imitationem illius in vltima Cœna inſtituti exemplum.

In Cócilio Eliberitano cap. 48. hoc decretum ſanciuerunt patres. *Emendare placuit, vt hi, qui baptizantur, vt fieri ſolebat, nummos in conchã non immittant, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio diſtrahere videatur. Neq; pedes eorum lauandi ſunt à Sacerdotibus, ſed à Clericis.* Non abrogat hunc morem hæc Synodus, ſed lauandi officium à Sacerdotibus ad minores Clericos transfert. Gratianus I. q. 1. cap. 103. idem Concilij Eliberitani decretum citat; vbi Gloſſa; *Mediolanenſes primò aqua conſecrata puerorum pedes lauant, & poſtea baptizant.* (non eſt ita; primò baptizabant, poſtea pedes lauabant, non tantum puerorum, ſed ſimpliciter omnium.) *Et non peccant, quia auctoritate Ambroſij hoc faciunt.* Imò hæc conſuetudo ante S. Ambroſium in Mediolanenſi Eccleſia erat, vt manifeſtè liquet ex recitatis D. Ambroſij verbis.

CAPVT V.

Quando præceptum de lauandis pedibus implendum ſit, quæſtio S. Auguſtino à Ianuario propoſita, Epiſt. 119.

AD hanc quæſtionem Ianuarij reſpondit S. Auguſtinus; primum generatim; poſtea magis ſpeciatim. Prior reſponſio eſt iſta. *Miror ſanè quid ita volueris, vt de iis, quæ variè per diuerſa loca obſeruantur, tibi aliqua conſcriberem; cum & non ſit neceſſarium, & vna in his ſaluberrima regula retinenda ſit; vt, quæ non ſunt contra fidem, neq; contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunq; inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum ſit.* Hæc doctiſsimus ſimul & in ſententia pronuncianda modeſtiſsimus, & conſuetudini Eccleſiarum plurimum tribuere ſolitus Auguſtinus.

Reſponſio magis ſpecialis eſt iſta. *De lauandis pedibus cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendauerit, ſicut ipſe conſequenter expoſuit, quæſitum eſt, quo nam tempore potiſſimum*

res tanta etiam facto doceretur; & illud tempus occurreret, quo ipſa commendatio religioſius inhæreret, ſed, ne ad ipſum Sacramentum baptiſmi videretur pertinere, multi hoc in conſuetudinem recipere voluerunt. Nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitauerunt. Aliqui autem, vt hoc ſacratiore tempore commendaretur, & à baptiſmi Sacramento diſtinguerent, vel diem tertium octauarum, quia ternarius numerus in multis Sacramentis maximè excellit; vel etiam ipſum octauum, vt hoc facerent, elegerunt.

Ex his S. Auguſtini verbis ſatis apparet non omnibus probatum fuiſſe morem, vt baptizatis ſtatim à baptiſmo pedes lauarentur. Quod ſatis etiam perſpicuè ex S. Ambroſij verbis liquet: idque propterea, ne ceremonia hæc lauandorum pedū ad baptiſmi neceſsitatem ſpectare videretur. Per diem *tertium Octauarum*, cuius hîc mentio, intelligitur dies tertius à baptiſmo ſuſcepto. Nam recens baptizati Octauam celebrabant. De qua itidem intelligitur, quod paulò poſt S. Auguſtinus ſubiungit. *Hoc nimis doleo; quia multa, quæ in diuinis libris ſaluberrima præcepta ſunt, minus curantur, & tam multis præſumptionibus, ſic plena ſunt omnia, vt grauius corripiatur qui per Octauas ſuas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentia ſepellerit.* Eadem ſuperſtitio adhuc hæret apud nonnullos, qui poſt Euchariſtiam acceptam nefas eſſe credunt vel balneo vti, vel nudo pede terram tangere, niſi expleto octiduo.

Porrò in prædicta ſua reſponſione nihil dixit aut innuit S. Auguſtinus de more lauandi pedes feria quinta Maioris Hebdomadæ, ſiue in Cœna Domini, qui mos nunc obtinet in Canonicorum Collegiis & monaſteriis. Quo die repræſentatur id, quod à Chriſto in vltima cœna geſtum. Meminit tamen S. Auguſtinus alterius conſuetudinis, dicta feria quinta apud multos receptæ, huius nimirum, quòd plerique eo die balneis vterentur. Cauſſam exquirens S. Auguſtinus Epiſt. 118. ad Ianuarium ita ſcribit. *Si autem quæris, cur etiam lauandi mos ortus ſit. Nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit; niſi quia baptizandorum corpora per obſeruationem quadrageſimæ ſordidata, cum offenſione ſenſus ad Fontem venirent, niſi aliqua die lauarentur. Iſtum autem diem potius ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniuerſariè celebratur. Et quia conceſſum eſt hoc, baptiſmum accepturis, multi cum his lauare voluerunt, ieiuniumque relaxare.*

Sic in Hiſpania feſto Palmarum lauabantur capita infantum, qui vngendi erant, *ne forte obſeruatione Quadrageſimæ ſordidata, ad vnctionem accederent*, inquit Iſidorus lib. 1. de Offic. Eccleſiaſt. cap. 28. *Vulgus autem ideo eum diem* Capitilauium *vocat*, ait idem Iſidorus: qui loqui videtur vel de vnctione in vertice ſtatim poſt baptiſmum; vel de vnctione

Con-

Confirmationis in fronte. Eadem habet Alcuinus lib. de diuinis officiis.

Sed cur tam Auguſt. quàm Iſidorus dicit; corpora ſeu capita per *obſeruationem Quadrageſimæ ſordidata*, per lotionẽ fuiſſe purgata, Feria V. Cœnæ Domini, vel in feſto Palmarum? Ideo, quia Chriſtiani in Quadrageſima & aliis ieiunij temporibus à balneis abſtinebant; hinc, ſi ieiunium productius erat, vt eſt Quadrageſimale, ſordes contrahere non iniuria cenſebantur; quas Feria V. vltimæ ſeptimanæ, vel in feſto Palmarum per balneum vel *Capitilauium* deponebant, ne in Vigilia Paſchatis, quando baptizabantur, vel vngebantur, præſentes offenderent. Et quia hoc Feria V. faciebant, Catechumeni mox baptizandi, accidit, vt plures etiam ex baptizatis ſe illis eo die adiungerent, & ieiunium relaxarent ſeu ſoluerent; vt ait S. Auguſtinus.

Et quia in hoc argumento verſamur, addamus & hoc; tempore S. Gregorij Magni exſtitiſſe, qui dicerent, nefas eſſe die Dominico lauare, ſeu balneo vti. De quibus ipſemet S. Gregorius; lib. 11. Epiſt. 3. *Aliud quoq; ad me perlatum eſt, vobis à peruerſis hominibus eſſe prædicatum, vt dominicarum die nullus debeat lauari. Et quidem ſi pro luxuria ac voluptate quis lauari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro neceſſitate corporis, hoc nec dominicorum die prohibemus. Scriptum namq; eſt: nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam. Et rurſum ſcriptum eſt: Carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Qui igitur carnis curam in concupiſcentiis fieri probibet, profecto in neceſſitatibus concedit. Nam ſi dominicorum die corpus lauare peccatum eſt, lauari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hac in corporis parte conceditur, cur hoc exigente neceſſitate toti corpori negatur? Dominicorum verò die à labore terreno ceſſandum eſt, atq; omnimodo orationibus inſiſtendum, vt ſi quid negligentiæ per ſex dies agitur, per diem reſurrectionis dominicæ precibus expietur.*

Inter quæſtiones à Marco Patriarcha Alexandrino Baſamoni propoſitas vndecima eſt talis. Ἐὰν ἱερεὺς λουθῇ, δύναται κατὰ τὴν αὐτὴν ἡμέραν ἱερουργῆσαι; καὶ λαϊκὸς μετὰ τὸ ἀπελθεῖν εἰς βαλανεῖον, ἐκχωρηθείη αὐθημερὸν τῶν μυστηρίων μεταλαβεῖν; καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου, ἱεροτελεστήσας ὁ ἱερεὺς, ἢ ὁ λαϊκὸς θείων ἁγιασμάτων ἀξιωθεὶς, λουθήσεται, ἢ φλεβοτομήσεται, ἢ οὔ; *An ſi Sacerdos vtatur balneo, poſſit eo die Miſſam dicere? Et an laico liceat poſt balneum, Eucbariſtiam ſumere? Item, & vice verſa, an Sacerdos poſt Miſſam, vel laicus, poſt ſumptam Eucbariſtiã, poſſit balneo vti? aut venam ſecare?* Quid Balſamon? Neutrum concedit, & philoſophatur neſcio quid ex Galeno & Hippocrate. Et tandem addit, poſt communionem corporis & ſanguinis Chriſti, nõ eſſe vacandum deliciis, & mollitiis, ſed gratias DEO agendas. At & hoc fieri poteſt & illud, ſi quis nimirum non deliciarum, ſed neceſsitatis

cauſa

cauſa lauet ante, vel poſt Euchariſtiam perceptam; quod de phlebotomia multò magis dici poteſt: quam tamen concedit Balſamon, ſi vrgeat neceſsitas. Sed recentioribus Græcis admodum frequens eſt, vt culicem excorient, camelum autem deglutiant.

Addamus & hoc. Videtur iis, qui baptizabantur, in ipſa baptiſmi ſuſceptione datum præceptum, vt hoſpitales eſſent, & peregrinorum pedes lauarent. Colligo hoc ex S. Auguſtino Serm. 163. de tempore, vbi dicit à *ſuſceptoribus* ſeu *patrinis* filios baptiſmi ſæpe monendos eſſe, *vt caſtitatem cuſtodiant*, &c. *Phylacteria & characteres Diabolicos nec ſibi, nec ſuis aliquando ſuſpendant*, &c. *Peregrinos accipiant, & ſecundum quod ipſis in baptiſmo dictum eſt, hoſpitum pedes lauent.*

CAPVT VI.

Morem lauandi pedes etiam ad hoſpites non peregrinos extenſum.

HOSPITES non peregrinos voco, qui ad menſam ſeu conuiuium vocabantur, licet peregrè non aduenirent, ſed eiuſdem vrbis vel oppidi incolæ eſſent. Liquet autē hoc, quod capitis inſcriptio aſſerit, ex illo Chriſti ad Phariſæum dicto: *Intraui in domum tuam; aquam pedibus meis non dediſti.* Neque enim Chriſtus hanc ſeu negligentiam, ſeu omiſsionem Phariſæo exprobraſſet, niſi aquam pedibus hoſpitum dare, communi more receptum fuiſſet. Non enim audio viros doctos hîc reſtitantes, & Chriſtum aquam ſibi, non tanquam conuiuæ, ſed tanquam peregrino negatam expoſtulaſſe dictitantes. Nihil enim Euangeliſta de peregrino; ſed ſiue in Bethania, ſiue alibi hoc conuiuium initū fuerit; Chriſtus, vt familiaris, & vt in illo loco degere, ſaltem aliquandiu conſuetus, à Phariſæo illo inuitatus eſt: Et ex facto Chriſti, diſcipulorum pedes lauantis, planum fit, etiam non peregrinis hoſpitibus pedes fuiſſe lotos; de quo plura inferius.

Luc. 7.

Vide Maldon. in c. 26. Matth.

Et hoc fiebat, inter alias cauſas, ob accubitum ſeu diſcubitum in lectis, vt pedes mundi eſſent, ne lecti contaminarentur. *Nam ingreſſus domum Phariſæi diſcubuit* (Chriſtus) *& ecce mulier, &c. vt cognouit, quod accubuiſſet in domo Phariſæi*, &c. Vnde mirum, hoc officij genus à Phariſæo neglectum fuiſſe, cum vt ne præteriretur ipſa diſcumbendi ratio monere potuerit.

Cæterum etſi omnes Iudæi lotionis fermè vſq; ad ſuperſtitionem ſtudioſi eſſent; omnes tamen alios ſuperabant Iudæos, lotionis potiſsi-

tiſsimum ſtudioſi Phariſæi, de quibus S. Marcus cap. 7. *Phariſæi enim & omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non manducant, tenentes traditionem ſeniorum. Et à foro, niſi baptizentur, non comedunt; & alia multa ſunt, quæ tradita ſunt illis ſeruare; baptiſmata calicum, & vrceorum, & æramentorum, & lectorum.* Ergo non tantum ſemel manus lauabant, ſed & ſæpius; nec manus tantùm; ſed & totum corpus. Manus quidem, vt mundarentur, ſi quid fortè immundum & lege interdictū inter edendum tetigiſſent; totum verò corpus; vt eo certiores eſſent de depuratione, ſi quid illicitum vllo corporis membro contrectaſſent; quando in foro, hoc eſt, in promiſcua turba, verſabantur. Neque ſe tantum, ſed & alia omnia, quæ in cœna vel prandio contrectaturi erant, prius eluebant; etiā lectos, in quibus manducantes recumbebant. *Erat mos Iudæorum*, inquit Clemens Alex. lib. 4. Strom. *vt etiam ſæpè in lecto tingerentur.* Quod Clementis Interpres de lectis tricliniaribus ſeu menſalibus accipit.

Hinc iidem ſuperſtitioſi homines, cum vidiſſent quoſdam ex diſcipulis Chriſti *communibus manibus, id eſt, non lotis, manducare panes, vituperauerunt*, vt ibidem ſcribit S. Marcus. Et hanc conſuetudinem ſæpius inter epulas lauandi manus docent quoque ſex illæ hydriæ in nuptiis in Cana Galilææ, *poſitæ ſecundum purificationem Iudæorum.* Hinc etiam Lucæ 11. Phariſæus, qui Chriſtum ad prandium inuitauerat, *cœpit intra ſe reputans dicere: quare non baptizatus eſſet ante prandium.* Quod de ablutione totius corporis, vel de ſola manuum lotione accipi poteſt.

CAPVT VII.

Ethnicos quoq; peregrinorum & conuiuarum pedibus vel integris corporibus lauandis aquam præbuiſſe.

NON fuit vlla gens, niſi planè barbara, & ab omni humanitatis cultu remota, cui hoſpites non fuerint quaſi ſacroſancti & inuiolabiles. Quare Alcinous Odyſſ. VIII.

Ἀντὶ κασιγνήτου ξεῖνός τ᾽ ἱκέτης τε τέτυκται
Ἀνέρι ὅς᾽ ὀλίγον περ ἐπιψαύει πραπίδεσσι.
Loco fratris eſt hoſpes & ſupplex
Viro, cui cor vel paululum ſapit.

Nauſicaa Alcinoi filia Odyſſ. VII.

Πρὸς γὰρ Διὸς εἰσὶν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε, δόσις δ᾽ ὀλίγη τε φίλη τε.

A Ioue ſunt omnes

Peregrini & mendici, munus quidem exiguum, ſed charum.

Et mox.

Ἀλλὰ δότ᾽ ἀμφίπολοι ξείνῳ βρῶσίν τε πόσιν τε.

Vos famulæ date peregrino cibum & potum.

Sed prius.

λούσατε δ᾽ ἐν ποταμῷ.

Lauate illum in fluuio,

in quo ſcilicet dulcis aqua erat; vt ablueret marinam ſalſuginem. Noluit tamen Vlyſſes à famulabus hoc ſibi officium præſtari.

Aiebat enim. αἰδέομαι γὰρ

Γυμνοῦσθαι κούρῃσιν ἐϋπλοκάμοισι μετελθών.

Pudet me nudari coram puellis.

Quapropter,

Αὐτὰρ ὁ ἐκ ποταμοῦ χρόα νίζετο.

Ipſemet ex fluuio corpus abluit.

Poſtea tamen Odyſſ. VII. antequam epulis Alcinoi & Phæacum accumberet, aqua calida lotus & oleo vnctus eſt ab ancillis,

Ὁ δ᾽ ἀσπασίως ἴδε θυμῷ

Θερμὰ λοετρά.

Gratum illi accidit

Calidum lauacrum.

Ἐκ ῥ᾽ ἀσαμίνθου βὰς ἄνδρας μετ᾽ οἰνοποτῆρας ἤϊε.

Ex labro ad conuiuium ſe contulit.

Odyſſ. XIX. mandat Penelope ancillis, vt lauent Vlyſſem ſub peregrini ſchemate latentem.

Ἀλλά μιν ἀμφίπολοι ἀπονίψατε

Sed non paſſus eſt Vlyſſes pedes ſuos à mulieribus tangi.

Οὐδέ γυνὴ ποδὸς ἅψεται ἡμετέροιο,

Εἰ μή τις γρηῦς ἐστι παλαιή

Neq; mulier pedem noſtrum tanget:

Niſi anus fuerit.

Iuſſu igitur Penelopes Euryclea, annis obſita, Vlyſſi pedes lauit. Abſoluto Pedilauio menſę accubuit.

Apud eundem Homerum Iliados X. Heroës primum aquâ marinâ ſudorem abluunt; deinde aqua dulci, hoc eſt, calida, vtuntur; Et poſtea δόρπῳ ἐφιζανέτην, *cœnæ aſſederunt.*

Cleo-

Cleobuli ſapientis & Lyndiorum Monarchæ filiam non pudebat lauare pedes paternorum hoſpitum, inquit Clemens Alexand. lib. 4. Stromat.

Quam ſolenne fuerit Romanis ante epulas lauare, diſces ex libro Petri Ciacconij de Triclinio, & ex Appendice, quam appendit Fuluius Vrſinus, vbi de hoc more fusè & accuratè diſputatur. Et ſi totum corpus non abluiſſent; ſaltem pedes lauabant; vt monſtrat hic locus Plauti in Perſa. *Locus hic tuus eſt. Hic accumbe. Ferte aquam pedibus. Praben' tu puere?* ne pulueruloſis pedibus ſtrata inquinarent.

Scribit Herodotus lib. 2. Amaſin, Regem AEgyptiorum, habuiſſe peluim auream, in qua tam ipſe, quam omnes eius conuiuæ pedes lauare conſueuerint.

Eiuſdem moris exemplum apud Ethnicos proditum eſt in Vita AEſopi, vbi Xanthus vxori ſuæ mandat, vt lauet pedes cuiuſdam hoſpitis. Κυρία, ὕδωρ ἐπὶ τὴν λεκάνην βαλοῦσα, τοὺς πόδας τοῦ ξένου νίψον. ἡ μὲν οὖν βαλοῦσα τὸ ὕδωρ εἰς τὴν λεκάνην, ᾔει τοὺς πόδας τοῦ ξένου νίψουσα, &c. προτείνας οὖν τοὺς πόδας (ὁ ξένος) νίψον κυρία, φησὶ, καὶ νιψάμενος ἀνεκλίθη. *Domina aquam in peluim iniice, & pedes hoſpitis laua. Illa igitur iacta aqua in peluim, ibat pedes hoſpitis lotura*, &c. *Extenſis igitur pedibus, laua, inquit, Hera, ac lotus diſcubuit.*

CAPVT VIII.

De lotione pedum, quæ deſcribitur Cap. 13. Joannis.

VERBA Euangeliſtæ ſunt iſta. *Et cœna facta, cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à DEO exiuit, & ad DEVM vadit: ſurgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua. Et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe.* Deinde, *miſit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Hæc Euangeliſta.

Circa quam Redemptoris noſtri actionem, varia à viris doctis diſputari ſolent. Et ſunt, qui dicant bis Apoſtolorum pedes ea veſpera fuiſſe lotos; primùm quidem ex conſuetudine quotidiana, vt diſcumberent, & Agnum Paſchalem comederent; deinde δείπνου γενομένου, *cœna facta*, ſeu *peracta*, hoc eſt, Agno Paſchali iam comeſo & abſumpto; quando panis azymus frangebatur & diſtribuebatur, lactucæque agreſtes manducabantur, & tam ille, quàm iſtæ in embamma intingebantur; vt nonnihil amarities agreſtium olerum temperaretur.

Primum igitur paterfamilias panem azymum & lactucas agreſtes in illud embamma intingebat. intinctumque comedebat, cum hoc hymno. *Benedictus es Domine Deus noſter, Rex ſaculi, qui ſanctificaſti nos mandatis tuis, & praceptum dediſti ſuper eſu azymorum.* Deinde ſub mappa alium panem azymum reſeruatum in tot fruſta frangebat, quot in contubernio conuiuatores erant. Fruſtum erat magnitudine oliuæ, quod ſingillatim & ordine cunctis porrigebatur hac verborum formula. *Hic panis afflictionis eſt. quem manducarunt patres noſtri in terra Ægypti. Omnis, qui eſurit, huc veniat, & comedat. Hinc adſit, omnis cui opus eſt; & Paſcha celebret.* His peractis delibatum poculum tradebat proximo, ille ſecundo, ſecundus tertio, donec per totum contubernium circumferretur potio. dicebatur autem poculm ὑμνήσεως, laudationis quòd hymno poſt potionem decantato abirent; Hymnus enim ille erat τὸ ἀπολυτικὸν τοῦ δείπνου. *Miſſio* ſeu *clauſula cœnæ.* Ita Ioſephus Burdo Pſeudoſcaliger lib.6.de Emendat.temp. Eandemque ſententiam ſequitur Cardinalis Baronius Tomo primo Annalium Anno Chriſti XXXIV.

Sed mihi non placet hæc opinio. I. Quia affirmat Chriſtum cum diſcipulis comediſſe Paſcha non ſtantem; ſed in lectis tricliniaribus diſcumbentem; Et hinc ex vſu communi in lectis cœnantium, diſcipulis fuiſſe pedes lotos, ante eſum Agni Paſchalis: quod mihi non ſatis concinere videtur cum ſacris litteris; nam ex cap.12.Exodi; vbi ritus Agni Paſchalis edendi præſcribitur, apparet, Dominum non modo iuſsiſſe, vt in AEgypto Agnum ſtantes comederent; ſed hoc eis perpetuum eſſe voluiſſe; ſic enim Deus. *Renes veſtros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis feſtinantes,* &c. *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eum ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno.* Vbi non tantum feſtum, ſed & ritus & modus primus feſti præcipi videtur; vt eductio illa ex ſeruitute AEgyptiaca quotannis Iſraëlitico populo, *ad viuum*, vt ita loquar, repræſentaretur. Quis autem non videt, melius repræſentatam fuiſſe, ſi *ſtantes, baculos manibus tenentes*, & inſtar viatorum, *calceati*, quam ſi in lectis recumbentes, Agnum manducarent?

Nec refert, quòd Triclinium, in quo Chriſtus Paſcha manducauit, fuit ἐστρωμένον, *ſtratum*, nam & in ſtrato triclinio, hoc eſt, in eo, in quo erant lecti, potuit Chriſtus cum diſcipulis Agnum Paſchalem ſtans comedere; & quid obſtabat, quo minus in grandi illo cœnaculo menſa eſſet, ad quam ſtare liceret?

Deinde

Deinde licet Chriſtus Agnum Paſchalem in lecto recũbens manducaſſet, non tamen confeſtim euinceretur inde, pedes eius & diſcipulorum prius fuiſſe lotos; quandoquidem, vt ſupra vidimus, Chriſtus etiam in domo Phariſæi Lucę 7. ſine pedum lotione diſcubuit. Et Lucæ 11. in ædibus cuiuſdam Phariſæi *non baptizatus*, hoc eſt, non lotus, prandit: Et diſcipuli Marci 7. illotis manibus panem manducarunt; tametſi mirantibus, quin & indignantibus Phariſæis; Neque enim hæc talia negligere, Domino eiuſque diſcipulis religio fuit: neque etiam ſemper periculum erat, vt lecti menſarij inquinarentur, ſi qui pedibus non lotis accubuiſſent.

Quo etiam labefactatur illorum opinio; qui arbitrantur bis diſcipulorum pedes illa veſpera lotos; ſemel non quidem ante paſchalis Agni eſum, ſed antequam communem & vſualem cœnam inirent, in lectis diſcumbentes; poſtea ante Euchariſtiæ inſtitutionem, licet enim probabile ſit, ita contigiſſe, quãdoquidem Iudæi ante diſcubitum; totius corporis, vel ſaltem pedum lotionem præmittebant, non tamen perſpicuè euinci poteſt, id ita factum eſſe; quandoquidem, vt dixi, ex Euangeliſtarum teſtimoniis conſtat, hæc non vſq; adeo ſcrupuloſè à Chriſto eiuſque diſcipulis obſeruata fuiſſe. Nec Burdo opinionem illam ſuam de duplici lotione, aliter probat, niſi ex quodam Rituali Hebręorum, quod ipſe ait eſſe *vetuſtiſſimum*. Sed notum ac peruulgatum eſt, quàm fabuloſi ſint Iudæorum libri. Itaq; qui Scripturæ & Patrum, quàm Rabbinorum ſtudioſior eſt; parum morabitur iſta Ritualis verba *Quàm diuerſa hac nox* (Paſchalis) *à cæteris noctibus: quòd in aliis noctibus ſemel tantum lauamus; in hac autem bis. Quòd in reliquis noctibus comedimus ſiue fermentum, ſiue azymum: in hac autem omnino azyma. Quòd in reliquis noctibus veſcimur oleribus omne genus: in hac autem intybis. Quòd in omnibus noctibus tam edentes, quàm bibentes, vel ſedemus, vel diſcumbimus: in hac autem omnes diſcumbimus.* Quàm hoc ſacris literis conſonum, quæ iubent; vt Iudæi accincti renes, baculos in manibus tenentes, calceati & feſtinantes paſcha manducent; vtq; hoc illis ſit legitimum & monumentum ſempiternum? ſcilicet hæc diſcumbentibus in lecto competunt. Et tamen Moyſes Hebræis mandauit: Cuſtodi *verbum iſtud legitimum* (id eſt, morem edendi Agni paſchalis à Deo præſcriptum) *tibi & filiis tuis vſque in æternum; cumq; introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis ceremonias iſtas.* Quas? nempe vt *accincti renes, baculos geſtantes, calceati, &c.* Agnum paſcalem comedatis, &c. vt Ioſias Rex 4. Reg. 23. præcepit; *facite phaſe Domino Deo veſtro, ſecundum quod ſcriptum eſt in libro fœderis huius*: id eſt, iis ritibus & cæremoniis quæ in lege Moyſis præſcribuntur.

Præterea, ſi Euangeliſta lotionem pedum à Chriſto factam recenſuiſſet, tanquam communem, & quæ vſitato more, entybis ſeu lactucis agreſtibus, quæ quaſi ſecundarum menſarum vicem ſubibant, vt iſti volunt; præmitteretur; haud reticuiſſet lotionem primam ipſi paſchalis Agni manducationi pręmitti conſuetam; quia hęc tantò principalior erat, *quanto Agnus paſchalis lactucas* agreſtes præſtantia naturę & ſignificationis excedebat.

Adhæc omnino commentitium videtur & ex recentiorum verparum lacunis hauſtum; diuidere in duas menſas *eſum Agni; & eſum Azymorum & lactucarum agreſtium:* nam ſine dubio panem Azymum cum ipſo carne Agni primitus manducabant; quis enim carnem ſine pane ad eſum propoſitam credat? Et Hebræus textus expreſsè iubet Agni carnem manducari cum *panibus azymis & lactucis agreſtibus*, ſeu generatim cum *amaris* ſeu *amaritudinibus*. Et Numerorum cap. 9. vbi deſcribitur ſecundum Paſcha ab Iſraëlitis in deſerto celebratum, dedit Deus hoc reſponſum de immundis, qui primo menſe Paſcha comedere non poterant. *Homo, qui fuerit immundus ſuper anima, ſiue in via procul in gente veſtra, faciat Phaſe Domino in menſe ſecundo, quartadecima die menſis ad veſperam, cum azymis & lactucis agreſtibus comedent illud.*

Obiicies. Ex inſtitutione ritus Paſchalis ſatis elucere, cæremonias præſcriptas fuiſſe tantummodo temporarias: id inde manifeſtum euadere; quia, præter cætera, hoc ibidem in primo Paſchate faciendum erat: *Et ſument de ſanguine eius* (Agni) *ac ponent ſuper vtrunque poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Sed ritus iſte poſtea non eſt obſeruatus, vt patet exemplo ſecundi Paſchatis celebrati in deſerto; neque vnquam auditum eſt hanc ſanguinis aſperſionem poſtea repetitam fuiſſe: Ergo etiam reliquæ cæremoniæ fuêre duntaxat temporariæ, & pro primo ſolùm Paſchate præſcriptæ. Ergo & ſtatio ad menſam, quæ licet diſertè non exprimatur; ex aliis tamen ritibus ſatis manifeſtè colligitur. Ita Caluiniani Tremelius & Iunius in Notis ad cap. 12. Exodi, & inde vlterius inferunt; *Chriſtum nil contra legem deliquiſſe, quando non ſtans, ſed diſcumbens Paſcha manducauit*; nam vt S. Lucas ſcribit cap. 22. *cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* S. Matthæus cap. 26. *Veſpero autem facto diſcumbebat cum duodecim diſcipulis ſuis.*

Reſpondeo, nullius momenti eſſe hanc conſecutionem: ſanguis poſtibus ædium illitus erat tantummodo cęremonia temporaria, ergo & reliqua, quæ mandantur Exodi 12. ſolùm pro primo illo Paſchate decreta erant: nam ibid. v. 13. manifeſtè indicatur linitionem illam ſanguinis ideo ſolummodo factam, vt Angelus Aegyptiorum primoge-

mogenita percutiens, hoc ſigno admonitus pertranſiret, & domui hanc notam præferenti nullum detrimentum inferret. Accipe verba ſcripturæ. *Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus, in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos; nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* Quia ergo non ſingulis annis ſequentibus, ſed ſemel tantùm Deus ſeu Angelus primogenita Aegyptiorum interfecit; & aſperſione ſanguinis admonitus, ab Iſraëlitarum domiciliis abſtinuit, nil opus erat hanc cæremoniam repetere; quandoquidem nihil periculi ab Angelo exterminatore illis amplius impendebat. Alia eſt ratio aliarum cæremoniarum; quæ non propter exitium vitandum inſtitutæ fuerunt, ſed vt perpetuò Iſraëlitis in memoriam reuocarent, quàm mirabili ratione ex ſeruitute Aegyptiaca euaſerint.

Ad illud de verbo *diſcumbendi* vel *recumbendi* ex Euangeliſtis, Reſpondeo cum noſtro Maldonato in caput 26. Matthæi, Euangeliſtas latiore & laxiore ſignificatu hæc verba vſurpaſſe, nec aliud ſignificare voluiſſe, quàm Chriſtum, veſpere facto, ad menſam acceſsiſſe atque cęnaſſe. nam & hodie menſę dicimur *accumbere*, cum tamen ſedeamus. Si igitur hîc tam tritè & vſitatè verbum *accumbendi* impropriè vſurpatur; non mirum ſi idem factum ab Euangeliſtis.

Quæres, cum S. Ioannes dicat. *Cœna facta, &c. ſurgit à cœna:* de qua nam cœna hoc intelligatur? Reſpondeo cũ ſententia communi, intelligi de cœna vſuali ſeu quotidiana; Chriſtus enim cum diſcipulis, cœna paſchali & myſtica peracta, communem cœnam iniit, & quidem recumbens in lectis, recepto more; ſiue ante accubitum præceſſerit pedum lotio; ſiue non; quod probabilius arbitror. Ab hac ergo cœna ſurrexit Chriſtus, & poſitis veſtimentis, miſſaque in peluim aqua, diſcipulorum pedes lauare cœpit, non ex Iudæorum conſuetudine; quia ſi hanc ſpectaſſet, ante cœnam vſualem, nõ in ipſa & inter ipſam diſcipulis pedes lauiſſet: ſed hæc omnia myſticè acta & peracta ſunt nimirum propter diuinum Euchariſtiæ conuiuium iam iam inſtituendum, vt doceret Dominus, ad ſacratiſsimum illum cibum non eſſe illotis pedibus, hoc eſt, immundis affectibus accedendum.

Nec officit nobis illud: *cœna facta*, quaſi iam cœna abſoluta & peracta fuerit: nam ea phraſis idem quoque ſignificat, quòd, *inter cœnam*; ſeu, *dum cœnaretur:* vt ſi dicam: Amicum veniſſe *δείπνου γενομένου, cœna facta*, ſignifico eum veniſſe *inter cœnandum*, ſeu *incœpta iam cœna*, ſeu *dum cœnaretur*: nam poſtea Dominus, pedum lotione perfecta, iterum recubuit: & ea, quæ S. Ioannes eum dixiſſe refert à verſu 12. vſque ad verſ. 23. de hoc humilitatis exemplo imitando, & de proditore ſuo, perorauit.

Quibus

Quibus peractis, Euchariſtiam inſtituit: qua inſtituta, iterum de traditore loqui cœpit, vt commemorat Lucas cap.22. *Veruntamen,* inquit, *ecce manus me tradentis mecum eſt in menſa, &c.* Tunc interrogauit Petrus Ioannem: *Quis eſt, de quo dicit?* qui Ieſum interrogans hoc reſponſum accepit: *Ille eſt, cui ego* intinctum panem porrexero; & poſt hanc buccellam, introiuit in eum Satanas; Mox Iudas abiit: quo recedente, Chriſtus habuit ad diſcipulos ſermonem, qui à S. Ioanne à verſ.31. cap.13. item cap.14. 15. & 16. deſcribitur, poſt quem eas preces ad patrem fudit, quæ exſtant cap.17. Deinde, dicto hymno, exiit trans torrentem Cedron. Vide Toletum in caput 13. Ioan. Annot.7. & ſic omnia conſonant, & quidem longè concinnius, quàm illa quę ex Iudæorum promptuariis Burdo nobis depromit: cuius ſententiam miror Illuſtriſsimo Annalium Scriptori probari potuiſſe; & quidem ita, vt quę Pſeudoſcaliger ſtrictim ex Rituali Hebræorum libro recitauerat, ille longè fuſius exſcriberet, quæ & ego adſcribam, non quòd probem, abſit; ſed vt lector videat, an non Iudaicas nænias & fabellas reſipiant.

In Paſchali conuiuio, poſterior quæ eſſet menſa, non vt in aliis dierum feſtorum ſecundis cœnarum menſis bellaria apponebantur, ſed tantùm à lege ſtatutus cibus, nimirum primo loco embamma ex intybis, & lactucis agreſtibus factum, aliiſque rebus conditum: inque eum primùm paterfamilias intingebat offam azymam, mox cæteri, ſicque conſumebatur. Deinde, idem paterfamilias tortam azymam (ſeu, vt alii textus habent, dimidiam) ſub mappa hactenus ſeruatam, in fruſta frangebat, in tot particulas illam diuidēs, quot eſſent in cœna diſcumbentes, ſicque diuiſam ſingulis porrigebat: quo facto, ipſe poculum deguſtatum tradebat proximo, ille ſecundo, donec poculum per totum conuiuium circumferretur. Inſuper, quoniam ſecunda illæ menſæ Iudæorum erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agendas potiſsimum comparatæ: cùm in cæteris ſecundis menſis eſſet vſitata quædam communis benedictionis formula, in Paſchali ſecunda menſa poſt illam benedictam, cum diſtribueretur torta azyma, hæc verba idem paterfamilias dicebat; Iſte eſt panis ærumnæ, quem comederunt Patres noſtri in terra Ægypti: quiſquis eſurit, accedat, & peragat Paſcha.

Hæc quantum à ſpiritu ſcripturarum abeant, ille deprehendet, qui ea accuratè cum inſtitutione Agni Paſchalis, & cum Euangeliſtis contulerit. In inſtitutione certè nulla fit vllius poculi ſeu potus mentio; vt de hoc ſolùm dicam. Et calix ille, cuius Lucas cap.22. ante inſtitutionem Euchariſtiæ meminit, ad cœnam vſualem ſeu communem referri poteſt. Certè Moyſes minimè omiſiſſet, ſi eſui Paſchalis Agni potus iuſſu & inſtituto Dei, adhibendus fuiſſet

Si quis tamen illud: *facta cœna*; cum Maldonato in cap.13. Ioannis, conten-

contendat accipi debere de cœna illa communi prorſus abſoluta; cum hoc non contendam. Nec obſtat, quod poſt Euchariſtiam inſtitutam Chriſtus Iudæ buccellam intinctã dederit; nam id non eſt argumento, cœnam communem non finitam; ſed cibos omnes, dum Euchariſtia inſtitueretur, non fuiſſe ablatos.

Lepidum porrò eſt, quod Burdo dicit; eum, qui negat auctoritatem Ritualis illius libri, cui ipſe totam ſuam fabulam inædificat, *perinde facere, ac ſi capita Papiniani, Pauli, Vlpiani, & aliorum Iuriſconſultorum in Digeſtis Iuſtiniani producta, neget eſſe eorum Iuriſconſultorum, quorum nomina citantur.* At ſi Burdo tam certò monſtraret ritus, quos ex ſuo Rituali profert; fuiſſe temporibus Chriſti in paſchatis celebratione vſitatos, & ab ipſo Saluatore noſtro adhibitos; quàm certò monſtrari poteſt capita illa eſſe eorum Iuriſprudentium, quorum nomina proferunt; tum rem factam haberet, nulloque negotio omnes ad ſuas partes traduceret. Nunc cum horum nihil faciat, ſed more ſibi conſuetiſsimo *aiat* tantum, non eſt, cur aſſenſionem à nobis ſperet.

CAPVT IX.

Cur Chriſtus diſcipulorum pedes lauerit.

MYSTERIVM huic facto ſubfuit ac inſuit, & præterea exemplum. nam pedes diſcipulorum lauit; quia eis carnem ſuam & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini præbiturus erat: monſtrans non niſi mundos & à ſordibus expurgatos, ad hoc cœleſte conuiuium accedere debere; quod Dominus inſinuauit verbis illis: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt lauet pedes; & vos mundi eſtis, ſed non omnes*; quibus verbis declarauit, ſe de ſpirituali munditie, quam tali lotione in diſcipulis ſuis effecit, loqui, eamq; munditiem à nobis procurandam eſſe, quò dignè ad ſacratiſsimum hoc conuiuium accedamus.

Exemplum indicatur verbis illis: *Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter; & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Didicimus fratres humilitatem ab Excelſo,* inquit S. Auguſtinus, *faciamus inuicem humiles; quod humiliter fecit excelſus. Magna eſt commendatio humilitatis: & faciunt ſibi hoc inuicem fra-* S. Aug. Tract. *tres, etiam opere ipſo viſibili. cùm ſe inuicem hoſpitio recipiunt. Eſt enim apud ple-* 58. in Ioan. *roſque conſuetudo huius humilitatis vſq; ad factum. quo cernatur expreſſa: vnde & Apoſtolus, cùm viduam bene meritam commendaret: ſi hoſpitio, inquit, recepit, ſi Sanctorum pedes lauit. Et apud Sanctos, vbicunq; hæc conſuetudo non eſt, quod ma-* 1. Tim. 5. *nu non faciunt, corde faciunt: ſi in illorum numero ſunt, quibus dicitur in hymno*

Dan. 3. *beatorum trium puerorum: Benedicite ſancti, & humiles corde Domino; multo autem eſt melius, & ſine controuerſia verius, vt etiam manibus fiat: nec dedignetur, quod fecit Chriſtus, facere Chriſtianus. Cùm enim ad pedes, fratres, inclinatur corpus, etiam in corde ipſo vel excitatur, vel, ſi iam inerat, confirmatur ipſius humilitatis affectus.* Hæc S. Auguſtinus.

Non ſunt tamen Chriſti verba ita accipienda; vt Dominus ea præcisè & neceſſariò velit ad literam obſeruari; ſed in animi præparatione; vt ſi opus fuerit, hoc charitatis genus proximo exhibeamus, nec dedignemur opus etiam ſeruile pro ſalute animarum ſubire; vt rectè notat Toletus in cap. 13. Ioan. Annotat. 18.

S. Chryſ. Hom. 70. in Ioan. *Vbi nunc, qui conſeruos deſpiciunt?* quærit S. Chryſoſtomus. *Vbi, qui honores expetunt? proditoris pedes Dominus lauit, ſacrilegi, furis, & ipſo proditionis tempore, cum nulla eſſet ſperanda emendatio, menſam communem poſuit, & tu elatis ſuperciliis intumeſcis? pedes inuicem lauemus, inquit; nunquid & ſeruorum? Et quid mirum, ſi ſeruorum? ſiquidem inter nos ſeruus, & liber verbo tenus differunt. differunt illic re ipſa. Ipſe enim natura Dominus erat, nos ſerui; neque id recuſauit: nobis autem ſatis videtur, ſi liberis, vt ſeruis, & emptis mancipiis, non vtimur. Et quid dicemus, cum tanta patientiæ exempla propoſita nobis ſunt, quæ minimè imitamur: ſed contrà, & è regione elati, ne debitum quidem reddimus? Debitores enim nos conſtituit Deus, cùm incœpit: nos longè inferiores, exemplum ſequi debemus. Ipſe enim Dominus erat: nos hoc conſeruis faciemus, ſi quid fecerimus: quod & ipſe ſignificauit, dicens: ſi ego Magiſter, & Dominus; ita & vos. Conſequens enim erat dicere, quanto magis vos ſerui: ſed reliquit hoc auditorum reputationi, &c.*

Hoc Chriſti Domini exemplo & monito accenſi quamplurimi, cunctis ætatibus, feria quinta, quam vocant in cœna Domini, pauperum vel ſubditorum pedes lauerunt, hodieq; lauant Epiſcopi, Prælati, Religionum Antiſtites; Imperatores, Reges, Principes, & alij his, conditione quidem, ſed non pietate minores. Neq; ipſi ſummi Pontifices hoc charitatis & humilitatis munus defugiunt. Actio hæc pedum lauandorum feria quinta Maioris hebdomadæ vulgò vocatur *Mandatum*; ob illud Chriſti Domini Ioan. 13. *Mandatum nouum do vobis.* Ritus præſcribitur in Miſſali Romano, & in aliarum Diœceſeon Ritualibus libris. Neque opus hic repetere; eſt enim res nota ac peruulgata. Minus Latinis cognitus eſt hac ipſa in lotione mos Græcorum, cuius illuſtrandi gratia non erit abs re huc transferre, quæ Græcorum Euchologium continet.

CAPVT

CAPVT X.

ΑΚΟΛΟΥΘΙΑ ΤΟΥ ΘΕΙΟΥ ΚΑΙ ΙΕΡΟΥ ΝΙΠΤΗΡΟΣ.

OFFICIVM SEV ORDO LAVANDORVM PEDVM.

Μετὰ τὴν ὀπισθάμβωνον εὐχὴν ἐξέρχεται ὁ ἱερεὺς καθὼς ἐστὶν ἠλλαγμένος, μετὰ λαμπάδων, καὶ θυμιατοῦ ἔξω τῶν μεγάλων πυλῶν τοῦ ναοῦ· τῆς λεκάνης τοῦ νιπτῆρος εὐτρεπισθείσης παρὰ τοῦ ἐκκλησιάρχου. ταχθέντων δὲ ἀδελφῶν ιβ΄. τῶν μελλόντων νιφθῆναι παρὰ τοῦ προεστῶτος ἐφ' ὧν ἐπάναγκες εἶναι τόν τε πυλωρὸν, καὶ τὸν οἰκονόμον, συνεξερχόμεθα πάντες τῷ ἱερεῖ, ψάλλοντες τὸν ν΄ καὶ μετὰ τὴν τούτου συμπλήρωσιν, λέγομεν ἐκ τοῦ κανόνος τῆς μεγάλης πέμπτης τὴν ε΄.

Poſt precationem retrò ambonem fuſam, egreditur Sacerdos ſuo indutus habitu, cũ lampadibus & incenſo extra magnas portas templi; parataque pelui ad lotionem, & duodecim fratribus, quorum pedes abluantur, à præfecto conſtitutis, (inter quos neceſſariò eſſe oportet Eccleſiarcham & Ianitorem) comitamur omnes Sacerdotem, cantantes Pſalmum quinquageſimum. Quo finito canimus ex magno Canone magnæ Feriæ quintæ Odam quintam.

Ὠδὴ α΄. ἦχος πλ. β.

Τῷ συνδέσμῳ τῆς ἀγάπης συνδεόμενοι οἱ ἀπόστολοι τῷ δεσπόζοντι τῶν ὅλων ἑαυτοὺς Χριστῷ ἀναθέμενοι, ὡραίους πόδας ἐξατενίζοντι, εὐαγγελιζόμενοι πᾶσιν εἰρήνην.

Ἡ τὸ ἄσχετον κρατοῦσα, καὶ ὑπερῷον ἐν αἰθέρι ὕδωρ, ἡ ἀβύσσους χαλινοῦσα, καὶ θαλάσσας ἀναχαιτίζουσα θεοῦ σοφία, ὕδωρ νιπτῆρι βάλλει,

Oda prima. Tonus ſeu ſonus ſecundus Plagius.

Vinculo charitatis colligati Apoſtoli vniuerſorum Domino Chriſto ſeſe committentes, ſpecioſos pedes extendebant, (vel potius attentè inſpiciebant) pacem omnibus annunciantes.

Sapientia Dei, quæ continet indomitas & cœleſtes in æthere aquas, quæ abyſſos frænat, & maria coërcet, aquã in peluim mit-

πόδας ἀποπλυνεῖ δὲ δούλων δεσπότης.

Μαθηταῖς ὑποδεικνύει ταπεινώσεως ὁ δεσπότης τύπον. ὁ νεφέλαις δὲ τὸν πόλον περιβάλλων, ζώννυται λέντιον, καὶ κάμπτει γόνυ δούλων ἐκπλῦναι πόδας, οὗ ἐν τῇ χειρὶ πνοὴ πάντων τῶν ζώντων.

tit, & Dominus ſeruorum pedes abluit.

Dominus humilitatis exemplum diſcipulis oſtendit, & qui cœlum nubibus circumdat, linteo præcingitur, genua flectit, & is, in cuius manu omnium viuentium ſpiritus eſt, ſeruorum pedes lauat.

Εἶτα ψάλλομεν τὰ ἰδιόμελα τοῦ νιπτῆρος, ἦχος α΄.

Ὁ λεντίῳ ζωσάμενος καὶ νίψας τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν Χριστὲ ὁ Θεὸς ἀπόπλυνον ἡμῶν τῆς ψυχῆς τὸν μολυσμόν, καὶ περίζωσον ἡμᾶς συνδέσμῳ πνευματικῷ τοῦ ποιεῖν τὰς ἐντολάς σου τῆς ἀγαθότητος.

Deinde caminus idiomela lotionis ſeu pedilauij. Tonus primus.

Chriſte Deus, qui linteo te præcinxiſti, & diſcipulorum pedes abluiſti, ablue animæ noſtræ maculas, & circumcinge nos ſpiritali vinculo, vt exequamur mandata bonitatis tuæ.

Ἦχος β΄.

Μεγάλης εὐεργεσίας ἀπολαύειν μέλλοντες πιστοὶ εὐλαβῶς τῷ τιμίῳ νιπτῆρι προσδράμωμεν, οὐ σαρκὸς ῥύπον ἀποπλύνοντες, τὰς ψυχὰς δὲ μυστικῶς ἁγιάζοντες. Χριστὸς γὰρ ὁ Σωτὴρ ἡμῶν, ὁ ἐφορῶν ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ποιῶν αὐτὴν τρέμειν, κλίνει ἑαυτὸν, καὶ ἰχνῶν ἅπτεται χοϊκῶν πάσης ἐναντίας δυνάμεως ἀσφαλῆ δωρούμενος τὴν ἐπίβασιν, αὐτῷ εὐχαρίστως βοήσωμεν, ὁ ἀρίστην ὑψώσεως ὁδὸν ὑποδείξας ἡμῖν τὴν ταπείνωσιν, σῶσον ἡμᾶς ἀγαθὲ, ὡς φιλάνθρωπος.

Tonus ſecundus.

Grande beneficium adepturi, ô fideles reuerenter ad venerandam lotionem accedamus, non vt ſordes carnis abluamus, ſed vt animas myſticè ſanctificemus. Chriſtus enim Saluator noſter, qui reſpicit terram, & facit eam tremere, inclinat ſeipſum, pedesq; terrenos tangit, & nobis donat, vt omnis contrariæ poteſtatis incurſio ſit irrita: ad ipſum cũ gratiarum actione clamemus: Qui nobis expeditiſsimam exaltationis viam, nempe humilitatem, demõſtraſti, ſalua nos ô benigne, per tuam clementiam.

Ἦχος

Ἦχος γ΄.

Ὁ πέτρος ηὐλαβεῖτο νίψασθαι πόδας ἐκ τῶν ἀχράντων χειρῶν, ὑφ' ὧν ἐπλαστουργήθη ὁ ἀδάμ, ἤκουσε δέ. εἰ μὴ νίψω σε, οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ. τρόμῳ πολλῷ συνεχόμενος ἐβόα σοι, κύριε, μὴ μόνον τοὺς πόδας μου νίψης, ἀλλὰ καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὴν κεφαλήν; ὢ μεγίστων δεσπότου δωρεῶν. κοινωνοὺς ποιεῖται τῆς χάριτος τοὺς ἑαυτοῦ μαθητάς, καὶ μέρος ἔχειν μετ' αὐτοῦ ἐπαγγέλλεται τὴν ἄρρητον δόξαν. ὡς καὶ ἐν τῷ μυστικῷ ποτηρίῳ ἔφησε, καινὸν αὐτὸ πίνειν μετ' αὐτῶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. ἧς καὶ ἡμᾶς ἀξίωσον, ὡς ἐλεήμων, καὶ φιλάνθρωπος.

Tonus tertius.

Ob reuerentiam renuebat Petrus pedes ſibi ablui, ab intaminatis illis manibus, quibus Adamus procreatus eſt. Audiit vero: Niſi te lauero; non habebis partem mecum. Quo audito, formidine multa perculſus clamabat; Domine, non ſolum pedes mihi laua, ſed & manus & caput. O ingẽtia Domini beneficia. Suæ gratiæ participes facit ſuos diſcipulos & promittit illos ſecum partẽ habituros in ineffabili gloria, quemadmodum & myſticũ poculum diſtribuens dixit; ſe illud nouum cum ipſis bibiturum in regno cęlorum; cuius & nos participes effice tanquã miſericors & clemens.

Ἦχος πλ. δ΄.

Σήμερον ὁ ἀπρόσιτος τῇ οὐσίᾳ ἔργον δούλου ἀνέλαβεν. λέντιον διεζώσατο ὁ περιβάλλων τὸν οὐρανὸν ἐν νεφέλαις· ὕδωρ ἔβαλεν εἰς νιπτῆρα ὁ τὴν θάλασσαν τὴν ἐρυθρὰν διατεμών, καὶ κάμψας τὰ γόνατα, ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάσσειν τῷ λεντίῳ, ᾧ ἦν διεζωσμένος. ὅτε οὖν ἔνιψε τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, εἶπεν αὐτοῖς, ὑμεῖς καθαροί ἐστε, ἀλλ' οὐχὶ πάντες, σημαίνων τὸν παραδιδοῦντα αὐτόν.

Tonus plagius quartus.

Hodie inacceſſus, ſerui opus ſeu functionem ſuſcepit. Linteum circumcinxit, qui cælum nubibus cingit. Aquã miſit in peluim, qui rubrum mare diſcidit; flexiſque genibus cœpit lauare pedes diſcipulorum, & linteo, quo præcinctus erat, extergere. Poſtquam diſcipulorum pedes lauit, dixit illis. Vos mundi eſtis, ſed non omnes, deſignans proditorem ſuum.

Εἶτα συναπτὴ παρὰ τοῦ ἱερέως, ἢ τοῦ διακόνου.

Ἐν εἰρήνῃ τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Poſtea fit ſinapte à Sacerdote vel Diacono.

In pace Dominũ deprecemur.

Ὑπὲρ τῆς ἄνωθεν εἰρήνης.

Ὑπὲρ τῆς εἰρήνης τοῦ σύμπαντος.

Ὑπὲρ τοῦ ἁγίου οἴκου τούτου.

Ὑπὲρ τοῦ ἀρχιεπισκόπου.

Ὑπὲρ τῆς ἁγίας μονῆς.

Ὑπὲρ εὐκρασίας ἀέρων εὐφορίας.

Ὑπὲρ πλεόντων ὁδοιπορούντων.

Ὑπὲρ τοῦ εὐλογηθῆναι, καὶ ἁγιασθῆναι τὸν νιπτῆρα τοῦτον τῇ δυνάμει, καὶ ἐνεργείᾳ, καὶ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Ὑπὲρ τοῦ γενέσθαι αὐτὸν εἰς ἔκπλυσιν τοῦ ῥύπου τῶν πλαισμάτων ἡμῶν τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Ὑπὲρ τοῦ ῥυσθῆναι ἡμᾶς ἀπὸ πάσης θλίψεως.

Ἀντιλαβοῦ, σῶσον, ἐλέησον, καὶ διαφύλαξον.

Τῆς παναγίας, ἀχράντου, ὑπερευλογημένης.

Ὅτι σὺ εἶ ἡ κάθαρσις τῶν ψυχῶν ἡμῶν καί σοι τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν σὺν τῷ ἀνάρχῳ σου πατρὶ, καὶ τῷ παναγίῳ, καὶ ἀγαθῷ, καὶ ζωοποιῷ σου πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Καὶ μετὰ τὸ, ἀμήν, ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς μεγαλοφώνως.

Τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε, καὶ θεὲ ὑπεράγαθε, ὁ ἀπρόσιτος τῇ θεότητι, ὁ ἐν τῇ τοῦ δούλου μορφῇ ὑπηρέτου σχῆμα ἀναλαβὼν, καὶ εἰς ὑποτύπωσιν ταπεινώσεως σωτηρίου, τοὺς τῶν μαθητῶν σου πόδας ἀχράντοις χερσὶν ἀπονίψας, καὶ

Pro ſuperna pace.

Pro pace vniuerſali.

Pro hac ſacra domo.

Pro Archiepiſcopo.

Pro hoc ſacro Monaſterio.

Pro aëris temperie & fertilitate.

Pro nauigantibus & iter agentibus.

Oremus Dominum, vt benedicatur & ſanctificetur hoc lauacrum, virtute, efficacitate & deſcenſu ſancti Spiritus.

Oremus Dominum, vt cedat ad ablutionem immunditiæ lapſuum noſtrorum.

Vt liberemur ab omni tribulatione.

Adiuua, ſalua, miſerere & cuſtodi.

Sanctiſsimę, immaculatæ & benedictæ Deiparæ precibus.

Quia tu es expurgatio animarum noſtrarum. Et tibi gloriam tribuimus cum patre principij experte ſanctoque bono, & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Dicto *Amen, auſpicatur Sacerdos hanc orationem clara voce.*

Dominum precemur.

Domine Deus clementiſsime, qui Deitate tua es inacceſſus, qui in forma ſerui, habitum miniſtri aſſumpſiſti, & ad exemplum ſalutiferæ humilitatis diſcipulorum tuorum pedes immaculatis manibus abluiſti, ac

λυτῆρ

λεντίῳ ἐκμάξας, ἔπιδε καὶ νῦν ἐφ' ἡμᾶς τοὺς ἀναξίους δούλους σου, τῆς τοιαύτης σου συγκαταβάσεως, μιμουμένους τὸ ὑπερένδοξον· καὶ ἀξίωσον τοὺς τῆς σαρκὸς μολυσμοὺς ἀπονίψασθαι ἡμᾶς, καὶ τὸ τῆς ψυχῆς ῥυπῶδες, διὰ τῆς τοῦ ὕδατος τούτου προσψαύσεως· χάρισαι ἡμῖν τὴν τοῦ παναγίου πνεύματος ἀόρατον ἐπιφοίτησιν· ἀσφάλισαι ἡμῶν τὰς ψυχὰς, καὶ τὰ σώματα ἀπὸ τοῦ τηροῦντος πτέρναν ὄφεως δολεροῦ· ἵνα καθαροὶ γενόμενοι, λατρεύσωμεν εὐπροσδέκτως σοι. ἐπάνω ὄφεων, καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ διαβαίνοντες. ὅτι πρέπει σοι πᾶσα δόξα, τιμὴ, καὶ προσκύνησις τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

Εἰρήνη πᾶσι. τὰς κεφαλὰς τῷ κυρίῳ κλίνατε. ὁ ἱερεὺς ἐπεύχεται.

Τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ ὑποδείξας ἡμῖν μέτρα ταπεινώσεως ἐν τῇ οἰκείᾳ, καὶ πανυψίστῳ σου συγκαταβάσει, καὶ τὸν ἔσχατον τῇ προθέσει πρῶτον ἀναγορεύσας, χαρίτωσον ἡμᾶς ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλους διακονίᾳ. ὕψωσον ἡμᾶς θείᾳ ταπεινώσει, διατήρησον ἀρρυπώτους, νιπτομένους ἀεὶ δάκρυσι, καθαιρομένους τῷ φωτισμῷ τῆς καθαρτικῆς σου χάριτος. ἵνα εἰλικρινῶς σοι πάντοτε προσανιόντες, εὕρωμεν ἔλεος, καὶ οἰκτιρμὸν ἐν τῷ φοβερῷ σου βήματι.

linteo exterſiſti, reſpice nunc ſuper nos indignos famulos tuos, qui huius tuæ tantæ ſubmiſsionis tam illuſtre documentum imitari conantur, & dignare carnis& animæ noſtræ inquinamenta contactu huius aquæ abluere: Largire nobis inaſpectabilẽ Spiritus ſancti deſcenſionem. Muni animas noſtras & corpora à doloſo illo, ſerpente, qui calcaneum noſtrum obſeruat: vt puri effecti tibi gratè & acceptè ſeruiamus, ſuper ſerpentes, ſcorpiones, omnemque inimici poteſtatem ambulantes, quia omnis gloria, honor & adoratio competit tibi PATRI, & FILIO, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Pax omnibus. Inclinate capita veſtra Domino.

Orat Sacerdos.

Dominum precemur.

Domine Deus noſter, qui nobis humilitatis modum in propria & celſiſsima tua condeſcenſione oſtendiſti, & vltimum ſtatione primum declaraſti, gratos nos fac in mutuo miniſterio, exalta nos diuina humilitate, conſerua à ſordibus puros, lacrymis ſemper ablutos, & purificatricis gratiæ tuæ illuſtratione emundatos, vt ſincerè ſemper tibi prouoluti inueniamus miſericordiam & clementiam in tremendo iudicio.

Ἐκφω-

Ἐκφώνησις.

Ὅτι ἐλεήμων, καὶ φιλάνθρωπος θεὸς ὑπάρχεις. Καὶ μετὰ τὴν ἐκφώνησιν, λεγομένου τοῦ ἱερέως· καὶ ὑπὲρ τοῦ καταξιωθῆναι τῆς ἀκροάσεως τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου ἡμᾶς, κάθηνται οἱ μέλλοντες νιφθῆναι ἐν τοῖς προσεπιμαθεῖσι σκάμνοις. Καὶ τοῦ ἱερέως ἀρχομένου λέγειν τὸ πρῶτον εὐαγγέλιον τοῦ νιπτῆρος· ἵσταται ὁ προεστώς, ποιῶν ὡς περιέχει τὸ εὐαγγέλιον. ὅτι οὖν λέγει, τίθησι τὰ ἱμάτια· ἀποτίθησι καὶ αὐτὸς τὸ μανδίαν. ὅτι δὲ τό, λαβὼν λέντιον διεζώσατο, λαβὼν τὸ σάβανον ζώννυσιν ἑαυτόν. ὅτι δέ, εἶτα βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, βάλλει καὶ αὐτὸς ὕδωρ χλιαρόν. καὶ αὖθις λεγομένου τοῦ, ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, ἄρχεται καὶ αὐτὸς νίπτειν ἀπὸ τοῦ πυλωροῦ μέχρι τοῦ οἰκονόμου, καὶ τοῦ ἐκκλησιάρχου ιβʹ· καὶ ἐκμάσσειν ἑνὸς ἑκάστου τῶν νιπτομένων τοὺς πόδας, καὶ ἀσπάζεσθαι αὐτούς· ὅτι δὲ ἔλθῃ εἰς τὸν οἰκονόμον, τότε ἀναγινώσκει ὁ ἱερεὺς τὸ λοιπὸν τοῦ εὐαγγελίου. Ἔρχεται οὖν πρὸς σίμωνα πέτρον, καὶ λέγει αὐτῷ ἐκεῖνος. Καὶ καθεξῆς πληροῖ τὸ τοιοῦτον εὐαγγέλιον, καὶ ὑπὲρ τοῦ καταξιωθῆναι, καὶ ἄρχεται τοῦ εὐαγγελίου.

Ἐκ τοῦ κατὰ Ἰωάννην ἁγίου εὐαγγελίου.

Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ εἰδὼς ὁ Ἰησοῦς ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ εἰς

Ecphoneſis.

Quia miſericors & Clemens es Deus. Poſt Ecphoneſin, quando Sacerdos dicit; *Et vt digni efficiamur audire ſanctum Euangelium.* Confidentij, quibus lauandi ſunt pedes in ſcamnis ad id diſpoſitis. Et cum Sacerdos primum Euangelium de lotione recitat, adſiſtit præfectus. Et id quod Euangelij verba ſignificant, agit. Quando igitur dicit: *Ponit veſtimenta ſua:* deponit & ipſe mantellum. Quādo vero: *Et cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe:* accipit & ipſe linteum, ac præcingit ſe. Quando vero: *Deinde mittit aquam in peluim:* infundit & ipſe aquam tepidam. Rurſus cum illud recitatur: *Cœpit lauare pedes diſcipulorum;* incipit & ipſe lauare exorſus à ianitore vſque ad Oeconomum, & Eccleſiarcham, qui duodecimus eſt: Et extergere vniuſcuiuſque pedes, ac oſculari. At quando ad Oeconomum venit; tunc Sacerdos reliquam Euangelij partem legit: *Venit ergo ad Simonem Petrum; Et dicit ei, &c.* Et ſic deinceps abſoluit totum hoc Euangelium. Poſtea ait: (Oremus) vt digni efficiamur (audire ſanctum Euangelium.)

Ex Euangelio ſecundum Ioannem.

In illo tempore, *Sciens* IESVS, *quia omnia ei dedit* PATER *in ma-*

nus

τὰς χεῖρας, &c. Καὶ μετὰ τὴν πλήρωσιν τοῦ εὐαγγελίου, ἀποζώννυται ὁ ἡγούμενος τὴν σινδόνα, καὶ περιβάλλεται τὸν μανδύαν. Καὶ σταθέντος εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ, ἐκφωνεῖ ὁ ἱερεύς· καὶ ὑπὲρ τοῦ καταξιωθῆναι ἡμᾶς τῆς ἀκροάσεως τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου. καὶ λέγει τὸ δεύτερον εὐαγγέλιον.

nus, &c. Finito Euangelio deponit Antiſtes linteum, & induit mantellum. Et ſtans in loco ſuo, exclamat Sacerdos: (Oremus) *vt digni efficiamur audire ſanctum Euangelium*: dicitq; alterum Euangelium.

Ἐκ τοῦ κατὰ Ἰωάννην ἁγίου εὐαγγελίου.

Τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ὅτε ἔνιψεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἔλαβε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, &c. μετὰ δὲ τὸ εὐαγγέλιον ὁ ἱερεὺς τὴν εὐχήν.

Ex Euangelio ſecundum Ioannem.

In illo tempore, poſtquam IESVS lauit pedes diſcipulorum, & accepit veſtimenta ſua, &c. Abſoluto Euangelio dicit Sacerdos hanc orationem.

Τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ κατὰ τὸ πολὺ ἔλεός σου κενώσας ἑαυτὸν, καὶ μορφὴν δούλου λαβών. ὁ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ σωτηριώδους, καὶ ζωοποιοῦ σου. καὶ ἑκουσίου πάθους, συνδειπνῆσαι καταξιώσας τοῖς ἁγίοις σου μαθηταῖς, καὶ ἀποστόλοις, καὶ μετὰ τοῦτο λεντίῳ περιζώσας σε αὐτὸν, καὶ νίψας τοὺς πόδας τῶν ἁγίων σου μαθητῶν, ὑπόδειγμα ταπεινοφροσύνης καὶ ἀγάπης τῆς εἰς ἀλλήλους διδοὺς αὐτοῖς, καὶ εἰπὼν, καθὼς ἐποίησα ὑμῖν, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιῆτε εἰς ἀλλήλους, αὐτὸς καὶ νῦν δέσποτα ἐν μέσῳ τῶν σῶν ἀναξίων δούλων, τῶν τῷ σῷ ὑποδείγματι ἐξακολουθησάντων γινόμενος ἀπόσμηξον πάντα σπίλον, καὶ ῥυτίδα τῶν ψυχῶν ἡμῶν. ἵνα ἀπονιψάμενοι τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῶν παραπτωμάτων κονιορτὸν, καὶ τῷ

Dominum precemur.

Domine Deus noſter, qui ſecundum magnam miſericordiam tuam te exinaniſti, & formam ſerui accepiſti, qui ſalutiferæ, viuificæ & voluntariæ paſsionis tuæ tempore cum diſcipulis tuis & Apoſtolis cœnare dignatus, linteo te præcinxiſti, & ablutis diſcipulorum tuorum pedibus, humilitatis & mutuæ charitatis eis exemplum dediſti; dicens; quemadmodum feci vobis, ita & vos faciatis, inuicem; tu, inquam, Domine, adeſto nunc in medio tuorum indignorum famulorum exemplum tuum imitari ſtudentium, & abſterge omnem maculã, & ſordes animarum noſtrarum, vt adhæreſcentem nobis ex delictis puluerẽ abluentes, & linteo cha-

λεντίῳ τῆς ἀγάπης ἐκμάξαντες, δυνηθῶμεν εὐαρεστεῖν σοι πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν, καὶ εὑρεῖν χάριν ἐνώπιόν σου.

Ἐκφώνησις.

Ὅτι σὺ εἶ ὁ εὐλογῶν, καὶ ἁγιάζων τὰ σύμπαντα, Χριστὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν, καὶ σοὶ τὴν δόξαν, &c. Καὶ χρίονται πάντες καὶ χεῖρας, καὶ τὰ πρόσωπα ἐκ τοῦ νήματος. εἶτα εἰς τὸν ναὸν ψάλλοντες τροπάρια.

Ἦχος πλ. β.

Νιφθέντες πόδας, καὶ προκαθαρθέντες μυστηρίου μεθέξει τοῦ θείου νῦν Χριστέ σου οἱ ὑπηρέται ἐκ Σιὼν ἐλαιῶνος μέγα πρὸς ὄρος συνανῆλθον ὑμνοῦντές σε φιλάνθρωπε.

Ὁρᾶτε ἔφης, φίλοι, μὴ θροεῖσθε. νῦν γὰρ ἤγγικεν ὥρα ληφθῆναί με κλασθῆναι χερσὶν ἀνόμων, πάντες δὲ σκορπισθήσεσθε ἐμὲ λιπόντες οὓς συνάξω κηρύξαί με φιλάνθρωπον. εἶτα δίδονται τὸ κατακλαστὸν καὶ γίνεται ἀπόλυσις. καὶ εἰσερχόμεθα εἰς τὴν τράπεζαν ψάλλοντες τὸ, ὑψώσω σε ὁ Θεός μου.

ritatis extergentes, placere tibi omnibus diebus vitæ noſtræ, & gratiam in conſpectu tuo inuenire poſſumus.

Ecphoneſis.

Quia tu es, qui benedicis, & ſanctificas omnia Deus noſter. Et tibi gloriam tribuimus, *&c. Finita precatione vngunt omnes manus & facies ex lotionis aqua. Poſtea ad templum ſe conferunt pſallentes ſequentia troparia.*

Sonus Plagius ſecundus.

Abluti pedibus & participatione diuini myſterij emundati, miniſtri tui Chriſte ex Sion in magnum Oliueti montem exierunt, celebrantes te ô benigne.

Videte, inquiens, amici, ne turbemini. Nūc enim venit tempus, vt cōprehendar, & interficiar manibus iniquorū. Omnes verò diſpergemini, me relicto, quos congregabo, vt benignitatē meā prædicent. Poſtea diuiduntur fragmenta (panis benedicti) & dimittitur populus; Et menſæ accumbimus cantantes illud: Exaltabo te Deus meus, &c.

Notatiuncula.

* Hæc plenius habentur in Typico Sabæ, hunc in modum. καὶ ὅπου λέγει, καὶ ἐκμάσσει τῷ λεντίῳ, ᾧ ἦν διεζωσμένος, καὶ αὐτὸς ἐκμάσσει ἑνὸς ἑκάστου τῶν νιπτομένων τοὺς πόδας, καὶ ἀσπάζεται αὐτούς. Ὅτι δὲ ἔλθῃ εἰς τὸν οἰκονόμον, τότε ἀναγινώσκει ὁ ἱερεὺς τὸ λοιπὸν τοῦ εὐαγγελίου, καὶ λέγει· ἔρχεται οὖν πρὸς Σίμωνα Πέτρον. καὶ λέγει αὐτῷ ἐκεῖνος. τότε οὖν ὁ οἰκονόμος λέγει· Κύριε σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας; ὁ δὲ προεστὼς λέγει.

λέγει. ὁ ἐγὼ ποιῶ, σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι. γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα. ὁ δὲ οἰκονόμος πάλιν. Κύριε μὴ τοὺς πόδας μου μόνον. ἀλλὰ καὶ τὰς χεῖρας, καὶ τὴν κεφαλήν· ὁ δὲ προεστὼς λέγει· ὁ λελουμένος οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι, ἀλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος, καὶ καθεξῆς πληροῖ τὸ τοιοῦτον εὐαγγέλιον.

Μανδύας, μανδύη, μανδύον, eſt *mantellum; mantum* ſeu *mantus*. Germanis Mantel. Veſtis Eccleſiaſtica. Sabanum eſt linteum. Crebrò occurrit in Epiſtolis S. Bonifacij. Victor lib. 3. perſecut. Vandalicæ. *Illà, quibus eum ſuſcipiens de fonte dudum texerat, ſabana baiulabat.*

CAPVT XI.

DE MODO ET RITV QVO IMPERATOR CONSTANTINOPOLITANVS quotannis feriâ quintâ Maioris Hebdomadis duodecim pauperibus pedes abluebat, ex Georgio Codino Curopalata de officiis Aulæ Conſtantinopolitanæ & Magnæ Eccleſiæ.

ΠΡὸ δὲ τῆς λειτουργίας τῆς αὐτῆς μεγάλης πέμπτης, γίνεται ὁ νιπτὴρ οὕτω. προετοιμάζουσι πτωχοὺς δώδεκα, καὶ ἐνδύουσι τούτους ὑποκάμισα, ἤγουν χιτῶνας, κουρτζουβράκια, καὶ παπούτζια. καὶ τεθείσης ἐν τῷ τοῦ βασιλέως κελλίῳ λεκάνης, ὁ πρωτοπαπᾶς ἔξωθεν πρὸς τὴν θύραν ἱστάμενος ποιεῖ εὐλογητὸν, καὶ λέγει τὸ τρισάγιον. ἔπειτα τοῦ εὐαγγελίου ἀναγινωσκομένου παρ' αὐτοῦ, ὅταν εἴπῃ, τὸ ὕδωρ βάλλει εἰς τὸν νιπτῆρα, ἐκχεῖ ἐν τῇ λεκάνῃ τὸ ὕδωρ ὁ βασιλεύς. εἶτα φέρουσι τοὺς προσηλειμαζμένους πένητας· καθ' ἕνα

ANTE liturgiam eiuſdem magnæ quintæ Feriæ hunc in modum inſtituitur pedum lotio. Conducunt duodecim mendicos, eoſque veſtiunt tunicis, tibialibus breuibus, & ſoleis. Poſitaque in conclaui Imperatoris pelui, Protopapa extra ad oſtium conſiſtens canit illud; *Benedictus Deus noſter*, &c. (à quo Græci ſuas preces auſpicantur) cum Triſagio. Deinde inter recitandum Euangelium, quando ad illud peruenit: *Et mittit aquam in peluim*; infundit Imperator aquã in peluim. Poſtea adducunt con-

βαστάζοντα κηρὸν ἁπτόμενον καὶ τούτου μὲν καθίσταντος. τοῦ δὲ πρωτοπαπᾶ, ὡς εἴρηται, τὸ εὐαγγέλιον ἀναγινώσκοντος, καὶ λέγοντος τό. ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς τοὺς πόδας νίπτειν τῶν μαθητῶν, καὶ τοῦτο πολλάκις, μέχρι δηλονότι πάντας νιφθῆναι. νίπτει ὁ βασιλεὺς τὸν δεξιὸν πόδα ἑκάστου, καὶ ἀποσπογγίσας διὰ τῆς κρεμαμένης ἔμπροσθεν τούτου σινδόνος τὸν νιφθέντα πόδα, ἀσπάζεται τοῦτον. καὶ οὕτω γινομένου, τελειοῦται ἡ τοῦ νιπτῆρος ἀκολουθία. δίδονται δὲ καὶ ἑνὶ ἑκάστῳ αὐτῶν ἀνάχρυσα νομίσματα τρία. καὶ μετὰ τοῦτο ἡ λειτουργία.

ſtitutos pauperes ſigillatim, quolibet accenſum cereum ferente: & eo quidem conſidente, & cum Protopapa ex Euangelio legit illud: *Cœpit Ieſus lauare pedes diſcipulorum*, idque ſæpius iterando, donec videlicet omnium pedes abluti ſunt; lauat Imperator dextrũ vniuſcuiuſque pedem, quem pẽdula ante ſe ſindone abſtergens, oſculatur. Quo ita facto, finitur lotionis ſeu Lauipedij ceremonia: Et cuilibet dantur tria aurea numiſmata. Poſthæc inchoatur Liturgia.

Notulæ.

Πατίτζι & πατίτζιον recentioribus Græcis eſt *ſolea, calceus*. Κυρτοβράκια. *curti tubraci*. Iſidorus lib. 19. cap. 22. *Tubraci, quòd à bracis ad tibias vſq; perueniant*. Ad verbum, κυρτοβράκια, ſunt *curtæ bracæ*. Germanicè, Kurtze Hoſen; quia carent tibialibus. Porro de ritu lauandi pedes die Cœnę Domini, legendi ſunt, qui de officiis Eccleſiaſticis ſcripſerunt, vt Alcuinus, Amalarius, Rupertus, Rabanus, & alij, qui olim Colonię vno in volumine editi, & nuper Tomo primo Auctarij ad Bibliothecam SS. Patrum recuſi ſunt; qui etiam explicant morem lauandi eo die altaria, & pauimentum Eccleſiæ, qui mos Græcis itidem vſitatus, vt apparet ex Euchologio Græcorum cap. 144. vbi & illud traditur, ſpongias, ſiue lintea, quibus altare abluitur, purgatur & extergitur, lotione abſoluta, benedictionis loco diſtribui.

CAPVT

CAPVT XII.

Exempla aliorum Regum, Principum & Epiſcoporum, qui Chriſti exemplum imitari voluerunt, tam die cœnæ Domini, quàm aliis anni temporibus.

HELGALDVS Floriacenſis de Roberto Rege Franciæ. *In die cœnæ Domini, non videntibus incredibile, videntibus verò, & ſeruientibus in tali negotio ſatis admirabile, cùm non minus, quam trecenti ipſa die ſua prouidentia congregati, de eius ſancta manu flexo poplite in terram, vnuſquiſque legumen, piſcem, panem, denarium vnum ſumebat in manibus. Et hoc, hora diei tertia: hora itidem ſexta. Itidem centum clericis pauperibus præbendam panis, piſcis, & vini concedebat, duodecim vnumquemque eorum honorans denariis, corde & ore Dauidicos ſemper decantans Pſalmos. Poſt menſam verò præparans ſe ad Dei ſeruitium Rex humilis ponebat veſtimenta ſua indutus ad carnem cilicio, adiunctóque Clericorum collegio centum ſexaginta & eo amplius numero, ad exemplum Domini, eorum pedes lauans, capillis capitis ſui tergebat, & ad mandatum Domini ſingulos eorum duobus ſolidis remunerans, clero præſente, & diacono aſtante, qui lectionem legeret ſecundum Ioannem in cœna Domini dictam, & factam.*

Guillermus de Nangis in Rebus geſtis S. Ludouici Regis Francorum. *Quolibet Sabbato conſueuerat pedes abluere in loco ſecretiſſimo humiliter, & deuotè flexis genibus, trium pauperiorum hominum, ſeniorumquè, qui poterant inueniri: & poſt ablutionem, pedes extergere, & humiliter oſculari. ſimiliter aquam porrigebat eorum manibus abluendis, quas eodem modo oſculabatur. & pòſt, cuilibet certam ſummam denariorum erogabat, & ad comedendum eis ipſemet miniſtrabat. ſi autem propter corporis infirmitatem hæc pietatis obſequia facere non poſſet, volebat quod vita ipſius Confeſſor ſuus, præſente eleemoſynario ſuo, prædicta ſimili modo exequeretur. Cæterum ad laudem deuotæ huius humilitatis ſpectat, quod cum in Sabbato quodam eſſet in Abbatia Cartuallis ablutioni pedum monachorum, quod* mandatum *vocant, voluit intereſſe, videlicet quando ſecundum morem Ordinis poſt veſperas ſolenniter, & deuotè ſibi mutuò lauant pedes, & affuit, & reſpexit. Ipſe verò ex humilitate ſua pluries voluit cappam deponere, & genibus flexis manus apponere ad pedes ſeruorum Dei humiliter abluendos. Sed quia plures magnates non ſibi multum familiares tunc ſibi aſtabant, de conſilio aliquorum ab hoc humilitatis officio ſuperſedit.*

S. Stephanus Rex Hungariæ *nocturnis horis multa alacritate & hilaritate abluebat fidelium pedes, & in ſinu pauperum abſcondebat eleemoſynas,* vt in

eius vita ſcribit Chartuicius Epiſcopus. Ex hoc & priori S. Ludouici exemplo vides hanc Regum pietatem & Chriſti veſtigia ſectandi cupiditatem non fuiſſe circumſcriptam feria quinta ſanctioris ſeptimanæ; ſed ad alia item anni tempora ſeſe extendiſſe: quod ſequentia quoque exempla docent.

De Lothario Saxone Imperatore Chronicum Caſsinenſe lib. 4. cap. 125. *Viduis & orphanis cum Auguſta pedes lauans, tergebat crinibus & oſculabatur; cibum illis ac potum largè diſtribuens.*

Lutherus in Colloquiis ſympoſiacis Titul. de Chriſto. Wann ein groſſer mechtiger Keyſer oder König einem verachten Bettler die Füß wüſche / lieber Gott / wie herꝛlich wurde diſe Demut an ſo einer hohen Perſon gepreiſet vnd gerhümet werden. *Si quis præpotens Imperator aut Rex mendico pedes lauaret, bone Deus, quantis laudibus humilitas tam excelſæ perſonæ extolleretur.*

In Margine additur. Wie der König in Franckreich Järlich am Grünendonnerſtag / vnd Keyſer Carl auch Järlich gethon hat. *Sicut Rex Galliæ quotannis die Iouis ſancto in more habet, itemq; Carolus V. Imperator conſueuerat.* Num & Lutherus, tantus ſcilicet Chriſti imitator, ſimile quid vnquã præſtitit? Si pauperum pedes lauare dedignatus eſt, ſaltem duodecim Prædicantes ad pedilauium ſelegiſſet.

Elzearius Comes Confeſſor clam *leproſorum habitacula inuiſebat, vno tantùm ſocio contentus, ibiq; flexis genibus, eorum abluebat pedes, oſculabatur vulnera, eaq; purgabat & obligabat,* vt eſt in eius Vita Tom. 5. Surij.

Hugo Epiſcopus Lincolnienſis *tredecim pauperibus pedes ſecretius lauare ſolebat,* vt teſtatur qui res ab eo geſtas litteris mandauit.

S. Iuo erat cumprimis miſericors & liberalis, & ad præſtandas eleemoſynas valdè attentus. Ex quo benignitatis fonte manauit, quod etiam alienigenas pauperes, item egenos, mala affectos valetudine, deformes, haud ſecus, atque fratres ſuos humaniter excepit, affabilem, comem, familiarem ſe illis exhibuit, ad menſam ſuam ſibi aſsidere voluit, de cibis ſuis illis appoſuit, lectos apparauit, propriis manibus illorum pedes abluit. Eiuſmodi autem pietatis officiis certas aſsignarat ædes, in quibus iis ſemper vacare poſſet.

His dignitate & auctoritate longe maior erat Leo IX. Pont. Max. & tamen cum in Monaſterio Caſinenſi Sabbato quodam *ingreſſus eſſet* ad *mandatum* (hoc eſt, fratrum Pedilauium) *pedes duodecim Monachis lauit,* inquit Leo Oſtienſis in Chronico lib. 2. cap. 85. *& ipſe viciſsim ab illis lotus eſt.*

Conſtat S. Staniſlaum Martyrem & Epiſcopum Cracouienſem *ſæpe egenis ad menſam ſedentibus, excluſa famulorum opera, ſuis manibus cibum*

&

& potum appoſuiſſe, nouis veſtibus texiſſe, panem fregiſſe, ollas & pocula abluiſſe, non rarò lauiſſe pedes.

S. Vdalricus Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus in Quadrageſima, *Miſſarum celebrationibus expletis, & veſperis decantatis, ad hoſpitiolum pauperum peruenit, & duodecim pauperum pedes lauit, & vnicuique eorum de aceolo pretium vnius denarij donauit.* Et in cœna Domini exemplo Chriſti, pedes ſuorum diſcipulorum lauit: *lauationeq; cum Antiphonis congruentibus & verſibus & lectionibus decentiſſimè peracta, pocula optima in ſuis cellariis recondita, cum magna charitate & humilitate ſufficienter porrexit,* vt ſcribit Auctor incerti nominis in Vita S. Vdalrici.

In Capitularibus Franciciſ, Additione prima ad librum ſeptimũ cap. 23. hæc exſtat ſanctio. *Vt in Quadrageſima, ſicut & in alio tempore, viciſſim ſibi pedes lauent* (Monachi) *& antiphonas huic officio congruentes decantent: In cœna verò Domini pedes fratrum, ſi valet, Abbas lauet, & oſculetur, & poculum porrigat.* Ibid. cap. 24. *Vt mandatum poſt cœnam fiat.*

Can. 20. Synodi Aquiſgranenſis. *In cœna Domini pedes fratrum, poſt mandatum Abbas lauet, & oſculetur.* Et Can. 22. *Vt mandatum, ſi tempus cœnæ eſt, tam fratrum, quàm etiam peregrinorum poſt cœnam fiat. In ſtatutis* Congregationis Caſalis Benedicti non editis Titulus eſt, *De mandato ſiue ablutione pedum*; quæ fiebat cantante choro: *Mandatum nouum do vobis.* Hæc Pithœus in Gloſſario ad Capitularia Francica.

S. Robertus Confeſſor, ex Lotharingiæ principibus oriundus & quondam Bingionum Dux, cuius vitam ſcripſit S. Hildegardis, *teneræ ætatis & nobilitatis ſuæ propter amorem Chriſti oblitus, pedes pauperum multotiens lauit, cibum & potum ipſis appoſuit, ac lectos ſæpius eis ſtrauit, & ſic vſque ad quintum decimum ætatis ſuæ annum Deo fideliter ſeruiuit.*

Gregorius Turonenſis libro de ſanctorum Patrum vita cap. 1. de Romano Abbate. *Factum eſt quodam tempore dum iter ageret ad viſitandos fratres, vt, occupante crepuſculo, ad hoſpitiolum diuerteret leproſorum. Erant autem nouem viri, ſuſceptusq; ab eis ſtatim, plenus charitate Dei, iuſſit aquam calidam fieri, atque omnium pedes manu propria lauit.*

CAPVT XIII.

Exempla fœminarum.

THEODORICVS Thuringus lib. 2. de Vita S. Elizabethæ Landgrauiæ. *Die, qua Domini celebratur Cœna, filia regis, regi, qui ea die ſurgens à cœna poſuit veſtimenta ſua, ſe conformans; precioſas veſtes poſt meridiem exuit, popularisq; religionis indumenta ſuſcepit, incedens humiliter calceis cruri alligatis vtens. Quis vnquam de regis filia*

audiuit

audiuit talia? ſolebat inſuper ea die ſemper ſolenne mandatum Chriſti imitatrix exhibere pauperibus. Duodecim enim pauperum pedes lauit, ſingulis nummos duodecim, pannumq; pro veſtimento, & panem ſimiliaginis tribuens. Collegit præterea anno quodam ipſa die multos leproſos, eorum pedes, manusq; lauans, & in ipſis loca vlceroſa, & horrenda deoſculans, pedibus eorum humillimè ſe proſtrauit. Deinceps vbicunq; tales reperit, aſsidens illis, conſolabatur eos, exhortans eos ad patientiam: nec plus eos, quàm ſanos horruit, largiens eis eleemoſynas abundanter.

S. Hedvvigis Duciſſa Poloniæ *exemplo Saluatoris noſtri, abluentis pedes pauperum diſcipulorum ſuorum non mediocriter incitata, flexis genibus ſæpiſsimè lauabat pauperum pedes aqua calida, quam à miniſtris acceptam famulæ illi offerebant. Nec hoc contenta, lotos eorum pedes, & exterſos linteo, exoſculabatur, itemqúe manus: dataq; illis eleemoſyna, ſemper benè conſolatos à ſe dimittere ſtudebat. In cœna Domini, amore eius, qui propter nos voluit vt leproſus haberi, aliquot leproſorum pedes lauabat, & eoſdem nouis induebat veſtibus.*

S. Brigitta vidua *habebat magnas ædes pauperibus deputatas, & in iis feminas, quæ illorum miniſterio ſemper occuparentur; ſed & ipſa cum multa humilitate non rarò illis inſeruiebat, lauans & oſculans pedes eorum*: vt eſt in eius Actis apud Surium Tom. 4,

Mathildis Regina Angliæ *non horrebat pedes lauare morbidorum, vlcera ſanie deſtillantia contrectare, poſtrema longa manibus oſcula protelare, menſam apponere*: vt ſcribit Malmesburienſis libro quinto, de geſtis Regum Angliæ.

Perpinianus lib. 1. de Elizabetha Luſitaniæ Regina. *Diebus illis Iouis & Veneris quibus vbique repræſentatur ſanctiſsimis ceremoniis mortis Chriſti memoria, ſumebat obſoletas vileſq; veſtes, audiebat concionem, aderat diuinis myſteriis, &c. tum iis, quos inopiæ ſua pudere ſciret, ingentes pecuniæ diſtribuebantur, tum omnes vndiq; Elephantia confectos, cæteroſq; mendicos conuocabat, quos, cùm veſtitum ſingulis præbuiſſet, ornatos & hilares dimittebat: tum imperabat accerſiri feminas aliquot abſumptas elephantia, quibus illa Luſitaniæ Regina, filia clariſſimi Regis, neptis longè clarioris, mater verò maximi, pedes abluebat, deoſculabatur, abſtergebat linteo & quas cæteri non poterant videre quin commouerentur & nauſearent, &c. eas & tractare manibus, & ore contingere non formidabat.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Quid de linteo, quo Chriſtus lotos diſcipulorum pedes terſit, ſcribat Leo in Chronico Caſinenſi lib. 2. cap. 34.

HIs diebus, (nempe anno M. XIII.) *Monachi quidam ab Hieroſolymis venientes, particulam lintei, cum quo pedes diſcipulorum Saluator exterſit, ſecum detulerunt: & ob reuerentiam ſancti huius loci hîc deuotiſſimè obtulerunt VI. idus Decemb. Verùm, cum plurimi fidem derogarent, illi fide praditi particulā ipſam ardentibus imponunt prunis quæ mox in colorē ignis verſa eſt: amotis tamen carbonibus, ad priſtinam ſpeciem mirabiliter rediit. Cumq́ cogitarent, quomodo, vel vbi pignera tanta locarēt; diſpoſitione Dei contigit, vt eodem die mitteretur huc; loculus ille mirificus, vbi nunc condita eſt lintei ipſius particula, argento, & auro, gemmisq́ opere Anglico ſubtiliter acu pulcherrimè decoratus. Ibi ergo, amoto cryſtallo cum omni veneratione locata eſt. Mosq́ eſt, annis ſingulis, ipſo die cœna Dominicæ, ad mandatum Fratrum à manſionariis eam deferri, & in medium poni: duóque ante illam accendi candelabra, & iugiter, donec impleatur Mandatum ab acolyto incenſari. Demum, iuxta finem mandati, à ſingulis per ordinem fratribus flexis genibus deuotiſſimè adorari, & reuerenter exoſculari.*

Solebant etiam veteres inter cætera munuſcula, quæ ſibi mutuò miſsitabant, donare panniculos tergendis pedibus, quos lauerant. S. Bonifacius epiſt. 8. ad Ecberthum Epiſcopum. *Fraternitati tuæ direxi exemplaria epiſtolarum S. Gregorij, &c. & corporale pallium, & villoſam vnam ad tergendos pedes, cum laueris, ſeruorum Dei.* Idem epiſt. 111. ad Danielem Epiſcopum. *Tranſmitto vobis caſulam non boloſericam, ſed caprina lanugine mixtam ad tergendos pedes dilectionis veſtræ.* Idem epiſt. 11. ad Pethelmum. *Parua munuſcula pro indicio charitatis vobis direximus, corporale pallium albis ſtigmatibus variatum, & villoſam ad tergendos pedes Dei ſeruorum.*

CAPVT XV.

Quid Hæretici de cærimonia lauandi pedes ſentiant?

LVTHERVS in *Poſtilla Domeſtica* in Concione, quam *feria quinta* maioris Hebdomadæ dixit, multa de lotione pedum nugatur & calumniatur. *Papa*, inquit, *cum Monachis & Sacerdotibus ſuis cum Regibus & Principibus, hodie etiam pedes lauat.* (agnoſcit ergo Lutherus, à Regibus & Principibus hunc ritum

obſeruari) *Sed eorum humilitas, admodum tenuis humilitas eſt; ſi tamen humilitatis nomen meretur.* (ſcilicet Lutherus eſt Scrutator renum & cordium, nouitque exactiſsimè, cum quanta humilitate lotio pedum à quolibet *Papa, Monacho, Sacerdote, Rege* & *Principe* peragatur. Tu quis es, qui alienum ſeruum iudicas, & quidem de abditis & abſtruſis?) *Nam multi reperiuntur, qui Conuentualibus, Capitularibus & ſubditis tanta humilitate pedes lauant; vt poſtea ſuperbiam, in lotione pedum commiſſam, confiteri cogantur.* (Videtur Lutherus alios, ex ſuo ingenio æſtimare; & vitia ſua immerentibus adſcribere. Forſan ipſe tali humilitate cum *Prior* & *Vicarius* in ordine ſuo eſſet; ſuorum pedes abluit, de qua poſtea in Confeſſione ſeſe accuſare debuerit.)

Dic, quæſo, quæ eſt hæc humilitas, aut quid prodeſt alteri, ſi ei pedes lanes? Idem de Chriſto quærere poterit Lutherus, ſi lubeat. & cur non luberet? Quæ nam hæc Chriſti humilitas, veſtimenta ponere, linteo ſe præcingere, aquam in peluim mittere, pedes abluere, & dein abſtergere & tergere? Quid hæc lotio diſcipulis profuit? Si lauare pedes ſubditorum & pauperum non eſt humilitatis argumentum, neque quidquam iis, qui lauantur, emolumenti adfert; cur Chriſtus diſcipulos ſuos, & in his omnes Chriſtianos ad imitationem prouocauit? *Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius pedes lauare: Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Certè iniurioſus in Redemptorem noſtrum fuerit, qui eum ſuos ad otioſam & infructuoſam actionem inuitaſſe affirmauerit. At Lutherus Pontificibus, Epiſcopis, Regibus & Principibus longè aliam pedum lotionem oſtendit: videlicet, *vt ſubditos ab Idololatriæ vinculis exſoluant, & in vera fide inſtituant.* Sed vt hoc faciendum, ita & illud non eſt omittendum; quandoquidem Chriſtus etiam propriè dicti & corporalis pedilauij exemplum dedit. At video quid Lutherus *idololatriæ* & *veræ fidei* vocabulo intelligat: nimirum, euerſionem Catholicæ religionis, & introductionem hæreticæ perfidiæ. Quæ prorſus eſt admiranda lotio pedum, nullo verbulo à Chriſto inſinuata, multoque minus iuſſa.

In Papatu, inquit Lutherus, *nominant hanc cæremoniam* Mandatum, das iſt auff Teutſch ſo vil/als ein Befelh oder Gebott. *Sed Chriſtus non intelligit ipſum lauandi opus. Licet enim dicat:* Et vos debetis alter alterius lauare pedes: *ſtatim tamen quo intellectu id dixerit, explanat:* exemplum enim dedi vobis, vt faciatis, quemadmodum ego feci. Amen amen dico vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Mirabilem profectò oportet eſſe Lutheri Dialecticam, quæ ex his Chriſti verbis euincere velit, exemplum à Chriſto diſcipulis datum, nil penitus ad externam lotionem

nem ſpectare. Nam Chriſtus ita argumentatur. *Ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter veſter; ergo & vos debetis alter alterius pedes lauare.* At Lutherus argumentationem hoc modo inſtituit; *Chriſtus Dominus & Magiſter lauit pedes Diſcipulorum ſuorum; ergo ipſi ſibi mutuò non debent lauare pedes.* Probatur conſequentia. Quia Chriſtus dixit: *Et vos debetis alter alterius pedes lauare.* Quæ verba cum ſint affirmatiua, Lutheri tamen animo tanquam negatiua, negant.

Item Chriſtus dicit: *Exemplum enim dedi vobis.* Cuius obſecro rei? An non eius, quæ proximè anteceſſerat & geſta fuerat? An non eius, quàm proximè antegreſsis verbis indicauit? *Et vos debetis alter alterius pedes lauare.* Si ergo huius rei, hoc eſt, lotionis pedum, nobis exemplum dedit; quæ veſania eſt, ex his verbis concludere velle; exemplum Chriſti nullo modo ad externam pedum lotionem ſpectare?

Obiicit Lutherus. *Chriſtum dediſſe exemplum humilitatis, & moderationis; & hoc indicare voluiſſe; vt quò quis eſt ſublimior, eò ſubmiſſius ſe gerat.* Nemo hoc abnuit: interim tamen externum quoq; lotionis opus, tanquam internæ ſubmiſsionis & moderationis luculentum ſymbolum, commendauit & imitandum nobis propoſuit: quod tam perſpicuum eſt, vt nullis vaniloquentiæ nebulis inobſcurari queat. Non obſtamus, quò minus pedum lotio myſticè & allegoricè explicetur; isque proximi pedes lauare dicatur, qui in illum eſt beneficus & munificus; ſed non propterea patimur, vt ipſum opus *Pedilauij* corporalis negligatur, vel exterminetur. Et ſi adeo nullius eſt momenti ac ponderis; cur Apoſtolus à vidua in Diaconiſſam eligenda quæri iubet, num Sanctorum pedes lauerit? Cur Chriſtus cum Phariſæo Luc. 7. tantum nõ expoſtulauit, quòd ſibi ad pedes abluendos aquam non præbuerit? Cur Abraham, Loth, alij, laudantur, qui peregrinorum pedes lauerunt, vel lauandos curarunt, ſi in hac externa lotione nihil momenti ineſt?

Non agitur, inquit Lutherus, *de externa pedum lotione; alioqui non tantum duodecim Diſcipulis, ſed omnibus omnino hominibus pedes lauare oporteret: meliusq; foret, integrum balneum toti corpori abluendo adornare, quàm ſolummodo pedilauium præparare.* Sed hæc inanis linguæ crepitacula ſunt: nam Abraham, Loth, & alij laudantur, licet non omnium, ſed quorundam duntaxat pedes lauerint, vel lauandos procurauerint; & quidem ſolos pedes; nam nec Abraham, neque Loth hoſpitibus integrum balneum obtulit. Neque S. Paulus in vidua conſiderari iubet, num omnium Sanctorum pedes lauerit; ſed num *Sanctorum*; quod verum, licet non omnium; ſed aliquorũ ſolummodo pedes lauentur; Nec iubet, vt perpendatur, num *balneum* ſanctis apparauerit: ſed num *pedilauium.*

Monuimus tamen ſuprà, non eſſe ſimpliciter præceptum de lotione pedum, ita vt ſi omittatur, peccati maculam quis contrahat. Quâ obſeruatione Lutheri cauillationes diſpelluntur, ſimulque ſatisfit iis, quæ Origenes in cap.13. Ioannis hac de re diſputat; qui vt & Hom.6.in Iſaiam totum hoc Chriſti in pedum lotione datum exemplum, ad myſticum ſenſum reuocat. *Vide verò, inquit, an non etiam operoſum ſit cuilibet diſcipulo volenti implere mandatum dicens*; & vos debetis alij aliorum lauare pedes: *ſi velit corporales ac ſenſibiles fratrum pedes lauare, ceu opus debitum, vt fideles in quouis vitæ genere exiſtentes hoc faciant; ſiue qui videntur eſſe in ſublimitate Eccleſiaſtica Epiſcopi & Presbyteri, ſiue in quibuſdam aliis mundanis dignitatibus.* Nemo dicit, opus hoc abſolutè præceptum fuiſſe, ita vt peccato ſe obſtringat, qui ſecus agit. Exemplum monitumq; Chriſti eò tendit, vt cùm quis commodè poteſt, fratribus, præſertim peregrinis, hoc charitatis obſequium præſtet.

Pergit Origenes. *Adeo, vt hanc ob cauſſam Dominus quoque veniat ad lauandos ſerui credentis pedes; & parentes filij: qui mos quidem erat; ſed nunc non fit, niſi ſupra modum rariſſimè, & apud admodū ſimplices, ruſticioresq́.* Forſan ideo, quia talium eſt regnum cœlorum. Interim obſerua, morem fuiſſe, teſtante Origine, vt Domini ſeruorum, & parentes filiorum pedes lauarent.

Porrò Origenem ipſum morem lauandi pedes probaſſe, tantumque hoc voluiſſe, non eſſe ſimpliciter præceptum de lotione pedum à Chriſto datum, manifeſtum fit ex his eius verbis. *Quod huic quidem aliquando conueniat lauare pedes illius diſcipuli Ieſu, aliquando ſuos ab ipſo lauandos præbere, vt illi ob charitatem & comitatem beneficium conferat; huic ſe exhibeat; etiam ipſe fateor.* Idem Origenes Homil.7. in Iſaiam ita probat verbis illis: *Et vos debetis alter alterius pedes lauare*: non contineri præceptum: *Si hoc eſt, quod dicitur,* (hoc eſt, ſi iſtis verbis præceptum continetur) *nemo veſtrum mandatum ſeruabit: nemo enim quibuſcunque venientibus aſſumens linteum Diaconus vel Presbyter ſiue Epiſcopus lauat pedes.* Fatemur, non eſſe generale præceptum: Nihilominus, ſi quis rerum circumſtantiis exigentibus id faciat, exemplo & monito Chriſti cōuenienter agit: nec neceſſe eſt, vt omiſſo literali ſenſu, neglectaque ipſa corporali lotionis actione ad ſolas allegorias, tametſi probas & vtiles, confugiamus Hactenus de Origene.

Nunc ad Sectarios reuiſamus. Ex quorum numero Loſsius in cap.13. *Monachorum primores ſemel in anno ridiculè ſuorum pedes, antea bene lotos, non lauant, ſed lauare ſe ſimulant, quaſi eo facto probè Chriſti exemplo & iuſſui reſpondeant.* Etiam Chriſtus lauit diſcipulorum ſuorum pedes paulò antea lotos, vt vult Ioſephus Burdo Caluinianus, ſemel ante, eſum

eſum Agni Paſchalis; ſecundò, ante àzyma & intyba, quæ ſecundarum menſarum vicem ſubibant; Nec deſunt alij, etiam ex Nouatorum caſtris, qui Chriſti lotionem dicant fuiſſe ſecundam, tametſi id alia quadam ratione, quam Burdo, factum affirment; vt ſupra vidimus: Et tamen Chriſtus non ſimulatè, ſed admodum ſeriò diſcipulorum pedes lauit. Et Monachos ſeu Monachorum Antiſtites hoc charitatis officium ſeriò, non ſimulatè obire; teſtantur eorum Regulæ, & exempla iam antea allata. Nec ſcio, cur lotionem illam interpretetur Loſsius *hypocriſin*, niſi quia aliorum pectora, etiam caudida & ſincera, hypocritico ſuo corde metitur.

Nunc impetum facit Loſsius in Romanum Pontificem; *Romanus ille Pontifex, qui ſe ſeruum ſeruorum Dei vocat, hoc ſibi reuerentiæ & ſubiectionis, etiam à Regibus & Imperatoribus deberi credit, vt pedes ipſius deoſculentur Quando verò ſeruus ille ſeruorum Dei ad pedes ſubditorum, exemplo Chriſti, ſeſe ſubmittet, qui etiam in humeros eorum, qui ſanguine Chriſti redempti ſunt, portandus aſcendit?* Admodum, vt video, peregrinus eſt iſte Prædicans in Hiſtoria Pontificum; aliâs non quæreret, quando Romanus Pontifex ad ſubditorum pedes lauandos ſeſe abiiciat. Audi ergo, Prædicans, quid Joannes Antonius Gabutius de Pio V. Pontif. Max. lib. 6. cap. 11. vitæ Pij, ſcriptum reliquerit.

Die cœnæ Dominicæ ſacro de more aliorum Pontificum (En mos lauandi pauperum pedes die cœnæ Domini, communis eſt omnibus Romanis Pontificibus) *tredecim pauperibus, ſingulari eius, cuius vices agebat in terris, exemplo, pedes non modo procumbens lauare, ſed etiam exoſculari conſueuerat. Inter hæc aliquando multis eximio virtutis documento fuit, cum fœdo vlceri, quo ex ipſis egenis vnus laborabat in pede, in gratiam eius, qui animarum noſtrarum ſordes lauit in ſanguine ſuo, ſacrum oſculum infigere talis, ac tantus Princeps non exhorruit, quæ res inſpectantium animos ita permouit, vt pia corda præ admiratione à lachrymis temperare nequiuerint. In iiſq; vir Princeps effuſius collacrymans, edixit: ſi coram vniuerſis hominibus hoc edi poſſet exemplum, fieri non poſſe, quin vel peruicaces hæretici ad Catholicæ veritatis cultum conuerterentur.*

Mirum autem, quàm acrem in nares bilem oſculatio pedum Pôtificiorum ſemper Prædicantibus concitet, cum totus ille honor Chriſto potius, quam Pontifici deferatur. Olim, ſtante Imperio Côſtantinopolitano, cum Imperator crearet *Deſpotam, Sebaſtocratorem* vel *Cæſarem* candidatus huius dignitatis, pedi Imperatoris oſculum ferebat. ὁ δεσπότης, τὸν τοῦ βασιλέως ἀσπάζεται πόδα, *Deſpota Imperatoris pedem oſculatur*, inquit Georgius Codinus Curopalata in libro de officiis Aulæ Conſtantinop. idemque faciebat iam recens creatus Sebaſtocrator & Cæſar, quandoquidem inauguratio vtriuſque eodem prorſus

ſus modo peragitur, quo Deſpotæ. ἡ τοῦ σεβαστοκράτορος καὶ τοῦ καίσαρος προσκύνησις ἀπαραλλάκτως, ὡς καὶ ἡ τοῦ δεσπότου γίνεται.

Idem Auctor deſcribens officium & ritus feſti Paſchæ, ſeu Reſurrectionis ita ſcribit. Οἱ δ᾽ ἄρχοντες πάντες εἰσερχόμενοι ἕκαστος μέχρι καὶ τοῦ ἐσχάτου ἀσπάζονται πρῶτον μὲν τὸν δεξιὸν πόδα τοῦ βασιλέως, εἶτα τὴν δεξιὰν χεῖρα, καὶ μετ᾽ αὐτὴν τὴν δεξιὰν αὐτοῦ παρειάν. εἰ δὲ ἐν ᾧ τόπῳ εὑρίσκεται τότε ὁ βασιλεύς, ἔνι καὶ ὁ ποτεστάτος τῶν ἐν τῷ Γαλατᾷ Γεννουιτῶν, εἰσέρχεται, καὶ ἀσπάζεται καὶ οὗτος μετὰ τῶν σὺν αὐτῷ τὸν βασιλέα, καθὰ καὶ οἱ ἄρχοντες, ὡς δεδήλωται, ἤτοι τὸν πόδα, τὴν χεῖρα, καὶ τὴν παρειὰν αὐτοῦ. *Omnes principes ad nouiſsimum vſq; accedentes oſculantur primò quidem dextrum Imperatoris pedem, deinde dextram manum, & poſtea dextram eius genam. Si autem tum adſit poteſtas,* (hoc eſt, Dux & Rector) *Genuenſium qui in Galata habitant, oſculatur & iſte cum ſuis Imperatorem, ſicut & principes, nimirum pedem, manum & genam eius.*

Inter cætera capita perpetuæ pacis cum Genuenſibus à Michaële Palæologo, erat etiam vnum de honore Imperatori à Genuenſibus habendo: ἵνα ὅταν δηλονότι ὁ ποτεστάτος ἔλθῃ ἐκ Γεννούας, ἀρχὴν καὶ μόνον εἰσερχόμενος εἰς τὴν τοῦ βασιλέως προσκύνησιν, γονατίζῃ δεύτερον, ἅμα τῷ εἰσελθεῖν δηλονότι τὴν τοῦ τρικλίνου θύραν, κατὰ τὸ μέσον αὐτοῦ. καὶ μετὰ τοῦτο προσέρχεται, καὶ ἀσπάζεται τὸν τοῦ βασιλέως πόδα καθημένου ἐπὶ θρόνου, καὶ τὴν χεῖρα. ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ ἄλλοι τῶν Γεννουιτῶν ἄρχοντες ἐρχόμενοι ἐξ ἀποδημίας, προσκυνοῦντες ἀσπάζονται τὸν τοῦ βασιλέως πόδα, καὶ τὴν χεῖρα. *Quando nouus præſes Genua aduenit ad Imperatoris venerationem admiſſus, bis genua flectit; primum ſimul ac Triclinium ingreditur: ſecundo, in medio eius. Poſtea accedit, & oſculatur pedem & manum Imperatoris ſedentis in throno. Pari modo alij quoq; Genuenſium Principes peregrè aduecti oſculantur Imperatoris pedem & manum.*

Hæc & ſimilia cum Prædicantes Conſtantinopolitanis Imperatoribus exhibita vel legunt vel audiunt; frontem non corrugant, multoque minus linguas in maledicta ſoluunt; quin potius, *bonum factum* acclamant. At ſimul ac Pontificis Romani pedes oſculis affectos legunt; Enimuero iam patientia fit furor, ſuique impotentes nec linguam nec calamum amplius continere valent, ſed in mille maledicta & conuicia impotentiſsimè prorumpunt, cum tamen ipſi, ſi quando Conſtantinopolim veniunt, Turcici tyranni veſtem oſculari non refugiant, vt fecit Lutheranus Prædicans Gerlachius; haud recuſaturi, imò ingentis beneficij loco reputaturi, ſi ad oſculum pedis admitterentur.

CAPVT

CAPVT XVI.

Quid Lucas Tudenſis de lotione pedum ſcripſerit.

VENERVNT ad manus meas libri tres Lucæ Tudenſis, qui ſub Gregorio IX. Pontif. Max. floruit, contra Hæreticos Albigenſes; in quorum altero ita de lotione pedum ſcribit. *Quædam ſunt alia pietatis opera, quæ dicuntur Sacramentalia, vt eſt ablutio pedum, quam Dominus non ſolum præcepto docuit, verum etiam opere adimpleuit, &c. Sed illa pedum ablutio non inter præcipua computatur Eccleſiæ Sacramenta,* quia tantum per eam venialium indulgetur venia peccatorum & humilitatis obſequia commendantur. Teſte namque domino, qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet, ac ſi diceret: qui mundus eſt à maioribus delictis, vt perfectus ſit, abluatur etiam à ſuperfluis cogitationibus, ocioſis ſermonibus & minoribus culpis. Quia dum ſancti in vita præſenti degunt, difficillimum eſt, ita cautè viuere, quin ſaltem tenui venialium puluere reſpergantur. Pes enim cum per terram graditur, ipſius terræ vel atomis in toto, aut in parte reſpergitur. Qui niſi abluatur, frequenter, paruiſsimi pulueris ſordidatur reſperſione frequenti. Non ſunt ergo minima negligenda peccata, quæ plerumque contemptum generant, qui ducit ad mortem. Vnde ſapientia dicit: qui minima negligit, paulatim decidit: & Auguſtinus. Vitaſti grandia, vide ne ſubruaris arena. Non eſt deſpiciendus medicus, qui minoribus ſubuenit morbis, ne inde maiora ſequantur. Amplectamur huius cœleſtis medicaminis Sacramentum, quo ipſa minima peccata noſtra, licet ſint multa, lauantur. Nullus ſpernat medicinam, qui ſe nouit infirmum. Nullus ſpernat hoc Sacramentum, qui ſe peccatorem fatetur. Niſi enim nos diuina miſericordia lauerit, quorum iuſtitia, vt ait Propheta, eſt ſicut pannus menſtruatæ, non habebimus partem cum domino in regno mundiciæ claritatis illius. Hæc Lucas Tudenſis.

Ioan 13. 10.

Eccleſ. 19. 1.

Iſa. 64. 6.

Ex cuius ſententia ablutio pedum reputari debet pro Sacramentali ad expiationem peccatorum venialium inſtituto. Cui multum fauet S. Cyprianus Serm. de ablutione pedum, vbi dicit, eam valere pro *quotidianis exceſsibus expiandis.* Et quidem lotionem illam pedum, quam Chriſtus lauandis diſcipulorum pedibus peregit, talem fuiſſe; admodum veriſimile eſt, ob illud Domini dictum: *Qui lotus eſt, non indiget, niſi vt pedes lauet,* id eſt, inordinatos affectus, quibus etiam ſancti quotidie delinquere ſolent. Idem forſan non improbabiliter aſſeri.

poſſet de illa, quæ olim ſtatim à baptiſmo fiebat, vt ſupra ex S. Ambroſio audiuimus: Et de illa, quæ quotannis, ſaltem alicubi locorum, tanquam ſacra cæremonia in locis ſacris ſolenniter inſtitui ac obiri conſueuit: nam quæ quotidie erga hoſpites & egenos exercetur vel exerceri poteſt, humanitatis ac charitatis ſolummodo teſtis & index eſſe; nec vt ſacra cæremonia, ſed vt beneuolentiæ declaratio exhiberi & ſuſcipi videtur.

Vocatur aliquando à Patribus Sacramentum & myſterium, non quòd ſit propriè dictum Sacramentum; quia non eſt practicum ſignum gratiæ ſanctificantis, quæ in ipſo lotionis vſu vtenti præbeatur; ſed lata & laxa notione; quia eſt ſignum eius ſanctificationis, qua in baptiſmate homo donatur, & eius itidem, qua ad Euchariſtiam accedendum eſt. Quapropter non immeritò Baptiſmi & Euchariſtiæ Sacramentale nominatur. Eſt itidem ſignum expiationis & expurgationis leuiorum delictorum ſiue conferendo illam, vt probabile cenſeo de lotione Ioan. 13. & quæ ſolenniter in Eccleſia inſtitui ſolet; ſiue duntaxat illam ſignificando, tanquam quotidie à nobis procurandam per orationem, ieiunia, humilitatem & alia pietatis exercitamenta. Eſt etiam ſignum ſacræ rei; quia charitatis, & humilitatis tam noſtræ in proximos, quam Chriſti olim in ſuos diſcipulos argumentum eſt; & quaſi imago quædam repræſentans & ſubiiciens oculis & mentibus noſtris ſanctiſsimam illam Chriſti actionem, quæ à S. Ioanne cap. 13. deſcribitur. Legatur Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 24. & Gregorius de Valentia Tom. 4. Diſp. 3. q. 6. p. 2.

PARALIPOMENA PRO LIBRIS DE SACRIS PEREGRINATIONIBVS ET PROCESSIONIBVS.

ANte quatuor annos euulgaui quatuor libros dę ſacris peregrinationibus: Et duos de proceſsionibus. Interea dum varios Auctores percurro, varia itidem occurrerunt, quibus argumentum iſtud vberius ac locupletius effici poteſt. Ea hîc annotare viſum, vt aliquando propriis locis inſerantur. Nihil in hoc ſtudiorum genere, quod ex multiplici lectione pendet, ſimul naſcitur & perficitur. Si vſpiam verum eſt priorem diem eſſe poſterioris diſcipulum, hîc vel maximè verum eſt. At nunc prætermiſſa vide; Et qui libros de peregrinationibus & proceſsionibus legis, hæc etiam legere ne graueris.

Pag. 15. v. 25. *amplexu.*

Locus illuſtris de frequentia peregrinationis Hieroſolymitanæ eſt apud Euſebium lib. 6. de præparatione Euangelica cap. 18. vbi de Monte Oliuarum ſpiritaliter intellecto differens, illud Ezechielis cap. 10. oraculum: *Et eleuauerunt Cherubim alas ſuas, & rotæ, quæ eis adhærebant, & gloria Dei Iſraël erat ſuper eis, & aſcendit gloria Domini de medio ciuitatis; & ſtetit in monte, qui eſt contra ciuitatem:* explicans, poſtea ſubdit: ὅπερ δεῖ καὶ ἄλλως πρὸς λέξιν ὁρᾶν πεπληρωμένον εἰσέτι καὶ σήμερον, τῶν εἰς χριστὸν πεπιστευκότων ἁπάντων πανταχόθεν γῆς συντρεχόντων, οὐχ ὡς πάλαι τῆς κατὰ τὴν ἱερουσαλὴμ ἀγλαΐας ἕνεκα, οὐδ᾽ ὥστε προσκυνῆσαι ἐν τῷ πάλαι συνεστῶτι ἐπὶ τῆς ἱερουσαλὴμ ἁγιάσματι, καταλύειν δὲ ἕνεκεν ἱστορίας τε ὁμοῦ τῆς κατὰ τὴν προφητείαν ἁλώσεως καὶ ἐρημίας τῆς ἱερουσαλὴμ, καὶ τῆς ἐπὶ τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν τὸ κατέναντι ἱερουσαλὴμ προσκυνήσεως, ἔνθα ἡ δόξα κυρίου μετέστη καταλείψασα τὴν προτέραν πόλιν. ἑστῶσι δὲ ἀληθῶς καὶ κατὰ τὴν πρόχειρον καὶ ῥητὴν διήγησιν οἱ πόδες τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν, αὐτοῦ δὴ τοῦ λόγου, δι᾽ οὗ ἀνείληφεν ἀνθρωπείου σκήνους ἐπὶ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν πρὸς τῷ αὐτόθι δεικνυμένῳ σπηλαίῳ εὐξαμένου τε, καὶ τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας τοῦ τῶν ἐλαιῶν

ὅρους τὰ περὶ τῆς συντελείας μυστήρια παραδεδωκότος, ἐντεῦθεν δὲ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον πεποιημένου. &c.

Quod quidem aliter quoq; licet intueri impletum ad verbum, quando hodie quoq; omnes, quicunq; Chriſti religionem cum fide ſuſceperint, ex omnibus terræ partibus concurrunt, (en frequentem ad ſacra Hieroſolymorum loca concurſum Chriſtianorum) *non vt veterem Hieroſolymitanæ vrbis ſplendorem contemplentur, neq; vt adorent in eo, quod olim Hieroſolymis erat, ſanctuario, ſed eò tendunt, tum vt oculis vſurpent eam, quæ à Prophetis prædicta eſt, Hieroſolymorum vaſtatio & deſolatio, tum vt in Monte Oliuarum, qui eſt contra Hieruſalem, adorent, quo gloria Domini, relicta priore ciuitate, tranſlata eſt. Verè autem, etiam ſecundum literalem ſenſum pedes Domini & Saluatoris noſtri, ipſius vtique Dei Verbi, per id quod aſſumpſit humanum corpus, in monte Oliuarum ſteterunt ad ſpeluncam, quæ ibi oſtendi ſolet.* (ergo loca tactu Chriſti ſanctificata peregrinis oſtendebantur tempore Euſebij) *cum & in illo Monte orauerit, & inde in cælum aſcenderit,* &c.

Pag. 33. v. 13. *inimicis.*

Euthymius ſub Traiano Imperatore in Melitene Armeniæ Metropoli natus, Hieroſolymã profectus'eſt, *καὶ ἔν τινι τῶν κατ' ὄρος σπηλαίων μετὰ τοῦ ὁσίου Θεοκτίστου συνδιαιτᾶται.* Menolog. Græcorum die 20. Ianuarij.

Pag. 28. v. 2. *vixiſſe.* Adde.

Euſeb. lib. 7. demonſt. Euang. cap. 2.

Ad hunc Origenis locum reſpexiſſe videtur Euſebius; quando hæc ſcripſit. *καὶ εἰς δεῦρο δὲ οἱ τὸν τόπον οἰκοῦντες, ὡς ἐκ πατέρων εἰς αὐτοὺς κατελθούσης παραδόσεως τοῖς τῶν τόπων ἱστορίας χάριν εἰς τὴν Βηθλεὲμ ἀφικνουμένοις μαρτυροῦσι, τῶν λόγων πιστούμενοι ἀλήθειαν, διὰ τῆς τοῦ ἄντρου δείξεως, ἐν ᾧ τεκοῦσα ἡ παρθένος κατατέθειται τὸ βρέφος. Ad hæc vſq; tempora, qui locum illum incolunt, tanquam à maioribus ad ſe deriuata traditione, hi, qui locorum viſendorum & luſtrandorum gratia in Bethlehem ventitant, pro teſtimonio ſunt rerum veritatem confirmantes, oſtenſo agro, in quo puerpera virgo infantem depoſuit.* Hæc Euſebius ſub Cõſtantini Magni Imperio. Qui de profectione & peregrinatione Bethlehemum non loquitur, vt de re tum primum, Conſtantino Imperante, cœpta, ſed vt de antiquitus iam in vſu & more poſita; nam notitiam loci, velut per traditionem à maioribus ad minores deſcendiſſe dicit. Erat ergo etiam ante Conſtantinum locus notus: Quis dubitet, quin aditus quoque & cultus; nam aditio & veneratio potiſsimum memoriæ conſeruandæ ſeruiebat. Nec poſteri ſolam loci notitiam ex traditione progenitorum hauſiſſe cenſendi ſunt, ſed & conſuetudinem oſtendendi loci peregrinis, Bethlehemum tanti ſpectaculi propius contemplandi gratia profectis.

Fol. 52.

Fol.52.v.10.*abſportata.*

Non abſimilem viuendi rationem inſtituit in monte Olìueti Melania Iunior, de qua paulò ſupra: Curauit enim in monte Olìueti exiguum domicilium ſibi exſtruendum: *Cum fauſtum autem accepiſſet principium diem luminum,* hoc eſt, feſtũ Theophaniorum, ſeu, vt nos appellamus, Epiphaniæ; *ſeipſam includit in domuncula, & legem ſibi imponit, vt aliorum quidem nullum neq; videat, neq; ab vllo videatur: à matre autem, & ab eo, qui olim coniugij, tunc verò erat laborum ſocius, ſpatio quinq; dierum ſemel videretur; & ſimiliter ſui aſpectum non denegaret conſobrinæ. Eam enim iam diu ante in ſuam diſciplinam acceptam erudiebat, plenamq́; faſtu, & Romano ſpiritu, ad extremam deduxerat modeſtiam; & ſic effecit, vt ſummum magis apprehenderet. Hanc longè laborioſiſſimam vitam dicunt fuiſſe Melaniæ ad annos XIV. Deinde, cum mater ei emigraſſet, illa cum ei iuſtù factù ipſam honoraſſet, & corpus compoſuiſſet, in altera domuncula annum tranſegit, quæ carebat luce, & aliòqui erat priori ſimilis, in qua producebat luctum, & exercitationem, & ieiunium. Poſtea autem cum fama in omnem partem peruaſiſſet, & multi ad eam ventitarent, ab ea quoq; factum eſſet cœnobium plus quam nonaginta Virginum,* &c. Vide Vit. Melan. Tom. 1. Surij.

De eiuſdem Melaniæ erga ſacra terræ ſanctæ loca affectu hæc ĩdem ſcriptor. *Cum conualuiſſet à corporis infirmitate,* (in AEgyptiaco itinere contracta) *& Dominico ſepulcro recuperatam ſanitatem primo obtuliſſet, & ad id primò acceßiſſet, idq́; adoraſſet, de cætero oculos, & animum paſcebat aliis ſpectaculis. Verſabatur autem cum iis, qui ex ſacerdotibus erant maximè inſignes, & maximè cum iis, qui in dicendo erant ſapientiſſimi, vt etiam vtilitatem ex eis perciperet,* &c. *Cum aduentaſſet autem veſpera, ingrediebatur quidem in ſalutare ſepulcrum reſurrectionis: clauſo verò templo, manebat intus, & oratio noctu ab ea tandiu producebatur, donec ingreßi eſſent matutina cantaturi cantica. Poſtquam autem finem acceperat glorificatio, tunc ipſa quoq; corpus parum dabat ſomno, & quieti.* Cumque finem vitæ inſtare cerneret, de integro ſacra *Hieroſolymorum loca, & Bethlehem, & Galilaam, & omnia in orbem circuibat; Cumque Natalis Seruatoris appeteret ad præſepe cucurrit & ſpeluncam, & cum tota nocte illic vigilaſſet in ſpelunca, die ſequenti vadit ad Ædem primi Martyris,* nempe S. Stephani, & ibi noctem tranſegit; nec diu poſt, viuendi finem fecit: quæ & prius quam Hieroſolymam veniret; dicere conſueuerat: *Oportere ad ſacra loca accedere, videre Hieroſolymam, obire & adorare omnia, quæ illic ſunt miracula.*

Pag.61.v.2.*Cœnobiarcha.*

Ioannes Patriarcha Hieroſolymitanus in vita S. Ioannis Damaſceni. *Hieroſolymam profectus cum in his venerandis locis adorationis munere, vt par erat, perfunctus fuiſſet, tanquam ceruus, diuina ſiti flagrans, in ſolitudinem*

contendit,&c. Petrus Telonarius ſub Iuſtiniano Imp. Hieroſolymam abiit, pœnitentiæ cauſſa, vt in Menolog. Græcorum ſcriptum eſt.

Theophanes & Theodorus cognomento γραπτοὶ, quòd Theophilus Imp. Iconomachus eorũ frontes ſtigmatibus inuſsiſſet, Hieroſolymam & alia ſacra loca Palæſtinæ; religionis ergo petiuêre, vt intelligitur ex Iambis, quos eorum frontibus Theophilus incidendos curauit; in quibus mentiebatur, duos iſtos ſanctitate & orthodoxia præſtãtes fratres, flagitioſè in locis ſanctis ſe geſsiſſe. Audi Theophili Iambos, quos Cedrenus in Compend. Hiſtor. λήρους nominat.

Πάντων ποθούντων προστρέχειν πρὸς τὴν πόλιν
Ὅπου πάναγνοι τοῦ θεοῦ λόγου πόδες
Ἔστησαν εἰς σύστασιν τῆς οἰκουμένης.
Ὤφθησαν οὗτοι ἐν σεβασμίῳ τόπῳ,
Σκεύη πονηρὰ δεισιδαίμονος πλάνης,
Ἐκεῖσε πολλὰ λοιπὸν ἐξ ἀπιστίας
Πράξαντες αἰσχρὰ δεινὰ δυσσεβόφρονως.
Ἐκεῖθεν ἠλάθησαν ὡς ἀποστάται.
Πρὸς τὴν πόλιν δὲ τοῦ κράτους πεφευγότες,
Ὅθεν χαραχθέντες ὡς κακοῦργοι τὴν θέαν,
Κατακρίνονται, καὶ διώκονται πάλιν.

Cunctis ad vrbem accurrere cupientibus,
Caſtiſsimos in qua DEI *Verbum pedes*
Fixit, generi ſalutem vt humano daret,
Apparuere & iſti venerando in loco,
Superſtitioſi erroris vaſa peſsima.
Et inde, multa poſtquam perfidi DEO
Facinora patrauiſſent turpia impiè,
Vt deſertores vertere iuſsi ſunt ſolum.
Fugaq́ in vrbem hanc delati, imperij caput,
Non deſtitêre ab impia vecordia.
Compuncti igitur, facinoroſi velut, notis,
Ex vrbe damnati pelluntur hac quoque.

Crimina ſcilicet, quæ iſti patrauerant, alia non erant, quàm rectæ fidei & imaginum ab impietate Iconoclaſtica aſſertio. Obſerua autem, ipſis Iconomachis Hieroſolymam eſſe σεβάσμιον τόπον, *locum venerabilem*. Obſerua quoque teſtimonium de frequentia *peregrinationis Hieroſolymitanæ*.

Fo 64.

Fol. 64. v. 1 1. exædificatum.

Stupendum prorſus & admiratione digniſsimum eſt, quod in *cap.117.* Prato ſpirituali his verbis proditum legimus. *Erat quidam Abbas in ſancto monte Sina, nomine Georgius, miræ virtutis & abſtinentiæ vir. Huic Abbati Georgio Magno Sabbati die in cellula ſua venit deſiderium faciendi ſacrum diem Reſurrectionis in ſancta ciuitate, & ſumere veneranda myſteria in ſancta Chriſti Dei noſtri reſurrectione, per totum ergo diem ſenior huiuſmodi cogitatione ſolicitabatur & orabat. Cum itaque ſerò factum eſſet, venit diſcipulus eius, dicens ei; Iube, Pater, vt eamus ad ſynaxim. Senex autem reſpondit ei, vade & tempore ſanctæ communionis veni ad me. & pergam. Manſit itaq; ſenex in cellula, cum autem adueniſſet tempus ſanctæ communionis in ſancta Reſurrectione, inuentus eſt ſenex prope Archiepiſcopum B. Petrum, qui præbuit tum illi, tum presbyteris ſanctam communionem. Videns igitur eum Patriarcha, dixit aſſeſſori ſuo Mennæ. Quando venit Abbas montis Sinai? Reſpondit ille, per orationes veſtras domine non vidi illum, niſi nunc ſolummodo. Tunc ait Patriarcha, dic illi vt non recedat, volo enim vt mecum ſumat cibum. Ille verò profectus id dixit ſeni, Qui ait, voluntas Dei fiat. Cum ergo ſalutaſſet ſynaxes, adorato ſancto monumento, inuentus eſt in cellula ſua. Ecce diſcipulus eius pulſauit, & dixit; Pater veni vt communices. Senex verò profectus in Eccleſiam cum diſcipulo ſuo, iterum ſumpſit veneranda myſteria.*

Petrus autem Archiepiſcopus contriſtatus, quod illi inobediens fuiſſet, poſt ſolennitatem miſit ad Epiſcopum Phari Abbatem Photinum, & ad Patres Sina vt Abbatem ad ſe mitterent. Cum ergo veniſſet, qui attulerat literas, dediſſetquè illas; miſit & Senex tres Presbyteros, Abbatem ſcilicet Stephanum Cappadocem, magnum illum virum, cuius & ſupra meminimus, & Abbatem Zozimum cuius etiam ſuperius mentionem fecimus, & Abbatem Dulcitium Romanum ad Patriarcham, purgauitq; ſeipſum ſenior ſcribens ac dicens: Abſit à me, mi Domine ſanctiſsime, vt ſanctum Angelum veſtrum contempſerim. Scripſit autem idem Georgius Abbas & hoc ad eum. Vt ſciat beatitudo veſtra, poſt ſex menſes Chriſto Domino & Deo noſtro ſimul occurſuri ſumus, & illic adorabo vos. Egreſsi itaque Presbyteri dederunt Patriarchæ literas. Dixerunt tamen & hoc ei, quoniam ſenex multos habebat annos, ex quo non venerat in Palæſtinam. Oſtēdebant ſimul & literas Epiſcopi Phari, conteſtantes quod ferme ſeptuaginta annos habebat ſenex, ex quo de ſancto monte Sina non exierat. Sanctus verò & mitiſsimus Petrus afferebat teſtes eos qui tunc affuerant, Epiſcopos & Clericos dicentes. Verè nos ſenem vidimus, & omnes oſculo ſancto eum ſalutauimus. Poſtquam igitur impleti ſunt ſex menſes, requieuerunt in pace ſenex & Patriarcha, iuxta ſcilicet ipſius ſenis prophetiam. Ex quibus videas, inquit Baronius, *his innouata antiqua ſigna Habacuc & Philippi Diaconi. qui* *Tom.7. anno* *in momento tranſlati ſunt è loco, in locum. Voluntatem enim timentium ſe facit* 546 *N.70.* *Dominus, & deſiderium pauperum exaudit. Etenim cupienti ſeni vltimum ſuum*

Paſcha agere Hieroſolymis, id magno miraculo præſtitit ei Deus diues in omnes qui inuocant illum, non ſeneſcens, vt virtute ex diuturnitate temporis minuatur, quo minus præſtare ſemper valeat, quod olim aliis conceßiſſe legitur.

Vixit ante Palæſtinam & Hieroſolymam à Chriſtianis recuperatam Petrus Damianus, doctrina & ſanctitate illuſtris, ſub Gregorio VII. Pontif. Max. Ex huius ſcriptis liquidò apparet, etiam tunc cum ſancta ciuitas à Saracenis detineretur; pœnitentiæ loco confitentibus aliquando peregrinationem Hieroſolymitanam fuiſſe iniunctam. Hinc monet Rainerium Marchionem, vt pœnitentiam ſibi impoſi-
Damian. lib. 7. epiſt. 17. tam diutius ne differat; ſic ad illum ſcribens. *Iniunxi tibi, vir magnifice, vt pro peccatis, quæ mihi confeſſus es, Hieroſolymam peteres, diuinamq; iuſtitiam, lon-*
Iac. 4. *ginqua peregrinationis ſatisfactione placares; ſed tu,* dum, *iuxta Scripturam, neſcias, quid craſtina pariat dies, rem differs in poſterum: &, dum formidas incertos caſus itineris, certum tibi municipium nõ prouides manſionis: & ſic, in te completur*
Eccleſ. 11. *ſententia illa, quæ dicitur;* qui obſeruat ventum, nunquam ſeminat: &, qui conſiderat nubes, nunquam metit. *Nos planè quandam tenemus in huius pœnitentiæ moderatione diſtantiam, vt nec omnes paßim, qui à nobis conſilium expetunt, ab hoc itinere compeſcamus; nec omnibus ire volentibus, libera licentiæ frena laxemus. His enim, qui regulariter viuunt, vt vel canonicæ, vel monaſticæ religionis legitimè iura cuſtodiant, ſuademus, vt in ea, qua cõſtituti ſunt, vocatione permaneant: nec pro his, quæ in humano conſtituuntur arbitrio ea, quæ neceſſaria*
Apoc. 3. *proponuntur, omittant. ſicut ergo per Ioannem dicitur; Teneant, qui habent; & nemo accipiat coronam eorum. Hos autem, qui vel paludati mundo deſeruiunt, vel ſpiritualis quidem præferunt militiæ titulum, ſed profeßionis ſuæ non cuſtodiunt inſtitutum, hortamur, vt ſpiritualis exilij iter arripiant, tremendoq; iudici peregrè ſatisfaciant, cuius intra domeſticæ curæ ſolicitudines, leges ac mandata non ſeruant. Et hoc modo vagando quietem, peregrinando patriæ ſibi prouideant manſionem. Itaque, dilectißime, noli tibi, quæ fingi, vel excogitari poßint, aduerſa propo-*
Pſal. 36. *nere, noli diuerſorum caſuum muliebriter infortunia formidare; ſed,* ſpera in Domino, & fac bonitatẽ. *Sæpe nimirum, vbi magis ex humana ratione diffiditur, illic propenſius ſuperna clementia ſubuenitur; &, vbi ſolatium deſperamus humanum, diuinum plerunque cernimus adeſſe præſidium.*

Fol. 68. v. 15. corroborat.

Solebant peregrini ſecum aliquid olei ex lampadibus coram ſepulchro Chriſti ardentibus abſportare, & variis morbis curandis adhibere: ita vt fama huius tam ſalutaris remedij, etiam ad Magnum
Lib. 1 de reg. orient. cap. 4. Cham, Tartarorum Imperatorem, peruenerit; qui, vt ſcribit M. Paulus Venetus, cum ad Pontificem Maximum legatos mitteret, (inter quos præcipui erant Nicolaus Paulus: & Matthæus Paulus Venetus;)

rogauit

rogauit eos, vt nonnihil de oleo lampadis, quæ iuxta Dominicum ſepulchrum Hieroſolymis ardebat, ſibi in reditu deferrent, credens ſibi illud non parum profuturum, ſi Chriſtus mundi eſſet Saluator. Neque ſeu mandati ſeu poſtulati immemores fuere; nam oleum de lampade Dominici ſepulchri allatum (à legatis) *& oblatum accepit* (Imperator) *ab illis, & cum honore reponi iuſſit.* Hæc ille Tartarorum Princeps licet infidelis, hac tamen in re omnibus Sectariis fidelior.

Miſit etiam Bauaria Hieroſolymam, non quoſuis ex triuio, ſed ex Ducali ſanguine progenitos: de quorum vno hæc Arenbeckius: *Chunradus in clericum ordinatus cum ſub pluribus annis domi literarum ſtudiis informaretur, tempore maturo Colonienſi Archiepiſcopo altiori ſtudio, & diſciplina clauſtrali educandus committitur. Vbi, in vtroque tantum profecit, ſed & aliis virtutibus, vitia declinans, tantum exornauit, vt ab omni & clero, & populo amaretur, ab omnibus ſummo honore dignus iudicaretur. Ipſe vero honores & diuitias, laudem humanam fugiens, quibuſdam ſe monachis ſociauit, cum quibus, omnibus ſuis ignorantibus, Clareuallenſe monaſterium adiit; ibi, ſe monachum fecit. Deinde procedente tempore, Hieroſolymam petiit; vbi, cuidam ſeruo Dei in eremo manenti adhæſit, eiſque cum omni humilitate neceſſaria adminiſtrauit. Tandem ſentiens, ſe quadam infirmitate tactum, de reuerſione cogitauit; & ingreſſus nauem,* Param ciuitatem S. Nicolai peruenit; vbi, beato fine diem vltimum clauſit, honorificeque ſepultus ibidem requieſcit.* Hæc ille. Fuit hic Conradus filius Henrici Ducis Bauariæ; filij eius Guelphonis, qui Hieroſolymis rediens in Cypro obiit: Itaque Conradus iſte Guelphonis illius nepos fuit.

Arenb. lib. 4. Chron. Bau. cap. 48.

** Barium.*

Circa annum Chriſti M. C. XXVII.

Fol. 78. v. 19. Hæreticus.

Cum Friderico Duce Saxoniæ abiit in Palæſtinam Chriſtophorus Dux Bauariæ; de qua peregrinatione hæc Vitus Arenbekius in manuſcriptis Bauariæ Chronicis. *Anno Domini M. C C C C. X C I I I. Fridericus Dux Saxoniæ, Marchio Miſnenſis, Elector, ex ſorore nepos eorum,* (Adalberti ſeu Alberti, Chriſtophori & VVolffgangi fratrum, Bauariæ Ducum) *tranſiens in terram ſanctam venit Landſpergam, ad cuius magnam inſtantiam cum eo iuit Dux Chriſtoferus. Quò, cum perueniſſet, cum magna deuotione viſitauit* (*terram ſanctam*) *& oratione ſe, & ieiunio multum caſtigauit. Et vbi ad fratres Minores peruenit, peccata ſua confitebatur, & ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum deuotiſſimè ſumebat. Porrò ex inconſuetis cibis, & potu ſtomachus eius infrigidatus, cœpit infirmari: Et debilis admodum Rhodiorum littora applicuit, exultans illuc veniſſe, quia fratres Theutonici multas humanitates ſibi exhibuerũt. Magiſter namque hoſpitalis erat quidam Comes de VVerdenberg, cuius patruus Præfectus in Landperg in obſequio Ducis Adalberti fuit. Ibi Dux Saxoniæ Fridericus nepos ſuus cum ſuis eum reliquit, attamẽ quoſdam ſumptus ſibi dimiſit, vt, ſi in quantum*

Lib. 5.

tum conualeſceret, repatriare poſſet. Ipſe verò Chriſtoferus in dies viribus cœpit deſtitui. oleo itaque ſacro vnctus, cùm ſentiret ſe mori, quoddã clenodium ex margaritis, & gemmis precioſis, quod ſemper in brachio occultè portauit, Ioanni coco ſuo dedit, demandans ei, vt Dominæ Kunigundæ vxori fratris ſui Adalberti pro eius memoria deferret. Inclytus itaque, audax, ac expertiſſimus Princeps Bauariæ Dux Chriſtoferus anno ætatis ſuæ XLV. in feſto Aſſumptionis MARIAE, *comitibus, militibus, nobilibus, & ſacerdotibus multis præſentibus vitam cum morte feliciter commutauit. Pallida enim mors æquo pede pulſat pauperum tabernas, regumq́ue turres. In vrbe Rhodia peregregiè ſepulturam accepit ad S. Antonium: ipſumq́; funus quaterni milites ſericis nigri coloris induti geſtabant. quidam alius miles ſimili veſte veſtitus vexillum Bauariæ prætulit, cereis ardentibus, ab vniuerſis magno cum planctu, ac mœrore ad Eccleſiam vſque conductus, duobus Epiſcopis, ac multis ſacerdotibus miſſas pro eo celebrantibus. Chriſtoferus Dux viuens adhuc in Monaco Domini ſepulcrum cum propoſuiſſet viſitare, fecit teſtamentum, in quo portionem hæreditatis ſuæ Fratri ſuo Duci Adalberto reliquit.*

Aliquot annis prius loca ſancta adierat ex eadem inclyta Bauarię Ducum familia, Ioannes, de quo hæc in ſuo Bauarico Chronico non ita pridem euulgatus Andreas Ratisbonenſis. Anno Dñi M. CCCC. LXXXVI. Dux Ioannes (frater Ottonis Ducis Bauariæ) Præpoſitus & Canonicus Auguſtenſis, cum viſitaſſet loca terræ ſanctæ, deſiderio æſtuans videre ſepulturam S. Catharinæ Virginis, duabus expletis diætis, aduerſa valetudine laborans, Hieroſolymam retrocedere coactus, vbi paucis expletis diebus, in die S. Franciſci Confeſſoris diem clauſit extremum, ibiq́ue in Domino quieſcir.

De Friderico III. Imperatore, priuſquam ad Imperium eueheretur Orator eiuſdem Friderici iam Imperantis, in oratione ad Nicolaum V. Pont. pro expeditione generali contra Turcas: *Vt locum videret, in quo noſtra redemptio celebrata eſt, adhuc adoleſcens trans mare nauigauit, &c. inſpexit locum, vbi natus Saluator noſter, vbi poſitus eſt in præſepio, vbi præſentatus in Templo, vbi baptizatus, vbi tentatus, vbi prædicauit, vbi Lazarum ſuſcitauit, vbi cœnauit, vbi captus, vbi deriſus; vbi iudicatus, vbi crucifixus, vbi ſepultus eſt, & vnde aſcendit in cœlum.* Quid multa dicam? *Oſculatus eſt Cæſar terram, vbi ſteterunt pedes eius, qui nos redemit. Sed quo tunc animo fuiſſe arbitraris, cum ſpurios illic Saracenos, immundos, horridos dominari videret, ſanctiſſima loca poſſidentes? Quid aliud dicere poterat, niſi propheticum illud:* Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c.

Fol. 156. v. 21. *oporteat.*

Adde, quod innumerabilia exſtant exempla beneuolentiæ diuinæ in peregrinos Hieroſolymitanos; ex quibus vnum duntaxat vel

alterum

alterum excerpam, proditum à grauiſsimo ſcriptore Petro Damiano. *Damian. lib. 7.*
Prius ita habet: *Religioſa vita, & honeſtæ grauitatis fratre noſtro, atque commonacho Richardo referente, didicimus: quod horno octo viri, expleto pij deſiderij voto, dum ab Hieroſolymis repedarent: ſed eos, per inhabitabilia gradientes loca, quatriduana iam fames vehementer affligeret, diuinam cæperunt vnanimiter implorare clementiam; vt laborantibus in extrema calamitate ſuccurreret; &, qui dat eſcam omni carni, ſibi quoq; ſaltem qualibet alimenta in tanta neceſsitatis articulo non negaret. qui mox, oratione completa, panem in via iacere conſpiciunt, & enormis vtique magnitudinis, & miri candoris. Mirantur ad commune ſpectaculum, non vtique neſcij. quia, tanti ponderis moles, de ſarcina neſcientis geruli nequaquam potuiſſet elabi. Tunc ſupernæ miſericordiæ beneficium recognoſcunt, & panem diuini muneris, vt erant octo, in totidem partes diuidunt. Ex quo nimirum ita ſunt ſuauiter, ac ſufficienter expleti, vt in omni vita ſua nullis fuerint dapibus vberius recreati.* *epiſt. 17.*

Alterum eſt hoc, ab eodem Damiano in litteras relatum. *Frater etiam noſter Bonizo, vir videlicet veteranus, & ſanctus, qui iam per plurimos annos in Eremo perſeuerat, & continentioris vitæ ſenilis in eo debilitas non relaxat, ſicut nobis ipſe retulit, dum ab Hieroſolymis nauigio remearet, naufragium paſſus eſt. Intumeſcentibus nempe procellis, naue ſubmerſa, omnibusq; ſocijs marini diſcriminis tempeſtate peremptis; iſte ſaccum, qui bombicis inuolucro plenus erat, arripuit: eiſque inter fluctiuagos vndarum cumulos præſidens, per tres ferè dies, & duas noctes, tanquam vir pugnator, marina congrediens cum morte conflixit. Contigit autem, vt remiges quidam æquora marina ſulcantes, eum procul aſpicerent, quem ad ſe piè ſublatum, & cibo reficiunt, & humanitatis curas impendunt. Sic ergo qui Paulum die, ac nocte ſub pelagi profunditate ſeruauit illæſum, fratrem etiam hic, ne marina voragine ſorberetur, in ipſa compugnantium procellarum continuit alluuione ſuſpenſum: &, cuius virtute Ionam voracis beſtiæ guttur euomuit, eius imperio, huic etiam viro, non ad ſorbendum, ſed ad cuſtodiendum, ſeſe mollis vnda ſubſtrauit.* *Damian. loc. cit.* *Act. 27. & 2. Cor. 11. Ionæ 2.*

Tertium ab eodem Damiano percenſetur in hunc modum. *Venerabilis frater noſter Richardus, hoc, quod dicturus ſum, ſicut fama compererat, fideli proſecutione narrauit.* Octo, inquit, *inopes viri in Hieroſolymitano nuper itinere conſtituti, dum non haberent omnino, quod ederent, hebdomadam totam ſine victualis alimoniæ perceptione tranſegerant: cumq; iam diuturna macerarentur inedia, ac viribus effœti, longiq; itineris moleſtia tabefacti, iam pœnè deficerent, eosq; nutantes vix lapſabunda veſtigia ſuſtinerent; ecce canis obuius dentibus mantile trahebat, in quo panis velut in ſacculo latebat inuolutus. Quem panem protinus arripientes, cum gratiarum actionibus alacriter ſe refecerunt: & in fortitudine cibi illius octo dierum iter inceſſabiliter expleuerunt. Ruſumq;, dum intolerabili poſtmodum cruciarentur inedia, tres Agareni eorum in itinere facti ſunt comites, ſingu-* *Damian. lib. 8. epiſt. 10.*

los panes, pro ſua viritim ſuſtentatione portantes: qui, cum nacta refectionis hora, diſcumberent; duo quidem ex eis ita proprios conſumpſêre panes, vt Chriſtianis eſurientibus nil penitus impertirent: tertius autem vnam, quam portabat ipſe, buccellam, in nouem fruſta diuiſit: & vna duntaxat ipſe contentus, ſingulis, qui ſecum erant, Chriſtianis, æquales particulas miniſtrauit.

Factum eſt poſtea, dum ſimul incederent; ecce leones in eos, ferociter irruunt, eosq́; potiſſimum, qui panes ſoli conſumpſerant, ſignanter inuadunt; quos illicò violenter harpaxant, & ceteris euadentibus, illos tantummodò immaniter deuorant, ſic nimirum, ſic qui ſoli manducauerant, ſoli ſunt manducati; &, qui ſine charitate ſua beſtialiter alimenta conſumpſerant, frementium beſtiarum ſunt immanitate conſumpti. Poſtmodum verò per glareas marini litoris gradientes, enormis magnitudinis piſcem reperiunt: quem protinus ſabulo propter equites, quos eminus aduentare contemplantur, abſcondunt. Et illi quidem propius accedentes, dum recentem ſuper aggeſtæ glareæ conſpiciunt tumulum, quod res erat, arbitrati ſunt, occultæ cuiuſdam repoſitionis non deeſſe myſterium. Incipientes igitur curioſè rimari, tandem diuino nutu ſuſpicati ſunt ſepulturam eſſe defuncti, ſicq́; dum illi relinquentes cœpta, diſcedunt; iſti, defodientes benedictionem diuini muneris in ſua protinus alimenta conuertunt.

Fol. 227. v. 16. affirmant.

Damian. lib. 7. epiſt. 17.

Quid miraculi cuidam ad hanc ſacram D. Michaëlis Aedem tendenti euenerit; recenſet Petrus Damianus his verbis: *Idem frater noſter Richardus aliud quoque retulit, quod ſilentio prætereundum eſſe non arbitror. Ait enim, quod Agius frater noſter, vir videlicet ætate grandæuus, & religione conſpicuus, dum adhuc eſſet in ſeculo conſtitutus, orationis ſtudio pergebat ad B. Archangeli Michaëlis Eccleſiam, quæ eſt iuxta Sipontum, in Gargano monte conſtructa. Hic cum germano ſuo, ſeculari videlicet viro, vnum duntaxat equum habebat, cui per alternas vterque viciſſitudines inſidens, vtcunque laborem itineris temperabat; ſed cum conuiatores ſuos ad portandas ſarcinulas auxilio indigere conſpiceret, admonuit fratrem, vt à iumenti vectatione vterque quieſceret, illudq́; pro charitate ſociorum portandis eorum oneribus publicaret. Porrò dum laſſati longioris viæ labore quieſcerent, cibóque deficientem ſtomachum recrearent; præfatus frater Agius panem quidem in poculo vino commiſcuit, ſed iuxta ſe ponens, refectionem interim differens, conquieuit. Quibus ita quieſcentibus, ecce latrunculi repentino impetu ſuperueniunt, & eorum omnia cum equo ſimul diripientes, abſcedunt. Vnus autem eorum ſubſtitit, & fratris Agij cibum, potumq́; conſumpſit: quem protinus intolerabilis dolor inuaſit, & donec omnia compulſus euomeret, ab eius viſceribus feralis anguſtia non receſſit. Tunc agili pernicitate ſubſiliens, celeriterq́; procurrens, ſocijs perſuaſit, quia, niſi iumentum Dei famulo quantocius redderent, imminens vltionis diuinæ periculum non vitarent. Qui diuinitus tremefacti, confeſtim ad Dei hominem redeunt,*

deunt, præſumptionis ſuæ gementes indulgentiam quærunt; ſimulq́ iumentum cum his, quæ nihilominus fuerant ablata, reſtituunt. ſic itaque diuina pietas ab eorum tuitionis auxilio non elongat, quos in ſuæ deuotionis obſequio laborare conſiderat.

Fol. 228. v. 17. more luporum.

Ante annos quadringentos triginta tres vixit, & maximam orbis partem obiuit *Beniamin* Iudæus; cuius Hodœporicum Hebraicè ſcriptum latinitate donauit Arias Montanus; ex quo patet celebrem fuiſſe in Hebron peregrinationem ad ſepulchra cum aliorum veterum, tum præcipuè Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Saræ, Rebeccæ, Liæ; verba Beniamini; qui in Palæſtinam venit, quando Cruceſignati prouincias illas occuparant; ſunt iſta.

Hinc (ex Bethlehem) *leucis ſex confectis Hebron veni in plano ſitam, nam Hebron antiqua Metropolis in monte fuit, ſed nunc deſerta eſt. In valle verò ager eſt, in quo eſt duplicitas, hoc eſt, gemina velut vallicula, ibiq́ ſita eſt vrbs, ibidemq́ templum ingẽs, quod S. Abraham vocatur. Fuerat autem locus ille Iudæorum ſynagoga, quo tempore ab Iſmaëlitis regio occupabatur. Gentes verò* (Chriſtiani; quos Iudæi vocant Goim) *à quibus poſtea obtenta eſt* (tempore Godefridi Bulionij) *ſepulchra ſex in templo conſtruxére nominibus Abrahæ, Saræ, Iſaac & Rebeccæ, Iacob & Liæ. Dicunt autem nunc incolæ peregrinis, illa eſſe Patriarcharum monumenta, offeruntúrq́ illic pecuniæ. Verumenimuero Iudæo cuipiam accedenti & mercedem ianitoribus porrigenti, ſpelunca oſtenditur, portâ ferreâ patefacta, quæ à diebus antiquis illic adhuc manet. Deſcenditque homo inferius lampade accenſa in primam ſpeluncam, in qua nihil inuenitur, neque etiam in ſecunda, donec tertia ſubeatur, in qua ſex momenta ſunt Abraham, Iſaac & Iacob, Saræ & Rebeccæ atque Liæ, alterum è regione alterius, ſingulaq́ characteribus inciſa ſunt, nominibusq́ diſtincta ſingulorum hoc modo: ſepulchrum Abraham, patris noſtri, ſuper quem pax ſit, &c. Ardet autem perpetuo lampas nocte atque die in ſpelunca, miniſtris templi oleum & pabulum miniſtrantibus aſſiduè. Sunt etiam in eadem ſpelunca dolia plena oſſibus Iſraëlitarum antiquorum, illic à familiis Iſraël aſportata, quæ in hodiernum vſque diem illo in loco manent. In ipſo verò duplicitatis agro antiquæ domus, patris noſtri Abrahæ monumenta adhuc exſtant & viſuntur, & fons ante illam ſcaturit, neminiq́ licet illic domum ædificare propter Abrahæ obſeruantiam.*

Ipſis etiam Saracenis ſpelunca duplex, in qua prędicti Patriarchę ſepulti, ſummæ venerationi fuit; vt ſcribit Burchardus de monte Sion *Ext. Tom. 6.* in deſcriptione Terræ ſanctæ. Et iam olim Hebræis peregrinatio in *Antiq. lect.* Hebron, etiam ex voto, vſitata fuiſſe videtur; eò quòd gentis capita ibi requieſcerent, & monumentis ſuis locum illum conſecrarent. Hinc Abſolom 2. Reg. 15. contra parentem rebellaturus, finxit ſe abi- *Gen. 23. 25. 35* turum in Hebron, voti ſoluendi gratia. *Vadam*, aiebat, *& reddam vota* *49.*

mea, quæ voui Domino in Hebron. Vt ſic religionis prætextu ſummũ, quod meditabatur, ſcelus tegeret.

Mira ſunt, quæ de ſepulchro Danielis Prophetæ in vrbe Chuzcethan, quæ olim Elam, vnde Elamitæ Act. 2. ſcribit Beniaminus. *Sunt in hac vrbe Iudæi ſepties mille, qui in ſynagogis congregantur numero quatuordecim, & ante vnam ex illis Danielis ſepulchrum eſt,* (per vrbem fluit Tigris fluuius, eamque mediam ſecat; ex altera parte opulentiſsimi inhabitant; ex altera tenuiores) *qui aliquando inuidiam conceperunt aduerſus alteros, exiſtimaruntq́; diuitias & vbertatem illis ex Danielis Prophetæ ibidem ſepulti vicinia effici. Quamobrem ab illis poſtularunt, vt Danielis ſepulchrum ad ſuam regionem transferri permitteretur. Quod cum conſtanter negatum eſſet, ad contentionem primùm, deinde ad dimicationem atque pugnam deuentum eſt; magna cum vtriuſque partis clade ad multos vſq́; dies: donec tandem laſsi vtrique in conditiones, & pacta conuenére, vt alternis annis Danielis cippus ad alteram partem transferretur: idq́; aliquandiu factum repetitumq́; fuit.*

Narrat deinceps Beniamin huiuſmodi hiſtoriam de quodam Perſarum Rege. *Hic cum in hac vrbe aliquando commoratus Danielis cippum ex altera in alteram ciuitatis regionem transferri, atq́; vna cum illo complures ex Iudæis & Iſmaëlitis commigrare vidiſſet, cauſſa rogata & cognita, indignum iudicauit, vt huiuſmodi aduerſum Danielem irreuerentia toleraretur: ſed ſpatium inter vtramque partem diligenter dimenſus, Danielis cippum in arca magna vitrea impoſitum, in medio illo loco ex trabe maxima æneis catenis ſuſpendit, ædemque conſtrui iuſſit magnam, ſynagogæ vſui dicatam, omnibusq́; totius orbis hominibus patentem, neminíque negatam mortali ſiue Iudæo, ſiue Aramæo eò precationis cauſſa ingredi volenti. Pendet autem arca illa ex trabe vſque in hodiernum diem. Porro Rex Perſarum edicto vetuit, ne quis piſces è fluuio caperet, ad vnum ex inferiore parte, alterum verò ex ſuperiore; miliare, propter Danielis reuerentiam & cultum.*

Fol. 229. v. 8. deducunt.

Fuſius hæc ſuo in Itinerario proſequitur Beniamin Iudæus, cuius antea facta mentio. *Inde,* inquit, (à Naphapli) *tribus leucis Ezechielis Prophetæ ſynagoga eſt, ſecundum Euphratem fluuium, &c. & poſt ſynagogam Ezechielis monumentum ſub magna & pulcherrima teſtudine à Iechonia Iudæ Rege conſtructa, &c. In muris ipſis Iechonias, & qui cum eo venére, inciſi ſunt; Iechonias primus, poſtremus Ezechiel. Eſtq́; locus hic ſanctus ad hunc vſque diem: ad eumq́; locum certo tempore multi precationis cauſſa conueniunt ab initio anni ad expiatiorum vſque feſtum, ibidemq́; lætiſsimos agunt dies. Atque princeps ille vir, quem caput captiuitatis nominant, cum aliis ſynedriorum capitibus huc etiam ex Bagdad veniunt, omnesq́; in agro illo commorantur, ad viginti duo miliaria variis locis tentoria figentes. Adueniunt præterea mercatores Arabes, celebranturq́; nundinæ frequen-*

quentiſſimæ. producitur autem hoc tempore liber magnus auctoritate atque antiquitate celeberrimus ab Ezechiele conſcriptus Propheta, in quo expiationis die legitur.

Atq; ſuper Ezechielis ſepulchrum lampas perpetuo ardet nocte atque die; ex quo primum ab ipſo Propheta incenſa fuit, cui fila & oleũ diſpenſantur ac temperãtur aſsiduè. Eſt etiam ibidem magna quadam ſancta Ædes plena libris conſeruatis, tam à domus prima, quàm à ſecundæ tempore; eſtq; moris & fuit, vt qui liberos non habuerint, eo loco ſuos libros conſecrarent. Nuncupãtur præterea vota eo loco exſoluenda à Iudæis in Media & Perſia habitantibus. Iſmaëlitarum quoque principes viri huc confluunt precationis cauſſa, apud quos magna eſt Ezechielis Prophetæ auctoritas & reuerentia, cuius loci nomen illorum lingua Dar Melibha, hoc eſt, congregationis domus; eodemque Arabes omnes precationis cauſſa veniunt. Ab hoc loco ad dimidium miliare Ananiæ, Miſaëlis & Azariæ ſepulchra cum ſingulis magnis & pulchris fornicibus viſuntur. Quanquam verò bellum in illis regionibus accidat, nemo mortalium eſt, qui hæc loca vel violare, vel tangere audeat, neq; ex Iudæis, neque ex Iſmaëlitis propter Ezechielis Prophetæ reuerentiam.

Pag. 258. v. 22. *Eadburga virgo.*

Verũenimuero ob pericula, quæ Deo dicatis hominibus impendebant; non defuerunt olim, quibus Monialium peregrinationes Romam ad limina Apoſtolorum diſplicerent, vt planum fit ex Epiſtola Eangyth Abbatiſſæ ad S. Bonifacium, (& eſt Epiſt. 38. inter Epiſtolas S. Bonifacij) in qua exponit ei ſuum & aliarũ deſiderium proficiſcendi Romam; eoque expoſito ſubiungit. *Sed quia ſcimus, quod multi ſunt, qui hanc voluntatem vituperant, & hunc amorem derogant, & eorum ſententiam his adſtipulationibus affirmant, quòd Canones ſynodales præcipiant, quòd vnuſquiſque in eo loco, vbi conſtitutus fuerit, & vbi votum ſuum vouerit, ibi maneat, & ibi DEO reddat vota ſua. Sed, quia vniuerſi diuerſa voluntate viuimus, & nobis incerta res, & occulta DEI iudicia ſunt, ſicut ait Propheta:* Iuſtitia tua ſicut montes DEI: iudicia tua abyſſus multa; *& eius ſecreta voluntas & diſpenſatio in hac re nobis valde occulta eſt: pro his ergò incertis atq; occultis ambæ te ſupplices, atque proſtratis vultibus flagitamus, vt ſis nobis Aaron, id eſt, mons fortitudinis, orationum tuarum nos ſuffragio fulcias, & dirigas thuribulum deprecationum tuarum, ſicut incenſum in conſpectu diuinitatis, & eleuatio manuum tuarum comparetur ſacrificio veſpertino. Verè enim confidimus in DEVM, & eius clementiam exoramus, vt per ſupplicationem oris tui, & orationes medullatas, oſtendat nobis per te, quod nobis profuturum, & vtile iudicauerit, ſiue in patrio ſolo viuere, vel in peregrinatione exulare.* *Pſal. 35.*

Quid ad hæc S. Bonifacius reſponderit; liquet ex Epiſtola 20. ad Buggan Abbatiſſam, qua reſpondere videtur ad Epiſtolam Cangyth

ſeu Eangyth & Eadburgæ cognomento Bugge. Hoc conſtat ex Epiſtola Ethilberti Regis ad S. Bonifacium, Buggam perueniſſe Romam.

In Epiſtola tamen 105. quæ eſt ad Cudbertum Archiepiſcopum mentem ſuam aliter declarat, S. Bonifacius, ita ſcribens. *Præterea non taceò charitati veſtræ, quia omnibus ſeruis DEI, quî hic vel in ſcriptura, vel in timore DEI probatiſſimi eſſe videntur, diſplicet, quod bonum, & honeſtas, & pudicitia veſtræ Eccleſiæ illuditur; & aliquod leuamentum turpitudinis eſſet, ſi prohiberet Synodus, & Principes veſtri mulieribus & velatis feminis illud iter, & frequentiam, quam ad Romanam ciuitatem veniendo, & redeundo faciunt. quia magna ex parte pereunt, paucis remanentibus integris. Perpaucæ enim ſunt ciuitates in Longobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua nō ſit adultera, vel meretrix generis Anglorum: quod ſcandalum eſt, & turpitudo totius Eccleſiæ.*

Hunc & ſuperiorem locum ex Epiſtolis Eangyth & S. Bonifacij protulit Illyricus in Catalogo Teſtium, hoc præfixo lemmate: *Canones peregrinationum. Hunc titulum,* inquit Illyricus, *ideo hoc loco ſumpſi, quòd alium certiorem non habuerim.* Habuiſſes, ſi voluiſſes. An non enim certior & melior titulus fuiſſet, ſi præſcripſiſſes: *De periculis, quæ ſanctimonialibus imminent, quando longinquas peregrinationes ſuſcipiunt.* Nunc Canones cudiſti; quaſi aut Eangyth Abbatiſſa, aut S. Bonifacius regulam peregrinatoriam dictare voluerint.

Propter geminum locum paulo antè allatum, admodum paratragœdiat Illyricus. *Hinc apparet,* inquit, *iam olim veteres Synodos, quæ à Romaniſtis ſuppreſſæ ſunt, ipſam peregrinationem noxiā corpori & animæ ſuperſtitionem,* tunc primum *orientem tollere voluiſſe: verum fruſtra; nam Papæ ſedulò Romam lactarunt ſuperſtitioſos iſtos Barbaros, quia ſciebant id ſibi vehementer lucroſum eſſe.* At Illyricus hic ſolitam Sycophantandi artem facit. Nam I. Eangyth non dicit, Synodos vel Canones vetare, ne quis Romanam peregrinationem ſuſcipiat; ſed Canones iubere, vt ſanctimoniales Deo dicatæ eo in loco permaneant, in quo ſe diuino cultui mancíparunt.

II. Nec S. Bonifacius dicit, à Synodis Romanam peregrinationem interdictam eſſe; ſed interdici cupit. At quibus? Non omnibus vniuerſim; ſed mulieribus & monialibus. Illyricus autem pro candore ſuo, id quod de certo hominum genere S. Bonifacius ſtatui exoptabat; ad vniuerſos transfert. III. Simili candore propter abuſum tolli deſiderat Illyricus vſum contra receptiſsimum illud, & ipſis etiam Lutheranis vſitatiſsimum axioma: *propter abuſum nō eſſe tollendum vſum:* Et, *paucorum culpam non præiudicare religioni.* Imò Lutherus in *Colloq. Sympoſiacis* tit *de Hypocritis*, à Iuda ſolui dicit illam obiectionem: *Multi ſunt inter vos improbi; ergo inſtitutum veſtrum nullius eſt momenti aut valoris.* Alſo

auch

auch ſoluiret Judas/daß man vns fürwirfft/ja/ſprechen ſie/ es ſind vil böſer Buben/falſcher Brüder vnnd Vnchriſten vnder euch. Recht. Iſt Judas auch ein Apoſtel geweſen/er wird ſich ohn zweifel/vil beſſer geſtalt vnd gehalten haben/als ein verſtändiger Weltmann/als die anderen. *Iudas ſoluit illud, quod nobis obiicitur. Multi ſunt inter vos nefarij nebulones, falſi fratres, & Chriſtiani ſine Chriſto. Recte. Iudas quoque ex Apoſtolorum collegio fuit, qui, ſine dubio, tanquam cautus & intelligens, exteriore ſchemate, longè ſe melius geſsit, quàm alij.*

Non valet igitur in Lutheri Dialectica hæc conſecutio. *Multi ex Lutheranorum grege ſunt flagitioſi & in propudioſos nebulones degenerant: ergo Lutheraniſmus repudiari & exſtirpari debet.* Non valeat ergo & iſta: *Multi ex peregrinis in vitia & flagitia inciderunt; & ex fœminis nonnullæ corpora ſua vulgarunt; peregrinationes igitur funditus abolendæ ſunt.* Non ita. Vitia aboleantur: Vitiis obuiam eatur: Ibitur autem, ſi domi manere cogantur, quibus vel ob profeſsionẽ, vel ob ſexus imbecillitatem periculum impendet. Quid mirum; ſi tempore S. Bonifacij, ex Anglicanis mulieribus, quæ Romanam peregrinationem inierant; exſtiterint Veneris mancipia; cum noſtra patrumque noſtrorum ætate innumerabiles moniales, auctoribus & ſuaſoribus, Luthero, Caluino, Zvvinglio, Illyrico & id genus aliis ex monaſteriis profugerint; & libidini palam ſeſe tradiderint; tametſi aliquando ſpecioſum matrimonij nomen ſacrilegis ſuo prætenderint. Quot nam oculis, auribus, & vniuerſis tam corporis, quam animæ facultatibus ad impudicitiam abutuntur? An ideo Illyricus omnibus auctor erit, vt oculos ſibi eruant, aures perpetuo obturent; potentiaſque internas & externas ſtirpitus eradicatum properent? Imò ipſe homo de medio tollendus erit. *Ipſe homo,* inquit Tertullianus lib. de ſpectaculis, *omnium flagitiorum auctor, non tantùm opus Dei, verumetiam imago eſt: & tamen & corpore & ſpiritu defciuit à ſuo inſtitutore. Neq; enim oculos ad concupiſcentias ſumpſimus, & linguam ad maliloquium, & aures ad exceptaculum maliloquij, & gulam ad gulæ crimen, &c. & manus ad vim, & greſſus ad vagam vitam, aut ſpiritus ideo inſitus cum corpore, vt inſidiarum & fraudum, & iniquitatum, cogitatorium fieret; non opinor.* Et tamen hæc omnia propter hunc tantum abuſum, non excinduntur aut exterminantur, ſed quantum fieri poteſt, à prauo vſu ad rectum reuocantur. De quæſtu, quod Illyricus garrit, vetus nænia eſt. Scilicet ex vltima Britannia Romam venientes Monachi & moniales Crœſi theſauros ſecum adferebant, quibus plerumque res tam tenuis erat, vt iter illud non niſi aliena benignitate ſubleuati & ſuſtentati conficerent. Sed iam ſatis diu euagati ad lineam reuertamur.

Fol. 253.

Fol. 253. v. 8. *peruenit.*

Malmesburienſis de Kenredo, Merciorum Rege: *qui pietate in Deum, probitate in patriam perinſignis, magna morum ſynceritate vitam cucurrit; quintoq́; anno regni, Romam ire pergens, reliquum temporis illic religioſè compleuit, maximè miſerando exitu militis compunctus; qui, vt Beda refert, cum confiteri ſcelera ſua ſanus ſuperbiſſet, in mortis ianua conſtitutus, apertè vidit dæmones auctores ad ſupplicia, quibus animum indulſerat, blandientibus ad ſcelera.*

Rogerus in Annalibus: *Burredum quoque Merciorum Regem de regno ſuo expulerunt* (Dani) *anno regni ſui XXII. qui Romam adiens ibidem defungitur, & in Eccleſia S. Mariæ in ſchola Saxonum honorificè ſepelitur.*

Idem Rogerus: *Canutus Rex Anglorum, Danorum, & Norreganorum de Denemarcia magno cum honore Romam iuit, & S. Petro Apoſtol. Principi ingentia dona in auro, & argento, aliisq́; rebus precioſis obtulit, &c. vitaque ſuæ, & morum emendationem ante ſepulchrum Apoſtolorum deuouit.*

Idem Rogerus. Adeluulfus Rex, *cum magno honore Romam perrexit, filiumque ſuum Aluredum* (quinquennem) *ſecum adducens, vno ibi anno conuerſatus eſt.*

Fol. 293. v. 9. *prognato.*

S.Baſil. in Reg. fuſius diſput. quæſt.40.

Etiam tempore S. Baſilij, occaſione concurrentium & ad martyrum ſepulchra peregrinantium nundinæ exſtiterunt, quas tamẽ ipſe minus probat; vt patet ex his eius verbis. *Neque nundinationes illæ, quæ ad ſepulchra ſanctorum Martyrum celebrari ſolitæ ſunt, conuenire nobis putandæ ſunt. neque enim vllam aliam ob cauſam adeſſe decet Chriſtianos ad Martyrum conditoria, aut iſtis contigua loca inuiſere, quam orandi causâ; & vt ſanctorum conſtantiæ admoniti, in qua illi, ne pietatem amitterent, ad necem vſque fortiter perſeuerarunt, ipſi quoque ad ſimilis fortitudinis æmulationem incitentur. Nimirum memoria tenendum eſt illud, quàm terrifica, & formidabili ira olim exarſerit Dominus; qui, cum ſemper, & vbiq́; manſuetus, & humilis corde fuiſſet, in eos tamen ſolos flagellum intendit, qui circum templum vendendis, emendiſq́; mercibus operam dabant: quippe, quaſi nundinatio illa orationis domum in latronum ſpeluncam conuerteret. Neque verò, quod alij ante nos fuerint, à quibus ſolita olim in diebus ſanctorum feſtis obſeruari, conſuetudo violata ſit, (quiq́;, cum inter ſe alij pro aliis orare deberent, & vna cum pluribus DEVM adorare, & lacrymas offerre, ab eoq́; cum peccatorum veniam poſcere, tum de acceptis beneficiis gratias agere, ſeſeq́; m..suis viciſſim cohortationibus in pietate vera confirmare, & ædificare, id quod etiam memoria noſtra vſurpari fuiſſe ſolitum ſcimus, pro his omnibus, forum, ac nundinas, & communem mercatum, & tempus illud, & locum efficiunt) non ob hoc ſtatim nos quoque illos imitari par eſt, & hoc modo autoritate noſtra prauam illorum conſuetudinem confirmare; ſed contentus illos exprimere potius, de quibus in*

Euan-

Euangelii mentio eſt,præſente Domino noſtro IESV Chriſto ſolitos celebrari; & in his,quæ ab Apoſtolo deſcripta ſunt,veluti huiuſcemodi vitæ inſtituto conuenientia,facere. Scribit autem ſic: Cum conuenitis,vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet,doctrinam habet,apocalypſin habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. 1. Cor. 14.

Fol. 289. v. 20. *Prudentius.*

Ioannes Cantacuzenus. *Poſt mortem Martyrum concurrerunt* (fideles) *ad ſepulchra, & monumenta horum,& ſanati ſunt à morbis ſuis. Cæterum vſq; ad hodiernum diem,infinita eduntur miracula circa ſepulchra Martyrum. & aliorum ſanctorum,qui iuxta Euangelij præcepta vitam ſuam instituerunt. Quin & nunc modum non habent Dei homines, qui ſalutis ſtudioſi ſunt; & quidam agunt in montibus; illi verò in ſpeluncis: alij,cum hominibus conuerſantur, & virtutem habent,potentiamq; edendi miracula, & edunt.* Cantacuz. Apol 3. contra Mahometanos.

Pag. 305. v. 6. *Turonenſem.*

Solebāt olim Chriſtiani tempore Paſchali cellā S. Martini adire & venerabundi circuire, & quid ſingulis locis tantus incola quondam egiſſet,vt ſtudioſè,ita & religioſè inquirere; de quo pio more S. Paulinus lib. 6. de vita S. Martini.

Obſequium ſolenne pio deferre quotannis
Adſueuit populus,reducis cum circulus anni
Inſtaurat renouans ſancti myſteria Paſchæ
Inuitat propria veneratio plurima cella,
Quæ tam præcipuo patuit ſida hoſpita ſancto,
Angelico poſſeſſa viro; prona ora madeſcunt
Fletibus,& lachrymis ſancti veſtigia quærunt,
Quæ loca contigerit pſallens,quæ preſſerit orans.
Hinc meminiſſe volunt,in quo libauerit eſcas
Immenſa exiguo laxans ieiunia guſtu.
Cæleſti auxilio excubiis quæ cella quietem
Fouerit,atq; breuem membris largita ſoporem,
Sublimem vigili recrearit imagine mentem.
Huc populum congaudet ouans perducere Paſtor,
Transfretat exceptum numeroſis puppibus agmen
Et fluctus ſub claſſe latent; huc ſexus, & ætas
Omnis adeſt; vacua reſident cuſtodibus ædes;
Et cunctis alterna fides penetralibus adſtat.

In quæ carmina hæc Paulini editor & Scholiaſtes Iuretus. Hic interim obſeruet pius lector, quantum ſanctitati Martyrum, & Confeſſorum tribuerint Chriſtiani, qui tam religioſè non dicam oſſa, & corpora, ſed etiam loca venerabantur, in quibus illorũ veſtigia quædam reſtabant: Gregorius Turonenſis vbi ſupra, libro primo de miraculis S. Martini: *Et ſingula loca*, ait, *adlambens oſculis* (ſic lego; malè vulgò paſsim, *oculis*) *vel irrigans lacrymis, in qua vir beatus aut ſederat, aut vbi orauerat, ſiue vbi cibum ſumpſerat, vel corporis quieti poſt multos labores indulſerat*. Tale illud eſt, quod Seuerus Sulpitius dial. 2. de S. Martini virt. c. 8. narrat de ſanctimonialibus, quæ adlambebant ſingula loca ſecretarij Eccleſiæ, vbi aut ſederat Martinus, aut ſteterat; ſtramentum etiam, (vt illius verbis vtar) in quo quieuerat, ſibi colligebant, & pro benedictione partiebantur: quod attigit Paulinus noſter ſupra lib. 4. illis verſibus: *Tunc humili obſequio ſolium Doctoris adorant, Officio docto raptim loca ſingula ſignant, Qua tetigere pedes ſtantis, qua membra iacentis, Qua ſancto benedicta cibo, q̃ preſſa ſedili, Vel qua proſtratis orâti ſubdita membris*, &c. D. Hieronymus narrat B. Hilarionem, cum ſancti Antonij eremum inuiſeret, huc illuc diſcurriſſe, vt obſeruaret diligenter, vbi pſallere Antonius ſoleret, orare, operari, vbi feſſus reſidere; quaſque vites, quas arbuſculas plantaſſet, quam areolam manibus ſuis compoſuiſſet, quem ſarculum ad fodiendam terram habuiſſet: *demum* (addit Hieronymus) *iacebat in ſtratu eius, & quaſi calens adhuc cubile deoſculabatur*. Sed & Paulinus noſter Epiſtola 10. ad Seuerum de tunica S. Melaniæ illuſtris fœminæ agens: *craſſam illam*, ait, *velut ſpartei ſtaminis tunicam, & vile palliolum gaudebant manu tangere, & veſtimenta ſua velleribus, auro, arte precioſa, pedibus eius ſubſternere, panniſq́; contegere geſtiebant; expiari ſe à diuitiarum ſuarum contagio ſordem colligere mererentur*. Sic ille; Non diſsimile illud Pauli Diaconi hiſtor. miſc. lib. 14 de Theodoſio Imperatore; *Fertur*, ait, *quod cum Conſtantinopoli Epiſcopus Chebronenſis fuiſſet mortuus, ſagum eius valdè ſordidiſsimum quæſierit, & eo circum amictus ſit, credens aliquid ſe ex defuncti ſanctitate promereri*.

Pag 312. v. 26. *impartiri.*

Quantus ad memoriam S. Theclæ hominum concurſus eſſet, exponit nobis Baſilius Seleuciæ Epiſcopus lib. 2. de Miraculis S. Theclę vbi etiam docet, qua pœna plexus fuerit Marianus Tarſi Epiſcopus, quod ſuis vetuiſſet, ne ad S. Theclam peregrinationem ſuſciperent. *Inſtante namque Virginis feſto*, inquit Baſilius, *quo omnes, præſertim Cilices, ad nos concurrebant, (vt etiamnum concurrunt; & quoad homines erunt, idem à ſingulis fiet, cum Martyris venerandæ, tum animarum ſuarum priuati commodi cauſâ;*

ita

ita vt & terra & mare coanguſtetur præ multitudine populorum,domorum,familiarum,huc confluentium;)ille exurgens,in Eccleſia ſua publico edicto profectionem huc ad nos & ad Martyrem fieri vetat. Atque hæc maxima contra Dexianum Epiſcopum Seleuciæ, *comminatio illius & vindicta fuit; ſolitum nempe feſti ornatum detrahere,Martyremq́; laudibus,ab iis,qui ad feſtum hoc concurrunt, tribui conſuetis,ſpoliare. Sed cum vix dum tale quid perpetraſſet,ſuæ ſtultitiæ, ſeu dementiæ potius,pœnas dedit. Neq; enim vltra quintum aut ſextum diem Capanéus ille temeritati iſti ſuæ ſuperuixit.*

Idem Baſilius: *Feſtum erat Martyris,& poſtremus iam eiuſdem dies, quem etiam ἀπόλυσιν,hoc eſt diſceſsionem,quod feſtum deinceps finem accipiat, appellare ſolemus. Eo die omnes; ciuis,externus; maritus,vxor, liberi; imperio præfectus, imperio parens; dux,miles: magiſtratus, priuatus; iuuenis, ſenex; nauta, agricola; breuiter vniuerſi magna animi alacritate ſtudioſius conuenire properant: quo Deum orent,ac Virgini ſupplicent,& diuinorum myſteriorum participes effecti,ſanctificati,& tanquam recens abſoluti,corporeq́; & animo renouati, domum reuertantur. Inter illam porrò hominum frequentiam duo quidam erant Irenopoli noſtra profecti.* Ibid. cap. 18.

Hi igitur,feſto atq; ſynaxi finita,inter ſe,& cum aliis multis conuiuium agitabant.cumq́;,vt fieri ſolet,ſinguli aliquid eorum,quæ ad feſtum ſpectabant, cum admiratione deprædicarent; hic magnificentiam eius ac ſplendorem; ille eorum, qui concurrerant,infinitam multitudinem; hic primorum Pontificum celebrem cœtũ; ille concionatorum in dicendo præſtantiam; hic,quæ ex Pſalmorum cantu capiebatur,voluptatem; ille,peruigilij iſtius perſeuerantiam; hic reliquam diuini cultus concinnitatem,atq; ordinem: ille orantium contentionem; hic multitudinis impulſionem; ille æſtus magnitudinem; hic tremendi myſterij tempore, modò adeuntium,modò abeuntium,modò iterum intrantium, modò recedentium rurſus, vociferantium, rixantium, ſe mutuò implicantium, nec inuicem concedentium, dum primo quiſq; loco ſacroſancta myſteria participare deſiderat,certamen & coitionem. tum eo in numero alter horum duorum, cui nomen Orentio, interfatus; ſinguli, *inquit,*veſtrum,quod cuique lubitum eſt, de feſto ſuſpiciat; quod ad me attinet,arbitror me longè præ cæteris admirabilioris ac iucũdioris miraculi atque ſpectaculi fructum percepiſſe: mulierem enim ex quadam porticu templi proſpiciens vidi,adeò pulchrã, forma adeò liberali atque eximia,omnibusque venuſtatis partibus ita conſtantem; vt toto ſynaxeos tempore oculi mei miranda illius ſpecie adſtricti,& velut clauis affixi,tenerentur; & illud vnum à Martyre comprecarer,vt pulchritudinis illius, ac nullius rei alterius me compotem faceret.

Ex his clarè vides,quantus hominum concurſus ad B.Theclæ Seleucienſem Eccleſiam fuerit. Illud item intelligis, celebritatem huic

Martyri conſecratam, non vno, ſed pluribus diebus circumſcriptam fuiſſe, peractamque apparatu magnifico & ſummo omnium gaudio & applauſu, non ſine perſpicuis miraculis, beneficentiæ diuinæ per Martyrem mortalibus collatæ teſtimoniis. *Templum* (B. Theclæ) *vel potius vrbem, (nam in vrbis poſtea figuram, vſum pulchritudinemque tranſiit)* inquit Baſilius Seleucienſis lib. 1. de vita S. Theclæ, *nunquam ſine ciuibus & peregrinis reperias; omnibus vndique eo confluentibus, his quidem ſolum ob reuerentiam loci, votaq́; inibi facienda, & aliquid rerum ſuarum ipſi Diuæ dedicandum conſecrandumque eo properantibus; illis verò ad morborum inſuper ac dolorum, dæmonumque quibus fortè tenentur, curationem auxiliumque obtinendum.*

Pag 382. v. 18. *S. Auguſtinus.*

Quare mirandum non eſt, ſi ad hunc vel illum locum maiores peregrinantium concurſus fiant, quàm ad alia; cum manifeſtum ſit, Deum plura ſupra naturæ vires in vno, quàm in alio loco patrare; ſicut videmus, eundem, etiam per naturales cauſſas, plura beneficia corporalis incolumitatis mortalibus vno in loco, quàm in alio impertire. Hinc fit, vt maior multitudo huiuſmodi beneficia poſcentium & quærentium ad hunc illumué, quam ad alium locum confluat, quia præſentius reperiunt alexipharmacum. Admodum imperitus fuerit; qui ſciſcitetur, cur plures ad Fontes *Spadanos* in Eburonibus; ad Svvalbacenſes, Göppingenſes, & ſimiles acidulas; ad Thermas Fabarias vel Badenſes, vel alias huius generis medicatas aquas aduolent; quam ad vndas Rheni, aut Danubij, aut Moſæ, aut Moſellæ; aut alterius fluminis. Cauſſa etenim in promptu eſt; quia prædictis locis ea beneficia languentibus Deus præſtat; quæ alibi locorum per fontes minimè præſtat; aut non tam certò; aut non tam efficaciter.

Pag. 383. v. 20. *ſectarij.*

Eandem varietatem animaduertere licet in iis beneficiis, quæ Deus per ſolas naturales cauſſas homnibus confert. Nam fontes medicati, de quibus antea mentio facta; non æqualiter omnibus morbis medentur: Quidã enim ſtomachum præcipuè curant & firmant. Quidam arthriticis, & Podagricis magno ſunt emolumento. Alij nephritide ſeu calculo laborantibus: Alij has; alij alias ægritudines vel fugant vel leuant. Quam igitur cauſſarum & effectuum varietatem cernere eſt in operibus naturæ; eandem fermè deprehendere poſſumus in iis, quæ Deus ſupra naturæ leges efficit per reliquias, inuocationem, & cultum diuorum; Et ſicut his vel illis rebus creatis

vim

vim & efficacitatem tribuit, quam aliis denegauit; ita huic vel illi ſancto chariſma & donum hoc vel illud agendi impertiit; quod aliis non conceſsit. Si quis cauſſam ſcire velit, is ſimul etiã indaget, cur huic vel illi fonti dederit virtutem ſanandi hunc vel illum morbum; non autẽ alium vel alios. Ipſe nimirum tam in naturalibus, quàm ſupernaturalibus diſtribuit dona ſua, prout vult; ſimul etiam inueſtigare poterit, cur Heliſæus, inſtinctu Dei, miſerit Naaman ad Iordanem, lepræ purgandæ cauſſa. Videbatur ipſi etiam hoc perquam mirum. Quapropter indignabundus aiebat: *Nunquid non meliores ſunt Abana & Pharphar fluuij Damaſci, omnibus aquis Iſraël, vt lauer in eis, & munder?* Nihilominus ad Iordanem eundum fuit, & niſi iuiſſet, lepra non abiiſſet. Cur hoc? Quis conſiliarius eius fuit? Dominus eſt. Ita voluit; ita fecit; & ſi coniectare licet, ideo, vt intelligamus, beneficia ordinariè diuinitus non concedi, niſi interuentu cauſſarum mediarum plurium vel pauciorum, arbitratu Dei. Hinc ille idem Naaman, exiſtimans, ſatis eſſe, quod ad Heliſæum veniſſet, dicebat. *Putabam, quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ.* Poterat quidem Heliſæus hoc facere; ſed noluit; ad Iordanem miſit; inſigni ad poſteritatis memoriam exemplo, vt intelligeremus, Deum ita beneficia ſua diſpenſare, vt tamen ſimul quaſi in collati beneficij laudem creaturas non tantum rationis participes, ſed & rationis expertes adſciſcat. An non poterat Chriſtus cœcum illum vnico verbo ab innata caligine liberare? Et tamen ad natatoriam Siloë ablegauit. Abiit ille, lauit & vidit: nequaquam viſurus, niſi abiiſſet, atque lauiſſet.

Pag. 393. v. 10. *habuiſſe.*

Cæterum vnde & quàm aptè Claudius S. Auguſtinum citauerit, docet nos nuper editûs Dungalus libro contra Claudium Taurinenſem ad Ludouicum Pium Imperatorem his verbis. *S. Auguſtino làſciuè blanditur* (Claudius) *& adulatur ſingulari eum præferens laude, quaſi ſuæ fautorem vecordiæ, & cùm ſit omnium artium inſcius liberalium, nititur procaciſsimè ipſius Dialectica per ſe ipſum ſine vllo vti magiſterio, & ad ea quæ adfirmare maluerit, & ipſam imprudentiſsimè detorquere. Sicut per hoc eiuſdem exemplum, quod prauo ſenſu ex libro de Trinitate octauo arripuit, memorias Sanctorum, nõ eſſe orationis ſtudio appetendas, eorumq́; reliquias deſpectui atque odio eſſe habendas voluit adſtruere, dicens:* Audite & hoc inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite, qui interceſsionem Apoſtoli Romam pergendo quæritis, quid contra vos dicat idem ſæpe dictus beatiſsimus Auguſtinus. In libro enim de Trinitate octauo inter cætera ſic dixit: Redi ergo

go mecum, & conſideremus cur diligamus Apoſtolum? Nunquidnam propter humanam ſpeciem, quam notiſsimam habemus, eo quod credimus eum hominem fuiſſe? Non vtiq;: alioquin nunc non eſt quem diligamus, quandoquidem homo ille iam non eſt: (Anima enim eius à corpore ſeparata eſt) ſed id, quod in illo amamus etiam nunc viuere credimus. *Cùm ille non intellexerit quo ſenſu Auguſtinus dixerit, Apoſtolum non propter humanam ſpeciem, neque ob hoc, quod homo aliquando fuerit, eſſe diligendum.*

Pag. 394. v. 8. debet.

Prodiit nuper in Tomo 2. Auctarij ad Bibliothecam SS. Patrum, Reſponſum Dungali contra Claudium Taurinenſem, ad Ludouicum Pium Imperatorem: vbi Dungalus ſcribit, Claudio quidem omnes peregrinationes ad Reliquias & Memorias Martyrum fuiſſe exoſas, præcipuè tamen Romanam ad limina Apoſtolorum. Accipe Dungali verba. *Quod ille* (Claudius) *ſanctorum omnium Baſilicas, maximeq́; ſancti Petri, orandi cauſſa, viſitari abhorret, dum eam numeroſior populus quàm alias appetit Eccleſias, propter excellentiam ſcilicet Apoſtolorum & innumerabilium Martyrum ibidem requieſcentium, inuidia, vt arbitror, & cupiditatis ſtimulis agitatus hoc facit, quòd votiua illuc plurima confluunt donaria. Nam ſi ad Taurinenſem Eccleſiam ita deferrentur, certè crediderim, quòd non minus iſti conſuetudini fauendo & eum laudando deſudaſſet, quàm nunc blaſphemando & dehortando laborat, & non remiſſiori ſtudio libros componeret ad perſuadendum omnibus, quo ſanctorum Taurinenſium Reliquias colerent, eorumq́; ſe interceſſionibus commendarent, quàm modò contra Apoſtolos rebellando congerit, & peruersè obloquendo depromit.* Quibus ſanè verbis Dungalus rem acu tetigiſſe videtur, quodque ille de Claudio, hoc nos itidem non immerito ſuſpicabimur de noſtris Prædicantibus; ad quorum delubra, ſi ea anathemata apportarentur, quę Lauretum, Otingam, ad Eremum Deiparæ apud Heluetios, & ad ſimilia pietatis ſacraria, forſan tantum verborum conſumerent ad incitandos homines, quantum nunc prodigunt ad dehortandos, ne vlla munera templis offerant.

Sed quia & hic & alibi diſputatum eſt, num iis, qui vitam Monaſticam complexi ſunt, peregrinationes ſuſcipere expediat; adſcribere placet, quid nam Lucas Tudenſis lib. 2. contra Albigenſes ſuper hac re ſcriptum reliquerit; cuius diſſertationem accipe. *Notæ quorundam clauſtralium quæſtioni, vtrum melius ſit peregrinatio ad Sanctorum memorias, quàm in clauſtro ſub regula obedientiæ viuere, reſpondere compellor, vt vtilitatem vitæ, eorum ſuffragiis in cæleſtibus valeam adipiſci. Verba Domini ad ſequendum ſe*
Luc. 9. 23. *hominem inuitātis ſunt hæc:* qui vult poſt me venire, abneget ſemetipsūm,

&

& tollat crucem ſuam & ſequatur me. *Qualiter autem nos ipſos abnegare,*
crucem tollere, atque ipſum ſequi debeamus, nobis manifeſtat, cùm dicit; Exem-
plum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. *Hæc* *Ioan. 13. 15.*
Domini perfectionis verba, non tantùm ad aures corporis, ſed etiam ad aures cordis
perueniunt & cuiuſlibet clauſtralis cum amore cœleſtium bonorum ſancti Spiritus
gratia mentem eius tetigit, vt rebus abrenuntiaret mundanis, & obedientiæ vincu-
lo ſe arctaret, proprium velle reſtringeret, dum voluntatem Prælati ſuæ voluntati
anteponeret, ſeipſum abrenuntiat: quia voluntati ſuæ nihil proprij arbitrij reſerua-
uit, verè ſecutus Dominum, qui dicit: Non veni facere voluntatem meam, *Ioan 6. 38.*
ſed voluntatem eius, qui miſit me, patris. *Crucem ſuam tulit, & in eam a-*
ſcendit nudus, quia promiſſione facta de proprio non habendo ſeipſum excruciat fa-
me, ſiti, nuditate, ieiuniis, vigiliis, orationibus, diſciplinis & aliis operibus bonis, quæ
de ordinis rigore proueniunt.

Videbitur forſitan quibuſdam ſecularibus me non vera proſequi, dum dico clau-
ſtralem virum fame, ſiti affici, plerumque à nuditate: ſed illi me vera proſequi appro-
bant, qui experimento certo multoties his laborant. Huic, vt dictum eſt, in cruce pen-
denti caro, mundus, & diabolus certatim clamoribus perſtrepunt dicentes: deſcen-
de de cruce. *Clamat caro aliquando petendo etiam neceſſaria. Clamat etiam* *Matth. 27. 40. 34. & 48.*
mundus delectabilia promittendo. Clamabat diabolus ei per ſuos ſatellites acetum,
& fel in ſiti ſancti deſiderij offerendo, id eſt, hunc opprobriis, & conuiciis laceſſendo.
Sed cum Dei ſeruum diabolus clauis timoris & amoris Dei affixum conſtanter vide-
rit permanere, & vulnere charitatis latus mentis illius transfixum etiam pro inimi-
cis orare, conuertit ſe ad callida argumenta, & quem non valet à Deo ſeparare, illa-
tis contumeliis nititur deiicere virtutibus ſimulatis. Transfigurat ſiquidem ſe in An- *2. Cor. 11. 14.*
gelum lucis, quaſi bonum ſuggerens, & qui prius dixerat, deſcende de cruce, nunc ad-
dens dicit: & credimus tibi. Ac ſi diceret. Tam ſecurus es de præmio tui laboris, quia
per tot annorum curricula probatus, fidelis inuentus es, egredere ad peregrinandum,
nullum opus bonum prætermittas inexpertum. Eſto ceteris vitæ norma. Videant fra- *Matth. 5. 16.*
tres tui opera tua bona, vt luceat lux tua coram hominibus. Siquidem ſi non perfe-
ctè prædicare poteris, tamen plures de vita æternæ ſtudio admonere.

Hæc ſuadet inimicus, non vt bona ſuggerat, ſed vt ſeruum Dei qualicunque modo
euertens, de cruce deſcendere faciat, & infirmis fratribus, ac iunioribus occaſionem
præbeat leuitatis & prætextu ſanctæ peregrinationis extrauagandi, luxuriandi, ha-
bendi proprium, & aliorum ſcelerum inueniant cauſſam, vnde corruat in peccatum,
& ſit ceteris perditionis exemplum, qui prius fulgebat exemplar virtutum. Multi-
formiter intendit diabolus euertere ſeruum Dei, vt per incautelam vnius, plures poſ-
ſit ducere in infernum. Seruus autem Dei filium Dei ſemper habet præ oculis in cru-
ce pendentem; & vſque ad mortem patri obedientem. Qui non mouetur proteruis
clamoribus inſultantium infidelium & dicentium. Vah qui deſtruis templum *Matth. 27. 40.*
Dei. Et poſt pauca: Si Chriſtus Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cru- *& 42.*

ce, & credimus ei. *Non iraſcitur ſibi acetum,& fel offerentibus,ſed orat pro illis*
Luc.23.35. *dicens.*Pater dimitte illis.non enim ſciunt quid faciunt.

Illud etiam qui Deum ſequitur, attendit ſedulo, quod in ipſa mortis hora egit
Ioan.19.30. *Dei filius,videlicet,quod inclinato capite tradidit ſpiritum: Non eleuauit caput moriendo,ſed inclinauit,vt per inclinationem capitis Magiſter humilis exemplum praeberet humilitatis etiam moriendo.In cruce perſeuerauit pendens vſque ad mortem,*
Mat.h.10.22. *vt qui viuens dixerat:* Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit; *moriens quoque ſancta perſeuerantia daret exemplum; ſanctiſſimae etiam Virginis matris ſuae fletibus & ſuſpiriis non deſcendit de cruce, vt hoc diſcant exemplo viri religioſi etiam pia parentum ſuggeſtione, ſanctitate praeeminentium nullatenus à ſancta profeſſionis voto & opere declinare.*

Haec omnia facta in Dei filio vir ſanctus, qui carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis ſaeculo abrenuncians crucifixit,peruigili ſolertia intuetur, & in ſancta obedientia, qua melior eſt quàm victimae, optima parte electa deſiderat permanere: & verus Chriſti imitator in bono opere perſeuerat, & de cruce quam deſcendit, nullatenus vult deſcendere,donec in ſpiritu humilitatis,& animo contrito ſuum filius Dei offerat ſpiritum. Sanctum quidem eſt peregrinationis exercitium,ſed ſanctiſſimum ſanctae obedientiae votum:, ſi vſque ad finem inconcuſſa mente firmiter teneatur. Si verò quis in eo per diuerſa ſtudia coeperit permutari, tanto, (vt ait B.Iſidorus) à diuina ſe ſubtrahit charitate, quanto diuerſarum rerum ſe ſtudiis occupauit. Qui proinde obliuiſcitur voti, quia capitur illecebris natiuitatis. Sanctum eſt peregrinationis officium ſaecularibus,ſed illis maximè,qui verſantur in luxibus carnis: quia fatigatum corpus quaerit requieſcere: & mens afflicti ad Dominum cogitur ſuſpirare. Sanctorum precibus infunditur Dei gratia pro labore,& fugatis diaboli tenebris lumen ſancti Spiritus fulget in mente. Datur vltimò aeterna retributionis praemium laboranti,& beata quies in patria ſine fine. Haec Tudenſis.

Fol.407.v.23.effundendum.

Quod D. Auguſtinus elegantiſsimè ſcripſit de auro & argento, vel potius auri & argenti abuſu; hoc mutatis pauculis duntaxat voculis ad peregrinationes ſeu peregrinandi conſuetudinem transfer-
S.Aug.lib 50. Hom 30. re licet. *Videtis,* inquit, *quàm magno errore,magnaq; dementia in res ipſas,quibus malè homines vtuntur,crimen male vtentium transferatur. Nam,ſi propterea vituperatur aurum, & argentum, quia homines auaritia deprauati,neglectis praeceptis omnipotentiſſimi creatoris, in ea, quae condidit,deteſtabili cupiditate rapiun-*
Rom.1. *tur;vituperetur etiam omnis Dei creatura. quia, ſicut Apoſtolus dixit; peruerſi quidam homines coluerunt, & ſeruierunt creaturae potius,quàm creatori,qui eſt benedictus in ſecula. Vituperetur etiam iſte ſol, quem certè iidem Manichaei, qui non intelligunt eſſe creaturam, tanquam ipſum creatorem, vel tanquam eius aliquam partem colere, atque adorare non deſinunt. Cur ergo ipſum non vituperant, cum plerun-*

plerunque homines de vſu ſolis, & luminis in ædificiis ſuis lites iniuſtiſsimas concitant; & vt feneſtris ſuis radij liberiores aliquanto largius infundantur, domos alienas deiicere ſæpe moliuntur, & eos, qui contradixerint, etiamſi iure certiſsimo contradicant, inimicitiis acerbiſsimis inſectantur? ſi quem igitur infirmorum potentior aliquis iniuſtè, ac nefariè propter vſum ſolis oppreſſerit, diripuerit, in exilium etiam, mortémue compulerit, ſolis eſt crimen, quo ille abundantius vti deſiderat, an potius malè vtentis iniquitas? qui dum cupit corporeis aulis temporale lumen largius acquirere, cubiculum cordis luci nō aperit æquitatis. Ex quo iſti, ſi poſſunt, intelligant, aut aurum, & argentum ſe accuſare non debere; quamuis de auro, & argento ſæpe homines cupidiſsimi dimicent, aut accuſationes ſuas de terra in cælum, & de metallis fulgentibus in ſidera, atque ipſum ſolem ſe debere transferre, quando iniqui homines inexpiabili ſæpe diſcordia de poſsidenda ſolis luce confligunt.

P.415.v.15.diſtant.

Obſerua autem Clementem V. in Concilio Viennenſi grauiter prohibuiſſe ne Chriſtiani principes, in quorum ditione Saraceni degebant, paterentur eos Mecham ad ſepulchrum Mahometis peregrinari, quorum quotannis innumera multitudo ad impoſtoris illius nefarium tumulum confluere etiam ſolet. Qui quas ſtultitias pro expiandis ſuis ſceleribus eo in loco exerceant, diſces ex libro primo Nauigationis Ludouici Romani Patritij. *Clem. lib 5. tit. 2. cap. Vnico.*

PARALIPOMENA PRO LIBRIS DE PROCESSIONIBVS.

Numeri reſpondent editioni Colonienſi, quæ anno M. DC. VIII. prodiit.

Pro cap. 5. pag. 42. verſ. 16. *edidit.*

ETIAM Chronicum Siculum anno XXXIX. Theodoſij terræmotum, eiusque annuam commemorationem, ſed alio die, commemorat. Accipe verba Chronici. *Eodem anno ingentes terræ tremores fuere, vt mœnia procumberent, (quæ alioqui vetuſtate fatiſcebant) & nemo quiſquā auderet domi ſuæ manere, ſed omnes deſerta vrbe foris dies & noctes precibus, & litaniis vacabant. Omnes enim ingens terror occuparat, qualis à condita vrbe non fuerat. Nonnulli ignes quoque cæleſtes à ſe ſpectatos affirmabant. Vnde & anniuerſaria memoria etiam hodie peragitur litaniarum in Triconcho VIII. Idus Nouemb. pro clementi Dei in genus humanum patientia, cùm in tantis minis cæleſtibus neminem tamen morti dedit.*

Ibidem v. vlt. *menſes tres.*

Eſt hic ille terræmotus quem Chronicum Siculum anno XLII. Im-

perij Theodoſij his verbis deſcribit: *Hoc anno Conſtãtinopolis magnam labem accepit, ex terræmotu, menſe Ian. 6. & 20. die, noctu à Tradeſiis porticibus, vſq; ad æreum Tetrapylum, vt aliquandiu nemo auderet domi ſuæ habitare; ſed omnes fugerent in campum, dieſq; & noctes continuarent preces. Ipſe Imperator cum ſenatu, & populo, cleróque nudus pedes, multis diebus Deum votis propitiabat. Ingens enim terror, qualis nunquã fuerat, omnes perculerat. Quidam affirmabant, ſe ignes in cœlo vidiſſe. Vnde anniuerſaria memoria precũ celebratur etiam hodie in Campo, ad Dei clementiam in genus hominum laudandam. In tanta enim malorum trepidatione, nemo exſtinctus eſt.*

Pro cap. 8. p. 73. v 1. *introducendi.*

Idem Lutherus colloq. ſympoſ. Tit. de Matrimonio. Mit den Walfarten hat man am meiſten Vnzucht getriben / da ſucht man feine gelegene örter / ſchöne luſtige Berg / grüne Bäum / Brunnen / Waſſer / Höltzer / ꝛc. da fand man ſie zuſamen. Iure credas Lutherum non audita; ſed in ſe à ſe viſa, & abs ſe geſta referre; alioqui non graphicè hæc nequitiæ conuenticula depingere tam potuiſſet. Quod pręterea ex iſto loco, qui in Tit. de Idololatria exſtat, non immeritò colligas. Im Bapſthumb in der Creutzwuchen hat man der H. Stett oder Kirchen beſucht / vber ein halbe / gantze / zwo oder drey Meil wegs auß den Stätten. Vnd wann zwey nit haben könen zuſamen komen / jhre Vnzucht zutreiben / ſo ſeind ſie zu ſolchen Walfarten gangen / haben jhre Luſt gebüſſet. Suſpicari quis haud temerè poſſet, Lutherum primitus hac occaſione cum ſua Borrha cõueniſſe.

Cap. 8. fol. 81. v. 6. *Diſcipuli.*

Sarcerius in libello de neceſsitate Conſiſtoriorum anno M. D. LV. Eiſlebij impreſſo, inter vitia excommunicatione plecti digna, enumerat etiam hæc. Walfarten gehn / *Peregrinari.* Gottloſe Proceſſion halten vmb das Getreid auff dem Feld. Dann ſich ſolcher Ding etlich widerumb / wo nit ſo gar offentlich / doch heimlich / vnd mit wenig Perſonen vnderſtehn / Bilder vmb die Frücht tragen. *Impias Proceſſiones per agros circum ſegetes inſtituere. Sunt enim qui ſimilia iterum tentent. Si non prorſus publicè, at occultè & paucis comitati. Item, imagines circum agros baiulare.* Hæc nimirum ſunt atrocia illa crimina, digna, quæ Lutherano fulmine percutiantur. Fortè maluiſſet Sarcerius, vt circum agros portarentur Flaſcones bono vino, aut cereuiſia Einbeckenſi referti.

Apud Cæleſtinum in Hiſt. Confeſs. Auguſt. fol. 272. numerantur ex Luth. in capitibus *in Eccleſia hypocritica* receptis & vſitatis, etiam ſequentia. *Peregrinationes innumerabiles.* vbi verò iſte peregrinationũ innumerus numerus? *Proceſsionis ſpectaculum die Dominica, S. Marci proceſsio, Dies Rogationum, vtrunque ad omnis generis libidines, inſeruiens;* ſi de grege Lutheri hirci interſint. *Proceſsio corporis Chriſti.*

Cap. II.

Cap. 11. fol. 115. v. vlt. *maiorem.*

Quàm diſsimilis ſanctis hiſce viris fuit Caluinus, qui monitus, vt Deum proceſsionibus, ſupplicationibusque placaret, quando peſtis Geneuæ mirum in modum ſæuiebat, hoc monitori ſuo Reſponſum dedit. *Indicis nobis etiam ſupplicationes illas, quas vocatis proceſsiones generales. Et quid illic operis extare poteſt, niſi fortaſſe magna illa pompa, & ceremoniis ad oſtentationem comparatis Deum à nobis placatum iri cogitaremus? Reſpondebis, tibi in animo eſſe, vt iſta cum certo animi affectu, & deuotione peragantur, ſcilicet illa erit legitima deuotio, vbi fidem affigemus cereis funalibus, veſtibus ſuperbis, & profuſis, imaginibus, & mortuorum reliquiis.* (Minimè opus his affigere fidem. Satis erit, ſi hæc, vt fidei & pietatis argumenta, publicè depromas; hiſque deprecatoribus, quorum lipſana in proceſsione circumferuntur, clementiam & miſericordiam cælitus te conſecuturum ſperes: nam veſtes ſuperbas & profuſas in ſupplicationibus nemo proborum probat.) *Illud quidem in vſu fuit apud idololatras ex gentibus, vt hiſtoriæ teſtantur: vt autem hoc Chriſtiano cultui reſpondeat, primùm docendi eſſemus.* (Verùm apud Chriſtianos huiuſmodi proceſsiones in vſu fuiſſe, docet totus hic primus de proceſsionibus liber; ſuſceptaſque nominatim, quando peſtis contagio miſeros mortales diuexabat, aliquot exemplis hoc capite planum fecimus. Quos veriſimile eſt, non ignoraſſe, quomodo hic ritus Chriſtiano cultui reſpondeat; neque enim quidquam loci ei conceſsiſſent; ſi vel latum vnguem à Chriſtiano cultu deflectere animaduertiſſent: neque etiam Deus tot miraculis hunc Eccleſiaſticum morem approbaſſet, ſi diuinæ voluntati contrarius fuiſſet. Nam quod Ethnici ſimile quid rebus in arctis præſtiterunt, id proceſsionũ conſuetudini non officit; *nam hinc diuina conſtabit, quam diabolus diuinorum æmulator imitatur*, vt inquit Tertullianus lib. de ieiuniis.) *Non diſceptamus, an expediat cœtum cogere, vbi ſolennes ad Deum preces concipiantur. Illud quæritur in iſtiuſmodi ſupplicationibus, quid exſtet præter illam pompam in veſtibus, funalibus, reliquiis, & ceteris id genus?* (Præter externam pompam gloriæ diuinæ celebrandæ præparatam, & honori ſupremi rerum Domini amplificando inſtructam, exſtat in proceſsionibus pietas, deuotio, ſupplicantium humilitas, precandi feruens ſtudium, & id genus alia propitiandæ cœleſti iræ accommodata media.) *Atqui illud totum merè Iudaicum eſt, ne dicam paganicum prorſus, nedum, vt in Chriſtianis probãdum ſit.* (Si proceſsiones inſtituere Iudaicum & paganicum eſt, quia ſimile quid à Iudæis & Paganis factum eſt; erit igitur Iudaicum quoque & Paganicum preces fundere, ieiunare, fidem ſeruare, depoſitum reddere; quia hæc talia à Iudæis quoque & Paganis

Caluin. epiſt. 395.

præſtita fuêre. Certè Caluiniani ſtudio recedendi à Iudæis atq; Ethnicis,eo vſque progreſsi ſunt,vt iam nec Iudæi,neque Ethnici,ſed his omnibus deteriores euaſerint.) *Auditur illic clamor & cantus, lingua verò incognita.* (Atque non pauci ſunt ex ſupplicantium numero, quibus lingua latina ſit nota. Nec piaculum eſt in ſupplicatiouibus vernacula lingua quidpiam decantare, vt moris eſt in multis Germaniæ prouinciis: ſatisque eſt, vt lingua, qua Deus oratur & celebratur, Deo ſit nota.) *Ac proinde contra diſertum mandatum Spiritus ſancti.* (vbi hoc mandatum?) *quo iubet preces publicas concipi lingua communi,ea videlicet,quæ omnibus promiſcua ſit,vt,quicunque ſunt rudiores,& ex plebe,illorum participes fiant,& ad exitum Amen reſpondeant ex ſua conſcientiæ, & affectus teſtimonio.* Quaſi verò nullus reſpondere queat *Amen*; niſi qui linguæ illius notitiam habet? An non ſatis eſt, vt in genere ſciat, id, quod ab Eccleſia petitur, eſſe ſanctum, ſalutare & conducibile, & dignum cui ab omnibus corde & ore, tacitè vel expreſsè acclametur, Amen, Fiat, Fiat.

Pro cap. 12. fol. 117. v. 25. recepit.

Reliquias S. Ioannis Baptiſtæ, & quorundam aliorum cœlitum, ſolenni ſupplicantium agmine excepit Theodoretus Cyri Epiſcopus, qua de re, quæ Iacobo Anachoretæ viſio oblata fuerit, docet ipſe Theodoretus. *Quando hos ciuitatis patronos,qui à Phœnicia venerant & Palæſtina, cum Dauidica excepiſti chorea, venit mihi in mentem,cogitare,num hæ eſſent inſignis Ioannis illius reliquiæ, & non alterius martyris, qui eſſet eiuſdem nominis. Poſt vnum ergo diem, ego quidem ſtabam ad hymnos decantandos: video autem quendam candida veſte indutum & dicentem: Frater Iacobe,cur nobis aduenientibus non veniſti obuiam? Cùm ego autem rogarem, qui nam eſſent, reſpondit dicens; Qui à Phœnicia & Palæſtina nuper venimus: &, cùm prompto & alacri animo nos omnes excepiſſent, & paſtor & populus, & ciues & ruſtici; tu ſolus eorum honoris non fuiſti particeps.* Ex qua Iacobi Anachoretæ oratione eluceſcit id, de quo diſſerimus, nempe mos excipiendi Sanctorum Reliquias cum Proceſsione, Pſalmis & Canticis, populo vniuerſo in vnum ad honorem Dei & ſanctis deferendum collecto.

Theod. Hiſtoria Relig. in Iacobo.

Pro cap. 13. fol. 131. v. 23. officium.

Præclariſsimum proceſsionis funebris exemplum ſuppeditat nobis D. Gregorius Nyſſenus in vita B. Macrinæ Virginis, ſororis ſuæ, deſcribens, quo ritu ſancta illa virgo ad tumulum elata ſit. *Interim dum hæc agebamus,* hoc eſt, dum corpus virginis ad ſepulturam veſtiebamus, inquit Gregorius, *& virginum cantu lamentationibus commiſto reſonabat locus, fama neſcio quomodo vndiq; diffuſa, omnes finitimi ad funus confluxerunt, adeo*

vt

vt concurrentes veſtibulum non caperet. Cum igitur nocturna peruigilatio,vt in Martyrum celebritate,canendis Pſalmis perfecta eſſet, & crepuſculum aduenißet, confluentium vicinis è locis omnibus virorum & mulierum multitudo, pſalmorum decantationem fletibus interpellabat. Ego autem, quamuis propter calamitatem animo eſſem conſternatus,tamen ex rebus præſentibus, quoad fieri potuit, operam dedi,vt nihil in tali funere deſideraretur. Itaque confluentem populum in genera diſtribuens,mulierumq́ multitudinem admiſcens virginum choro,virorum autem turbam adſcribens monachorum cœtui, vnum quendam ſtudui ex vtriſque aptum concinnumq́, tanquam in Pſalmos canentium congreſſu, ex communi omnium concentu aptè coniunctum ordinem conſtituere. Verum, cum paulatim progrederetur dies. & locus præ confluentium multitudine anguſtus redderetur, ſurgens qui ei regioni præfectus erat Epiſcopus, Araxius nomine (aderat enim cum vniuerſa multitudine ſacerdotum)præcepit vt ſenſim præcederet tabernaculum. Nam & ſatis longum viæ interuallum intercedebat, & multitudo alioquin ob motum incitatiorem impedimentum attuliſſet. Deinde, omnes quos in munere ſuo obeundo miniſtros habebat & adiutores, vt ſua præſentia corpus decorarent, cohortatus eſt.

Cum autem hæc ita conſtituta ſtudioſè gererentur, & ego feretrum ſubiens, illum aduocaui,vt alteram partem ſuſtineret; poſteriores verò feretri partes ſubierunt alij duo de Clero inſignes viri. Senſim igitur procedebatur; cum & qui praibant,pedetentim incederent; & nos item gradatim ſequeremur. Etenim cum frequens populus feretrum circumſtaret, nec tam mirabili & ſacro ſpectaculo poſſet expleri,non erat facilè nobis iter facere. Ex vtraq; autem parte præcedebat nō exiguus diaconorum miniſtrorumq́ numerus; qui omnes ordine progredientes, accenſos cereos manibus geſtabant. Quæ quidem pompa non carebat myſterio, cum à principio ad finem vſq; decantatio Pſalmorum eadem voce,triplicíq; canentium ordine ſicut ille trium puerorum cantus, abſolueretur. Porrò cum inter ſeceſſum, & SS.Martyrum ædem,in qua parentum etiam corpora quieſcebant, ſeptē octoue intercederent ſtadia, totum propè diem in eo ſpatio conficiendo conſumpſimus.congredientium enim multitudo,quæ aſsiduè magis augebatur, non ſinebat nos ex ſententiá progredi. ſed vbi infra fores templi conſtitimus,demum depoſito ſcretro, nos ad precationem conuertimus. Quæ quidem precatio populo luctus materiam præbuit. Silentio enim Pſalmis canendis impoſito, cum ſacram illam faciem Virginis aſpexiſſent,&parentum iam eſſet patefactus tumulus,in quem illam decreueramus inferre,vnaq; earum nos poſt eam horam diuinum illud caput non amplius inſpecturos,perturbatius exclamante,& reliquis deinceps virginibus eádem vociferatione ſubſequentibus,incondita quædam confuſio, rectè conſtitutum, & ſacrum illum Pſalmorum cantum eſt conſecuta. Nam virginum luctu fracti, omnium animi cōmouebantur. Itaq; nobis nutu ſilentium imperantibus,& præcone præeunte, & ſolitas Eccleſiæ voces inclamante,vix tandē populus ſe ad precandum compoſuit, &c.

Ego,& regionis Epiſcopus ille,cuius mentionem feci,ſacrum illud corpus è feretro tollentes,iuxta matrem appoſuimus,atq; ita votum vtriusq; compleuimus. Vno enim conſenſu ſemper orauerant Deum,vt corporibus poſt mortem copularentur,vt quæ inter ipſas fuerat in vita coniunctio,ne in ipſa quidem morte diſſolueretur.

Pro cap. 13. fol. 150.v.vlt.*Symbolum.*

Hoc loco committere nequeo, quo minus exponam, qualē proceſsionem funebrem Lutherus ſibi inſtitui voluerit, quo apparatu, quo comitatu, qua pompa. Audi, & mitiſsimi huius Euangeliſtæ manſuetudinem,& prouidam de ſuo exitu curam admirare. Jch hab lang gnug gelebt/inquit Lutherus/in ſeiner Warnung an ſeine liebe Teutſchen/Anno 1531. den Todt wol verdient (Tu dixiſti. Ex ore tuo te iudico) vnnd meinen Herrn Chriſtum am Bapſthumb redlich angefangen zu rechen. (vltus es Chriſtum aſsimili fermè modo, quo Iudas traditor) nach meinem Todt ſollen ſie erſt den Luther recht fühlen.(iuxta illud: Peſtis eram viuus,moriens ero mors tua Papa; nam, te mortuo, nullus amplius Papa vixit.) Wie wol auch jetzt wa ich in ſolchen Bäpſtiſchen vnnd Pfäffiſchen Auffrhur ermordet werde/ da wil ich einen hauffen Biſchöff/ Pfaffen vnd Mönche mit mir nemen/ daß man ſagen ſol/ Doctor Martinus ſey mit einer groſſen Proceſſion zum Grabe bracht. (obſerua diligenter hanc funebrem proceſsionem, cuius ſimilem ſuo in funere inſtitui,nemo probus vnquam optauit) dann er iſt ein groſſer Doctor/ vber alle Biſchöffe/Pfaffen/ vnd Mönch/ darumb ſollen ſie auch mit jhm zum Grab gehen/auff dem Rucken/daß man daruon ſingen vnd ſagen ſoll/vnnd wöllen alſo zur letze ein Wahlfärtlein mit einander thun/ ſie die Papiſten in Abgrund der Hölle zu jhrem lugen vnd mörden Gott/dem ſie mit liegen vnd morden gedient. Jch zu meinem HErrn Jeſu Chriſto/ dem ich in Warheit vnd Fried gedienet habe. Denn es iſt gut zurechnen/ wer Doctor Luther im Auffrhur tödtet/daß der nicht vil der Pfaffen ſchonen wirdt. So gehen wir miteinander dahin/ ſie/in aller Teufel Namen in die Hölle/ ich inn Gottes Namen zum Himmel.]Ja wie ein Khů in ein Maußloch.Es felt ſich nicht. Quis vnquam ex Apoſtolis,Euangeliſtis, aut Martyribus, etiam iniuſtiſsimè interfectis hoc modo ad ſepulchrum ſe deferri optauit? Quis bonæ mentis homo talem comitatum funebrem vnquam expetiit?

Pro cap. 15.fol. 157.v. 14.*ſuſceperunt.*

Cum S.Ioannes Chryſoſtomus ab inuidis Conſtantinopoli pulſus eſſet; non conquieuerunt ciues,donec reuocaretur, & in thronū ſuum reuocaretur. Quo ab Imperatoribus impetrato, *populus cantile-* Sozo.lib.8.c.18. *nis pro re nata compoſitis obuiam procedens,*inquit Sozomenus,*cum & arden-*

tes tedas plurimi ferrent, ducunt ipſum ad Eccleſiam: & quanquam reluctantem, ac ſæpenumero aſſeuerantem oportere prius eos calculum ſuum reuocare, qui contra ipſum tulerant, vti moris eſt ſacerdotibus; compulerunt illum, & populo benedictionem impertiri, & in Epiſcopali ſede conſidere.

Qua celebritate S. Athanaſius ab exilio reuocatus Alexandriæ exceptus fuerit, vt fusè, ita venuſtè exponit S. Gregorius Nazianzenus orat. in S. Athanaſium. *Nobilis ille athleta ex præclara peregrinatione (ſic enim ipſius fugam pro Trinitate, & cum Trinitate ſuſceptam appello) in vrbem redit, atq; ita lætos & alacres ciues offendit, imò etiam vniuerſam propè Ægyptum vndequaque in vnum concurrentem, atq; ab editis omnibus locis, vt alij ſola Athanaſij voce, alij forma & aſpectu ſaturarentur; alij, (quod de Apoſtolis prædicatur) ex vmbra ſaltem ipſa, nouoq; corporis ſimulacro ſanctitatem contraherent: vt, cum multis iam ſæpenumero ex omni hominum memoria honores habiti ſint, multis etiam obuiam proditum ſit; idq; non ex præfectis tantum publicis & Epiſcopis, ſed familiarum quoque ampliſſimis quibusq; & clariſſimis, nullius tamen occurſionis maior frequentia & ſplendor fuiſſe memoretur, &c. Tanta erat apud omnes viri huius veneratio: Tanto ſtupore ingreſſus eius memoria hominum mentes etiamnum defixas tenet. Nam per ſexus & ætates atq; artes diuiſi; (ſolet enim maximè ciuitas illa ad hunc modum inſtrui, cum publico honore afficiendum aliquem ſuſcipit. Quonam verò modo ſpectaculi illius magnitudinem oratione referre queam?) Fluuius vnus omnes erant,* &c. Infrà: *Hic quoq; aduentus Chriſti expreſſam imaginem videre licet, quòd erant etiam, qui præeundo clamarent, ac chorum agerent: niſi quod non pueriles duntaxat turba fauſtis illum acclamationibus excipiebat, verum etiã omnis lingua concors & aduerſaria hominum ſeſe mutuò ſuperare contendentium. Nam quid publicos plauſus commemorem, & vnguentorum profuſiones, & totam vrbem lumine coruſcantem, publica item & priuata conuiuia, cæteraq; per quæ vrbes lætitiæ atque hilaritatis argumenta edunt, quæ tum illi ampliſſimè, & ſupra quam credi queat, conferebantur? Sic vir eximius, ac cum tali pompa & celebritate ciuitatem ſuam ingreditur.*

Pro cap. 15. fol. 161. v. 14. *lætatus eſt.*

Qua celebritate exceptus fuerit à Paſchali Pontifice Henricus V. Imperator commemorat ex antiquis monumentis Card. Baronius Tom. 12. Anno Redemptoris MCXI. *Poſtera die, id eſt, pridie Idus Februarij Pontifex* (Paſchalis II.) *miſit in occurſum eius in montem Gaudij; qui & Marij dicitur, baiulos cereoſtatarios, candidatos, defenſores, ſtratores, populiq; infinitam multitudinem cum floribus, atq; arborum ramis & palmis.* Addit ad pompam Domnizo:

——————Monachæ quoq; centum.
Lampadibus multis cum claro lumine ſumptis.

Anti-

Antiquo more proceſsio Regis honore
Facta ſit, & certa nummis via cooperta, &c.

Rurſum Acta: *Duo iuramenta ex more fecit: vnum iuxta ponticulum; alterũ, ante porticus portã populo fecit. Ante portam à Iudæis, in porta à Græcis canentibus exceptus eſt. Illuc omnis Romanæ Vrbis Clerus ex Pontificis præcepto conuenerat, qui eum equo deſcenſum ad S. Petri gradus cum laudibus deduxerunt.*

Cum autem ad ſuperiora graduum aſcendiſſet; illic Dominus Papa cum Epiſcopis pluribus, cum Cardinalibus presbyteris & Diaconibus, cum ſubdiaconibus, & cæteris ſcholæ cantorum miniſtris affuit. Ad cuius veſtigia cum Rex corruiſſet, poſt pedum oſcula eleuatus eſt. Ter ſe inuicem complexi, ter ſe inuicem oſculati ſunt, & ſicut mos, dexteram Pontificis tenens, cum magno populi gaudio & clamore ad portam venit Argenteam.

Pro cap. 18. fol 196. v. 5. *præcordiis figere.*

Hanc proceſsionem quotannis inſtituebant etiam Chriſtiani, eo tempore, quo Hieroſolyma in eorum ditione erat. Albertus Canonicus Aquiſgranenſis lib. 12. de bello ſacro cap. 29. *Eâdem denique die à monte Oliuarum Dominus Patriarcha cum Clero ſuo poſt palmarum conſecrationem deſcenderat; cui de templo Domini, & de vniuerſis Eccleſiis fratres occurrentes, ad diem feſtum conuenerunt in hymnis & laudibus, in celebratione diei ſancti, quo & Dominus IESVS in aſello reſidens, ciuitatem ſanctam Hieruſalem ingredi dignatus eſt. Sic verò omnibus conuenticulis Chriſtianorum ad id ſolenne in laudibus DEI congregatis, ecce Rex defunctus in medio pſallentium allatus eſt. In cuius viſione voces ſuppreſſæ & laudes humiliatæ ſunt: fletus tam Cleri, quàm populi plurimus auditus eſt. Veruntamen palmarum expleto officio, & omnibus per portã, quæ dicitur aurea, per quam Dominus IESVS ad paſsionem veniens, immiſſus eſt, cum Rege defuncto intromiſsis, decretum eſt communi conſilio, vt ſtatim corpus exanime ſepulturæ traderetur.*

Fol. 42. edit. Colon. v. 10. lege *vigeſimus quintus.*

INDEX

INDEX.

A.

Aaron Rex Perſarum Carolo Magno ſepulchrum Domini donat. 130

Aaron Rex Perſarum excepta India, totum penè tenebat Orientem. 130

Aaron Rex Carolo Magno elephantum miſit, quem ſolum tunc habebat. ibid.

Achates gemma Pyrrhi Regis Epirotarum. 279

Acroſtichides ex Regia Parienſi Bibliotheca deprompta. 1

Acroſtichidum Auctores. 1

Acroſtichis per medium ducta, in ſingulis verſibus accuratè ſeruata. 73

Adami caput in Golgatha, vbi ſanguis Domini cecidit ſuper illud. 264

Adam primus homo in Caluariæ loco ſepultus. 267

Adoratio S.Crucis. 58.99

Adorare particulas terræ ſanctæ. 119

Adorare cineres S.Ioannis Baptiſtæ, &c. 120

Adorare præſepe & incunabula Saluatoris. 120

Adoratio S.Crucis in media Quadrageſima. 211

Adorator S. Crucis miles Catholicus ab hoſtibus ſuis mirabiliter ereptus. 272

Æthiopes freque͂tes peregrinantur Hieroſolymam. 122.123

Æthiopum Imperator munera & oblationes mittit Hieroſolymam. 122

Æthiopes Monachi Hieroſolymis degentes ius habent eligendi Patriarcham Æthiopiæ. 123

Æthiopes omnes Occidentales vocant Francos. 124

Æthiopes Chriſtum quatuor clauis crucifixum depingunt. 243

Aimoinus Cardinali Baronio qualis. 13

Aimoini noua editio. 13

Albertus Canonicus & Cuſtos Aquenſis auctor Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ expeditionis. 114.115.133.167.249

Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus Heraclij ſucceſſor. 132.133

Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus Accone ſeu Ptolemaide reſidet. 133

Albertus Patriarcha Petri Eremitæ pronepos. 133

Albertus Epiſcopus primum Vercellenſis, deinde Bethlehemiticus & Aſcalonitanus. ibid.

Alberti Patriarchæ Crux cum tergemino ligno tranſuerſario. 143

Albigenſes hæretici imaginem Crucifixi tunc vſitatam immutando, ſimpliciores decipiunt. 269.270

Albigenſes hæretici cruce͂ fabricant cum tribus brachiis tantum, & tribus clauis. 269

Albigenſes hæretici ꝓpoſito apologo duorum hominum, ſimplices ſeducunt. 271.272

Albigenſium hæreticoru͂ fabulis & apologis quomodo Catholicis ſit occurrendum. 272

Alexander Rex Scotiæ templum magnificum S. Cruci extruxit. 132
Alexander III. & IV. Pontifices. 136
Alexij Comneni Imp. mater, vxores & filiæ in templo tanquam in aſylo collocatæ. 267
Alexij Comneni fratres in Nicephorum Botoniaten conſpirant. 267
Alexij Comneni filia Anna libros Alexiados ſcripſit. 267.268
Alexius Comnenus Henrico IV. miſit auream crucem pectorale, cum margaritis & S. Reliquiis. 268
Alphonſus de Armeria Procurator Generalis Prouinciæ Mexicanæ. 283
Amalricus Eccleſiæ Dominici ſepulchri Prior. 114
Amalricus Fulcheri in Patriarchatu ſucceſſor. 114
America nouus mundus. 278
Anaſtaſius IV. Papa. 136
S. Andreas Apoſtolus regi Scotorum apparens pollicetur victoriam. 36
S. Andreæ crux in cælo apparens. 36
S. Andreæ ædem nudis pedibus adeuntes Scoti, ſacras illius reliquias oſculantur. 37
S. Andreæ cruce pro inſigni vtuntur Scotiæ Reges. 37
Andreas de Nanſolio à Saracenis captus. 174
Andreas de Eſpeiſſe à Saracenis captus. 174
Andreas Veringer Lutheranus Prædicans crucem in templo & ſupra poſitam interpretatur. 244.245
Andreas Schottus Societatis IESV in veterum monumentis eruendis indefeſſus. 269
Angeli ad ſepulchrum B. Virginis. 127
Angelus reſpondet Eſdræ conquerenti de captiuitate Iudæorũ Babylonica. 184
Angeli per ſcalam Iacob aſcendere & deſcendere viſi. 206
Angli à Scotis mirabiliter cæſi. 37
Angli per Laudoniam graſſantur. 93
Anglus quidam ſacrilegij ſui pœnas vlciſcenti numini pendit. 94
Angli chirographa crucibus aureis aliiſq; ſacris ſignaculis firmabant. 153
Anglorum pluſquam ſexaginta millia, præter ſenes & mulieres, cruce ſignata. 178
Angli cruce ſignati Flandros hoſtes crucis ad vnum omnes cædunt. 237
Angli à Scotis cruce ſeparati. 238
Anglorum Reges diplomata ſeu graphia ſua ſigno crucis vel prænotarunt vel ſubnotarunt. 247
Anthuſa Copronymi filia, ſancta. 19
Antiqui ſcriptores contumeliis affecti à Caluiniſtis. 41
Antonius Gabutius de Pio V. Pont. Max. 341
Apollo cum Muſis in achate gemma naturaliter expreſſus. 279
Apoſtatarũ huius ætatis voces & mores. 4
Apoſtatæ in S. Crucẽ contumelioſi. 249
Apoſtatæ ruina turris obruti. 249
Aquiſgranenſis Synodi canon de lotione pedum. 335
Arabũ tyrannus Gizidus a Iudæo perſuaſus vt imagines è medio tolleret. 40
Arabicis literis inſigniti nummi Sultanini. 246
Athanaſius Monachus & Heſychaſta. 128
Auentinus Fridericum pro Fulcherio ponit. 111
Auentini error in Heraclito Patriarcha Hieroſolymitano. 134

Auen-

Auentini error in Alexandro IV. Pontifice. 136
S. Auguſtinus Abrahami hoſpitalitatem commendat. 302.303
S. Auguſtinus in ſententia pronuncianda modeſtiſſimus, & conſuetudini Eccleſiarum plurimū tribuere ſolitus. 309
S. Auguſtinus exemplo Chriſti lotionem pedum commendat. 321.322
Auguſtini Fiuizanij opinio de crucibus Pontificiis & Patriarchalibus. 143
Auſtriacæ familiæ priuilegium ferendi crucem Imperatoriam in principali ſuo pileo. 91

B.

Balduinus Rex Hieroſolymitanus ciuitatem Sagittam oppugnat. 249
Balduinus Rex ægerrimè fert cõtumeliam S.Cruci ab Apoſtatis illatam. 249
Balneo vti an liceat ſtatim poſt acceptā Euchariſtiam. 310.311
Balneo vti an liceat feria quinta Cœnæ Domini. 310.311
Balneo die Dominico vti an nefas ſit. 311
Balneo vtens ſacerdos an poſſit eo die Miſſam dicere, vel laicus Euchariſtiam ſumere. 311
Baptizandi & baptizati ſigno crucis cõſignantur & benedicuntur. 100. 244
Baptiſmus ſanguinis per martyriū. 254
Baptizandi cruce ſacra vnctionis inter ſcapulas inſigniuntur. 271
Baptizati Octauam celebrabant. 310
Bardas Curopalata Cæſar Conſtantinopolitanus. 65
Bardas Cæſar ab Ignatio Patriarcha ob inceſtum excommunicatus. 65
Bardas Cæſar de cultu Imaginum rectè ſenſit. 66
Baron. Card. quid de Aimoino ſentiat. 13
Baronij Cardinalis ſententia quam ex Burdone Scaligero exſcripſit, reiicitur. 320
S. Baſilius Magnus quod vetuſtate excellit venerandum eſſe aſſerit. 77
Baſilius Medicus Bogomilorum hæreſiarcha. 83
Baſilius Imp. Conſtantinopolitanus. 149
Baſilius Epiſcopus Seleuciæ. 258
Bellarminus Cardinalis quid ſenſerit de crucibus ſub Conſtantino Copronymo viſis. 253
Benedictus Papa Stephano regi Hungariæ crucem dono mittit. 91
Benedictus Papa Iudæos in Paraſceue imaginem Chriſti deludentes ſupplicio afficit. 92
Benedictus de Acoltis Aretinus. 181
S. Benedicti regula de lauandis hoſpitum pedibus. 307
S. Bernardus erga quinque Chriſti vulnera deuotus. 161
Biblia ſacra, non profana. 101
Bibliotheca Regia Pariſienſis. 1
Bibliotheca Bauarica. 16. 27. 34. 47. 211. 264
Bibliotheca Eccleſiæ Belluacenſis. 97
Bibliotheca Tubingenſis. 160
Bibliotheca Monaſterij Fürſtenfeldenſis. 161. 162
Bibliotheca Auguſtana. 223
Bibliotheca Palatina. 223
Bogomili ignominia afficiunt crucem vt Saluatoris interfectricem. 48
Bogomilorum hæreſiarcha Baſilius Medicus. 83
Bogomili Iconoclaſtæ rediuiui. 253
S. Bonifacius quæ munuſcula ſuis amicis miſerit. 337

S.Brigitta vidua pauperum pedes lauat & oſculatur. 338
Burdo more ſibi conſueto ait tantum, nō probat. 321

C.

Caballinus Copronymus dictus, & cur. 24
Caballinum Caluiniſta comere & pectere nititur, at nimis impudenter. 17
Calices ſacri à Iudæis profanati. 92
Calliſtus corrumpit Sergium verbis & nummis. 3
Calliſtus Patricius calumniator. 3
Caluiniſtica impudentia refellitur à S. Stephano iuniore. 9
Caluiniſtica impudentia. 10
Caluiniſta ex ſeptima Synodo tranſſcripſit Iconoclaſticum conciliabulum. 9
Caluiniſta poſt Suidam inceſſit Theophanem. 11
Caluiniſta ſpicula virulenta in B. Damaſcenum. 12
Caluiniſtica clemētia in Damaſcenū. 12
Caluiniſta in Zonaram. 13
Caluiniſta in Cedrenum. 13
Caluiniſticarum lædoriarum cumulus in Suidam. ibid.
Caluiniſtæ tergiuerſatio. 15
Caluiniſta egregiè interpretatur Suidam. 15
Caluiniſtis quid ſit honorare Reliquias. 16
Caluiniſta defendit Copronymum, ſed per meras calumnias. 17
Caluiniſta Caballinū comere & pectere nititur, at nimis impudenter. 17
Caluinianus arbitratu ſuo edicta Imperialia & Cæſarea cudit. 18
Caluiniſtæ ſunt longè deteriores, quàm priſci Iconoclaſtæ. 22
Caluiniſta fraus. 23
Caluiniſtæ inſcitia. 23
Caluiniſtæ incircumſpectio. ibid.
Caluiniſticum commentum. 32
Caluiniſtæ inconſideratio. 33
Caluiniſtica cōtumelia in antiquos ſcriptores. 41
Caluiniſtæ Iconoclaſtæ. 68. 253
Caluiniani nec crucem colunt, nec Imagines ferunt. 259
Cambuca baculi viales ſeu viatorij. 25
Cambri libentius Romam ad Apoſtolorū limina peregrinantur. 247
Cambri Eccleſiis & Eccleſiaſticis viris, S. Reliquiis, campanis, libris, Cruci, ſingularem reuerentiā exhibent. 247
Cambrenſes Eccleſiæ maiorē quàm aliæ pacem & immunitatem habent. 248
Canon Trullanus de cruce humi non facienda. 34
Capitilauium, ante Baptiſmum. 310. 311
Carolus Magnus Imp. an ſit auctor librorum Carolinorum contra imagines. 94. & ſeq.
Carolinorum librorum inſcriptio ſeu titulus. 96
Carolini libri in Synodo Francofordienſi neq; compoſiti, neque publicati. 97
Caroli Magni Capitulum ab Hadriano Papa laudatum. 98
Carolini libri S. Crucem laudant. 98
Carolini libri Caluiniſtas impugnant. 98. 99
Carolini libri Carolo Magno perperam adſcripti. 99
Carolo Magno ſepulchrum Domini donat rex Perſarum. 130
Carolum Magnum terram ſanctam armis recuperaturum, plebeia perſuaſio. 130

Caro-

Carolus V. de priuilegiis Archiducum Auſtriæ. 91
Carolo Magno claues Hieroſolymitanæ miſſa cum vexillo. 129
Caroli Magni legatio ad Irenam Imperatricem, Nicephorum imperantem inuenit. 150
Carolinorum librorum Auctor ſiue Auctores imagines negant vllo cultu colendas. 259
Caroli Magni vita ab Einhardo conſcripta. 259
Carolus Cluſius Nicolai Monardi interpres. 281. 282
Carolus V. Imper. ſingulis annis die Iouis ſancto pauperum pedes lauare conſueuit. 334
Cedrenum ſugillat Caluiniſta. 13
Chriſtum hominem rectè pingi, pulchrè oſtendit Theodorus Studita. 7
Chriſti corporis circumſcriptio Vbiquiſtis occinenda. 8
Chriſtus qua ratione pingatur. 8
Chriſti vera imago quænam ſit. 71
Chriſtus B. Virginis imagini mixtus. 77
Chriſtus reſurgēs, dextra trahens è limbo Patres, ſiniſtra crucem præferens, forma ſigilli. 109. 132. 134
Chriſtus quo anno natus & paſſus ſit, non conueniunt ſcriptores. 43
Chriſtus ligni vitæ ſcilicet B. Virginis ſurculus. 79
Chriſti diuinitas annuo miraculo Hieroſolymis ad ſepulchrum Dominicum confirmata. 177
Chriſtus docuit nos orare etiam pro inimicis. 195
Chriſtus Mediator inter Patrem ſuum, & Iudæos. 195
Chriſtus Patri ſuo teſtimoniū reddit. 196
Chriſtus vna hypoſtaſis ſeu perſona duabus naturis conſtans. 207
Chriſtus quomodo & quare appelletur filius hominis. 207
Chriſtus cum ſerpente à Moſe in deſerto exaltato comparatus. 208. 209
Chriſtus quomodo expoliarit principatus & poteſtates. 209
Chriſtus eo ipſo vicit, quo videbatur eſſe victus. 210
Chriſti nomen Chriſtiani corporibus ſuis inciderunt. 260
Chriſtus de Cruce acceptus, vbi fuerit lotus de ſanguine, & inuolutus in ſindone munda. 264
Chriſtus an agnum Paſchalem ſtans comederit. 316. 319
Chriſtianos quæ deceant inſignia. 128
Chriſtiani Damiatam capiunt. 171
Chriſtiani pauci multos Saracenos profligant. 173
Chriſtianorum paſſagia. 176
Chriſtianis hymnum de reſurrectione Chriſti decantantibus lampades diuinitus accenduntur. 177
Chriſtianis cur Deus terram ſanctam ademerit, & Mahometanis ſubiecerit. 184
Chriſtiani nomen Chriſti vel ſignaculum S. Crucis corpori ſuo inciderunt. 260
Chriſtiani in Quadrageſima, & aliis ieiunij temporibus à balneis abſtinebant. 311
Chriſtophorus Copronymi filius Cæſar creatus. 18
Chriſtophorus Cæſar ab Irena Imperatrice tonſus, & ſacerdotio fungi iuſſus. 19
Chryſoſtomo Crux virga virtutis. 27
Chryſoſtomo Crux rhamnus in ſpinis. 59

Chryſoſtomus Sepulchrum Dominicum deſcribit. 115
Chryſoſtomus dicit Crucem vbique conſpici. 242
Chryſoſtomus hoſpitalitatem Abrahami laudibus extollit. 300.& ſeq.
Chryſoſtomus hoſpitalitatem Loth, commendat. 304.305
Chryſoſtomus humilitatem Chriſti proditoris ſui pedes lauantis exaggerat. 322
Claudius Taurinenſis Eunomianus & Vigilantianus, inimicus crucis Chriſti ſanctaeq́ eius imaginis. 59
Claudius Taurinenſis & Iudaei ac Saraceni ſe mutuò laudant. 59
Claudij Taurinenſis liber pſalterio maior. 102
Claudius Taurinenſis Graecos Iconoclaſtas ſuperare contendit. 258
Claudij Taurinenſis faſtus à Iona & Dungalo repreſſus. 259
Claui quatuor, quibus Chriſtus fuit cruci affixus. 90
Clauus vnus crucis Chriſti in ſolennibus proceſſionibus, ante Imperatorē portatus. 90
Clauis quatuor crucifixus Chriſtus repraeſentatus olim in Hiſpaniis. 269. 270
Clemens II. Pontif. in quo Leonem IX. imitatus. 154
Conciliabulum Iconoclaſticum. 9
Concilium Francofordienſe quo anno habitum. 97
Concilia Oecumenica ſex depicta, iuſſu Copronymi deleta & inducta. 36
Concilium Romanum ſub Nicolao Pontifice. 66
Concilium Lemouicenſe. 241
Conradus Salicus Imp. vltor fidei dictus, & Tito & Veſpaſiano Impp. comparatus. 92
Conradus Imp. paganos crucifixi imaginem truncantes, captos ſimiliter deartuauit. 92
Conradi Salici Imp. iuramentum. 56
Conradi Salici Imp. electio, inauguratio & obitus. 149
Conradus Salicus Imp. Magnoldum Comitem Conſtantinopolim ad Romanum Imp. legat. 149
Conradus Imp. legationem ſuam Conſtantinopolitanam non vult eſſe notam. 150
Conradus Imp. Conſtantinopol. Imp. filiam Henrico filio ſuo petit vxorem. 151
Conradus Imp. Hieroſolymam peruenit cum Principe Guelphone. 178
Conradi Epiſcopi Herbipolenſis ab improbis occiſi epitaphium. 240
Conradus Dux nobiliſſimus de Dachavv. 108
Conradus Dux Dalmatiae Comesq́ Dachuni. 109.110
Conradus Dux magnam partem S. Crucis à Patriarcha Hieroſolymitano impetrauit. 109.110
Conradus Dux magnam partem S. Crucis Coenobio Schirenſi tradidit. ibid.
Conradi Ducis mors. 111
Conradus Cōradi filius Croatiae & Dalmatiae dux. 111
Conradus Dux pater & filius in Scheirn ſepultus. ibid.
Conradus Canonicus Hieroſolymitanus cuſtos S. Crucis. 112
Conradus Dachauienſis ſtirpis vltimus. 112.130

Conradi

Conradi vltimi ſuæ familiæ obitus. 130
Conradi Ducis Croatiæ & Dalmatiæ obitus. 130
Conradus Dux Aduocatus Patriarchæ & Canonicorum Hieroſolymitanorum. 132
Conſtantiniana Eccleſia à Conſtantino Magno in loco inuentæ S. Crucis extructa. 266
Conſtantinus Imp. orthodoxus. 68
Conſtantinus Magnus labarum in vexillum Crucis transformauit. 89
Conſtantinus Heraclij Imp. filius. 89
Conſtantinus Magnus per ſignum crucis omnes gentes ſuperat. 90
Conſtantinus cum matre Helena S. Crucem inuenit. 90
Conſtantinus cum matre Sepulchrum Chriſti magnificè extruxerunt & exornarunt. 118
Conſtantinus Papa Philippicum Imper. excommunicat. 35
Conſtantinus Porphyrogenitus Michaëlis Duca Imp. filius cum parente captus. 131
Conſtantini Magni Corona ferrea, in qua clauus quo Chriſtus fuit cruci affixus. 163
Conſtantino Magno crux apparuit Latinis literis inſcripta. 242
Conſtantinopolitani Romani dicti, & Conſtantinopolis noua Roma. 242
Copronymi delirium. 8
Copronymus confutatus à S. Stephano Iuniore. 8. 80
Copronymiani ſynedrij inepta cauillatio eiuſdemq́; ſolutio. 14
Copronymi impietas in Sanctorum Reliquias. 15
Copronymi impietas in B. Virginem. 17
Copronymus à Caluiniſta defenſus, ſed per meras calumnias. 17
Copronymi tres filij præter Leonem. 18
Copronymus noluit eſſe impius, niſi crucis interpoſitu. 22
Copronymus fuit Scarabæus. 24
Copronymus cur Caballinus dictus. 24
Copronymus ſex œcumenicorum Conciliorum imagines abolet. 36
Copronymus cũ Leone Iſauro patre crucis formam effigiat. 51
Copronymus Iconomachorum anteſignanus. 80
Copronymus non crucẽ ſeu imagines crucis, ſed ſolas imagines Chriſti & Sanctorum exterminauit. 253
Copronymus imagines crucis retinebat & honorabat. 253
Corona ferrea Modoëtienſis. 163
Corona ferrea olim Conſtantini Magni, in qua clauus quo Chriſtus fuit cruci affixus. 163
Coronata crux in extis reperta, ſub Iuliano Apoſtata. 253
Corporis Chriſti circumſcriptio Vbiquiſtis occinenda. 8
Corpus Chriſti cum cruce, in argumentum maioris religionis propoſitum. 22
Corpus & ſanguis Chriſti ſignaculo crucis benedicuntur. 100
Corporis & ſanguinis Chriſti myſteria iuramentis adhibita. 22
Corporis notaculum quid ſit apud Minutium Felicem. 260
Corpori proprio inciſum nomen Chriſti vel ſignaculum S. Crucis. 260
Corporis proprij verberatio per diſciplinas ſeu flagella. ibid.
Crales & Cralena ſeu Cralitza. 28

Crux, eiuſq́ cultus ab Iconomachis retinebatur. 5
Cruci quæ encomia tribuat Poëta Iconomachus. 7
Crux fugat Dæmones. 7
Crucis elogia ab Iconomachis. 21
Crucis interpoſitu Copronymus impius. 22
Crux in codicibus Euangeliorum effigiari ſolita. 23
Crucis metaphorica acceptio. 26
Crucis inimicus, non crux, euertit imagines. 26
Crucis veneranda gloria. 27
Crux moribundis propoſita, ſolatij cauſſa. 27
Crux humi non facienda, eaq́ de re Canon Trullanus. 34
Crux pendula ex collo per pectus. 31
S. Crucis veneratio. 69
Crucis laus ſemper in ore verſetur. 21
Crux diſiuncta coniunxit, & diſperſa collegit. 21
Crux pietatis exemplar & deſcriptio. ib.
Crux validum potensq́ robur fidei. ibid.
Crux reuerenter & decenter ab Imperatoribus adoratur. ibid.
Crucis potentia hoſtes domat. 22
Crux priſcis Germanis Rod, ſeu Rode. 25
Crux Scotis Ruid, Anglis Roode. 25
Crux ſpiritualis & myſtica. 26
Crux idola exterminauit. 26
Crux cœli & terræ fulcrum & fulgor. 27
Crux virga virtutis. 27
Crux in poëmatis efformata. 31
Crux hoſtes in fugam vertit, & occidit barbaros. 31
Crux peremptrix Diaboli. 40
Crux inter imagines Chriſti præcipua in veneratione eſt. 47
Crux πρόχειρα. 49
Crux efformatur iuſſu Chriſti. 50
Crux ab Imperatoribus quomodo picta. 50
Crux exaltat, ſaluat, ſeruat, & eſt fidelium gloria. 55
Crux viuifica, ſalutifera, adoranda. 58
Crux quomodo mortalibus in ſalutem diuinitus data. 59
Crux rhamnus. 59
Crux mirabile germen, cui data poteſtas in ipſos inferos. 83
Crux miraculorum rorem pluit, mundum irrigat, robur ſuppeditat, &c. 83
Crux in Perſidem abſportata, ab Heraclio Imp. recuperata. 90
Crux Domini Hieroſolymis fabricatur & ſtabilitur. 90
Crux gloriatio ſæculi. ibid.
Crux inter Imperialia inſignia. ibid.
Crux inter regalia inſignia. 91
Cruciger globus inter regalia inſignia. 91
Crux aurea gemmis inſignita à Iudæo in cloacam deiecta. 92
Crux ſubito collapſa ſacrilegum ſtatuæ B. Virginis ſpoliatorē comminuit. 94
Crucis encomia in libris Carolinis dictis. 98
Crux Regis & Imperatoris noſtri vexillum. 98
Crux eſt noſtra armatura, munitio, caſſis, clypeus, thorax, munimen, &c. 99
Crucis hamo criminum auctor captus eſt. 99
Crux adoranda. ibid.
Crucis & Reliquiarum pium furtum. 112
Crucis lambere lignum. 120
Crux aurea, ornata lapidibus, referta Reliquiis. 128

Crux

Crux in die Paraſceues de geniculis adoratur. 126
Crucis particulæ aliis crucibus incluſæ & in crucis ſpeciem efformatæ. 127
Crux clauem auream habens de vinculis Apoſtolorum Petri & Pauli. 127
Crucis particula cryſtallo incluſa, vt videri poſſit ligni color & quãtitas. 128
Crux pœnitentium ceruicibus circumpoſita. 128
Crucibus croceis inſigniti publicè pœnitentes. ibid.
Crux pro ſigillo vel inſigni. ibid.
Crucis particula auro & lapidibus precioſis ornata, & in aurea imagine locata. 131
Crucis ſacræ pia quædam furta. 131
Crucis alia portio non parua, auro & gemmis precioſis ac margaritis ornata. 132
Crux nigra in cœnobio Laudonienſi in Scotia. 132
Crux S. Nicolai Epiſcopi capſa incluſa Angelico inſtinctu reperta. ibid.
Crux inſcriptionibus & ſubſcriptionibus addita. ibid.
Cruces de collo peregrinorũ ſuſpenſæ. 133
Crucigeræ turres. 133
Cruces Patriarchales duplici ligno trãſuerſario conſtantes. 142. 143
Cruces tergemino ligno tranſuerſario conſtantes. 143
Crucib. aureis chirographa firmata. 153
Crux incluſa gemino circulo. 153
